THEOLOGIAE MORALIS

INSTITUTIONES

EX SACRIS SCRIPTURIS CANONIBUS

AC SS. PATRUM SANIORUMQUE DOCTORUM SENTENTIIS COLLECTAE

PASCHALIS FULCO

INSIGNIS COLLEGIATÆ, AC PRIMIGENIÆ PAROCHIALIS ECCLESIÆ
S. JOANNIS MAJORIS NEAPOLIS CANONICI

EDITIO NOVISSIMA

IN QUA AD UTRIUSQUE JURIS RECENTIORES SANCTIONES, PLURIMA ADDITAMENTA
TRACTATUM DE MONIALIBUS, APPENDICES DE MATRIMONIO,
DE ECCLESIIS RECEPTITIIS, DE TITULO IN ORDINATIONE REQUISITO,
DE REGULIS JURIS CANONICI EC.

NUNC PRIMUM

accesserunt doctrinæ theorico-practicæ


EX OPERIBUS DEPROMPTÆ

S. ALPHONSI M. DE LIGORIO

OPERA ET STUDIO

IOSEPHI ROMANI PRESB. NEAP.

IN ARCHIEPISCOPALI LYCEO UTRIUSQUE JURIS ANTECESSORIS SUBSTITUTI



TOM. II.

Neapoli

EX TYPOGRAPHEO AD SIGNUM ANCORÆ

MDCCCXLIV

INSTITUTIONES

THEOLOGIÆ MORALIS

TRACTATUS V.

DE MONIALIBUS

Cl. Josue de Costanzo — Metropolitanae Ecclesiae Neapolitanae Canonici, atque Examinatoris pro-Synodalis.

§. 1.

Q. Quomodo definitur status religiosus Monialium?

R. Cum status religiosus unus idemque sit, tum in viris religiosis, tum in mulieribus, ideo recte definitur: Status hominum ad perfectionem comparandam perpetuo tendentium per tria vota castitatis, paupertatis, et obedientiae, facta traditione sui religioso Ordini adprobato ab Ecclesia sub regula determinata.

Q. Num sufficiat ad essentiam status religiosi nudum propositum observandi tria consilia Evangelica?

R. Minime, sed requiritur obligatio personalis per vota Deo edita, nec ad tempus determinatum, sed in perpetuum; secus non adesset immobilitas, quae necessario hoc in statu requiritur.[1]

Q. An Ecclesiae adprobatio sit de essentia ad statum religiosum Monialium?

R. Maxime, saltem ad statum Religionis perfectum; nam licet Religio consistat in tribus votis; sine tamen Ecclesiae adprobatione non habet tantum stabilitatem nec est status spiritualis supra communem statum Christianorum, in quo modo accipitur: atque ita Ecclesiae adprobatio dici potest aliquo pacto pertinere ad essentiam Religionis, si non ex natura suae institutionis, saltem ex Ecclesiae dispositione.

Q. A quo fieri debeat haec adprobatio?

R. A Summo Pontifice, uti statuit Innocentius III. in Cap. *Ne nimia de Religiosis domibus*, quod renovavit Greg. X. Cap. unico *Religionum*, licet ante Innocentium sufficeret tantum Episcoporum adprobatio.

Q. An ad constituendum statum religiosum necessario requirantur vota solemnia, vel sufficiant tantum simplicia?

R. Omissa contraria sententia, dico sufficere tantum simplicia, modo sint Ecclesiae auctoritate confirmata. Quod videtur aperte colligi ex Bulla Greg. XIII. *Ascendente Domino*, ubi definivit, quod in Societate Jesu e-

vadant veri Religiosi, qui post biennium probationis emittunt vota simplicia.

Q. In quo consistat votorum solemnitas?

R. Consistit in eo, quod obligatio trium votornm sit conjuncta Religioni adprobatae irrevocabiliter, et ratione conjunctionis cum Religione adprobata vota illa habeant aliquos effectus quos per se non haberent.

Q. Quinam sint isti effectus?

R. Sunt ut votum solemne castitatis reddat inhabilem ad matrimonium, et matrimonium ratum antecedens solvat; ut votum paupertatis privet omni dominio, et reddat voventem illius dominii incapacem, ut singula ex tribus votis induant firmiorem, et minus solubilem obligationem, ita ut talis obligatio non solum ex parte tradentis, sed etiam ex parte acceptantis relaxari non possit auctoritate Praelatorum Religionis: quae omnia vota per se non habent.

Q. Potestne summus Pontifex in votis solemnibus dispensare?

R. Omissa contraria sententia, potest, stante gravissima caussa, et quidem boni communis, non vero alicujus particularis.

Q. Potestne Summus Pontifex dispensare Monialem professam a voto paupertatis, vel castitatis, vel obedientiae, manente Religiosa?

R. Minime, quia haec vota ad essentiam Religionis spectant, sicut habetur expresse in cap. *Ad monast.*

Q. Num votum solemne magis obliget, quam simplex?

R. Maxime juxta D. Thomam, sed tantum per accidens ex Ecclesiae institutione; votum enim solemne specie idem est, ac votum simplex.

§. II. *De Professione*

Q. Quid sit professio religiosa?

R. Est contractus quidem moralis, quo homo seipsum voluntarie Deo tradit in determinata Religione adprobata, emittendo solemniter tria vota, cum consensu Praelati nomine Dei eadem acceptantis.

Q. Quotuplex sit professio?

R. Duplex alia expressa, quae communiter et verbaliter fit in manu Superioris, alia tacita, quae signis vel actionibus a jure statutis inducitur.

Q. Quodnam signum in Jure sit statutum ad inducendam tacitam professionem?

R. Duplex: primum, si Monialis se ingerat exercitiis professarum per triduum, secundum, si habitum specialissimum professarum per triduum gestet. Quod si ulla ambo haec duo conjuxerit, tunc statim ante triduum incurrit professionem tacitam, uti habetur Cap. *Vidua de Regularibus.* Quae quidem signa Iure antiquo inducebant professionem tacitam, etiam intra annum Novitiatus, Jure vero novo Tridentini indncunt, modo Monialis decimum sextum suae aetatis annum expleverit, et integrum annum novitiatus percurrerit.

Q. Quae conditiones requirantur, ut haec signa a jure statuta professionem tacitam inducant?

R. Plures: 1. ut actus, quo illa inducitur fiat de consensu Superioris, qui potest Monialem ad professionem admittere 2. ut actus fiat sponte, non

coacte 3. ut Monialis sciat per tales actus tacitam induci professionem, 4. denique ut exerceat tales actus animo profitendi.

Q. Quaenam requirantur ad validitatem professionis?

R. Plura: 1. aetas 2. annus probationis 3. animus profitendi 4. ut non fiat metu gravi 5. ut fiat consensu Praelati Monialium, cujus est ad professionem admittere, et consensu majoris partis Capituli (nisi aliud consuetudo, vel privilegium concedat) 6. ut fiat in Religione adprobata 7. ut Monialis non habeat aliquod impedimentum, quod habeatur essentiale in ea religione 8. ut persona non sit alteri obstricta 9. ut non sit demens, vel impotens morbo, aut senectutis caussa ad servanda regulae praecepta 10. ut tandem tria vota substantialia saltem implicite emittantur.

Q. An professio nulla obliget saltem uti votum simplex?

R. Dist: vel fuit nulla defectu aetatis, aut anni probationis, et tunc nec etiam uti votum simplex obligat: uti patet ex cit. cap. Trid. sess. 25, quod idem dicendum si nulla fuerit defectu usus rationis, aut consensus liberi, et spontanei. Vel fuit nulla ex aliis capitibus et est quaestio: at videtur sententia probabilior obligare tamquam votum simplex; quia praesumitur profitentem voluisse obligare se quantum potuit, nisi constet de contrario animo.

Q. Quanti temporis spatium concedatur reclamanti de sua invalida professione, ut possit exaudiri?

R. Quinquennium, uti patet ex Trid. sess. 25. *De regularibus* cap. 19.

Q. An exploranda sit Monialis voluntas ante professionis emissionem?

R. Maxime, uti patet ex cit. cap. Trid., quae quidem exploratio debet fieri ab Ordinario, vel ejus Vicario sicut statuit idem Conc.; quapropter Superiorissa per mensem ante diem professionis sub poena suspensionis ad arbitrium Episcopi tenetur facere ipsum Episcopum certiorem de tempore professionis Novitiae.

Q. An incidant in aliquam poenam, qui cogunt Monialem novitiam injuste ad emittendam professionem?

R. Maxime incurrunt excommunicationem ipso facto nemini reservatam ex Trid. sess. 25. *De Regul.* Quod idem dicendum de illis, qui Monialem impediunt, ne professionem emittat.

Q. Num post expletum annum probationis possit professionis tempus protrahi.

R. Minime, nisi ex justa caussa, juxta decr. Trid.

Q. An monasterium, remota omni simoniae labecula possit aliquid temporale exigere a Moniali professura religionem titulo sustentationis?

R. Tempore novitiatus licitum est exigere pecuniam pro victu, et vestibus novitiae, uti aperte colligitur ex Trid. sess. 25. Aliis vero temporibus invaluit usus licere monasteriis Monialium accipere dotem a parentibus earumdem. Quod confirmatur ex variis decretis Sacrae Congr. relatis a Bened. XIV de Synodo Dioecesana.

Q. Quo tempore solvenda sit dos pro Moniali Religionem professura?

R. In eadem professione, non vero ante; nam hoc implicite prohibetur a Trid. cit. sess.

Q. Quibus bonis solvenda sit dos pro Moniali professura?

R. Ex declaratione Sacrae Cong. Solvenda est in pecunia numerata, non vero bonis stabilibus, At juxta consuetudinem etiam bonis stabilibus fieri potest,

Q. In quos usus Monasterium expendere debeat dotem acceptam pro Novitia admittenda ad professionem?

R. Impendenda est in emptionem feudorum fructiferorum, ut ex fructibus inde provenientibus Monialis sustentetur sine dispendio monasterii.

Q. An Moniales absque debita solemnitate alienantes dotem incurrant in poenas latas contra alienantes bona Ecclesiastica?

R. Maxime incurrunt.

Q. An translata Moniali ex uno ad aliud monasterium debeat transferri etiam dos tradita priori monasterio?

R. Certum est apud omnes, quod si posterius monasterium cogatur admittere dictam Monialem, ei a priori Monasterio solvenda est dos, sin autem sponte, et voluntarie Monialem admittat, litigium inter theologos: juxta Sanchez, et alios est reddenda.

Q. Ad quem spectet taxare dotem Monialium?

R. Per se videtur spectare ad Superiorem Monialium ex consensu majoris partis Monialium Monasterii, saltem ad evitandas Monialium querelas. Tamen standum est praxi, et consuetudini locorum.

Q. An Moniales possint, si velint, unanimiter admittere aliquam novitiam ad professionem absque solutione debitae dotis?

R. Minime, si sermo sit de Monialibus choristis, de conversis vero possunt, ex declaratione S. Cong.

Q. Quaenam sint Monialium obligationes?

R. Sunt plures 1. obligatio tendendi ad perfectionem 2. servandi vota emissa in professione 3. observandi clausuram 4. recitandi Divinum officium.

§. III. *De obligatione tendendi ad perfectionem*

Q. Quid sit perfectio, ad quam tendere debent Moniales?

R. Perfectio assequibilis in hac vita juxta D. Thom. est charitas perfecta: perfectio charitatis, ait citatus doctor, et finis status religiosi.

Q. An Moniales teneantur esse perfecta?

R. Minime, sed tenentur tantummodo semper tendere ad perfectionem: propterea in definitione dicitur status perpetuo perfectionis adquirendae.

Q. An teneantur Moniales sub mortali ad perfectionem tendere?

R. Maxime, quia est obligatio substantialis, et precipua sui status, ad quam ex vi professionis Moniales se adstrinxerunt: ita communiter.

Q. In quo talis obligatio consistat?

R. Consistit in continuo quodam motu erga perfectionem, ita ut nunquam ab hoc motu, et progressu Monialis quiescat, nec dicat satis est, sed semper ad altiora aspiret: ita Salmantic.

Q. Utrum teneantur Religiosae per omnia Evangelica consilia ad perfectionem ire?

R. Minime, sed per illa tantum, quae sunt secundum regulam, et observantiam Religionis: ita D. Thom. 2. 2. qu. 186. art. 2.

Q. Quando graviter peccet Monialis contra obligationem tendendi ad perfectionem?

R. Mortaliter peccat juxta omnes in sequentibus casibus: 1. quando re-

gulas ad culpam venialem tantum, vel ad nullam obligantes ex contemptu transgreditur 2. quando omittit eas observare tanquam inanes, vanas, et inutiles 3. quando eo pravo fine regulas non observat, ut impediat suam perfectionem, ultimo, quando ejus pravo exemplo alias induceret ad regulae relaxationem.

Q. An Religiosa, quae intendit tantum servare mandata obligantia sub gravi, alia vero statuit transgredi, vel de iis non curare, graviter an leviter peccet?

R. Quaestio inter DD. Alii dicunt peccare graviter; quia istud propositum est virtualis contemptus regularum. Alii negant quia professa cum velit tantum servare praecepta sub mortali obligantia, cum ista de se, et respectu aliorum sint mera consilia, jam tendit aliquo modo ad perfectionem.

§. IV. *De voto Paupertatis*

Q. Ad quid teneatur Monialis voto paupertatis?

R. Obligatur hoc voto, ut nihil babeat proprium: ita ex cap. *Non dicatis.*

Q. Nomine proprii, seu proprietatis quid intelligatur?

R. Hoc vocabulo intelliguntur tantummodo bona temporalia pretio aestimabilia, tam mobilia, quam immobilia, quorum dominium, vel usum, vel possessionem Monialis in perpetuum abdicavit.

Q. An paupertas Religiosa privat etiam usu meri facti?

R. Ante responsionem praemittendum, hunc usum consistere in actione, qua homo percipit utilitatem ex re aliqua, quamquam nullum jus in ipsa habeat. Hoc posito dico, non privare hoc votum usum meri facti; quia hic usus non exercetur a Moniali nomine proprio, sed nomine Superioris.

Q. Utrum licitum sit Moniali habere peculium, livellum, aut vitalitium?

R. Distinguo: vel Monasterio non observatur vita communis ob nimiam paupertatem, vel ob incuriam Abbatissae, et juxta omnes potest illud habere ad nutum Abbatissae, vel Praelati, vel observatur vita communis, et dico etiam licere saltem ex consuetudine juxta communiorem sententiam. Dixi saltem ex consuetudine, quia peculium fuit interdictum a Conc. Trid. uti probabilius colligitur ex cap: *Nemini.* Sed consuetudo hunc rigorem Concilii temperavit.

Q. Quaenam conditiones requirantur, ut Monialis possit licite uti peculio sibi concesso?

R. Plures 1. ut babeat illud dependenter a voluntate Superioris 2. ut sit parata illud consignare ad nutum ejusdem Superioris 3. ut eo non utatur, nisi ad res licitas, et necessarias 4. ut sit moderatum, et non superfluum 5. denique ut sit penes aerarium commune.

Q. An possint Moniales cum licentia Superioris consanguineis cedere fructus sui livelli?

R. Minime, sed requiritur licentia S. Congregationis, uti constat ex pluribus Rotae decisionibus. Vide Lucium Ferr.

Q. Num possit Monialis pecuniam sui livelli tradere monasterio cum pacto, ut monasterium certos redditus, sua vita durante, sibi solvat?

R. Minime, sic enim expresse decrevit S. Congregatio sub die 26. Januarii 1739.

Q. Quibus modis possit Religiosa contra paupertatis votum peccare?

R. Triplici modo 1. vel male adquirendo 2. vel male possidendo 3. vel male utendo.

Q. Quando male adquirendo?

R. Quando accipit rem etiam de iis, quae ad victum, et vestitum pertinent, sine licentia Superioris, uti constat ex Cap. *Cum ad Monast.*

Q. Quid si aliquid ex bonis ipsius Monasterii accipiat sine licentia?

R. Etiam peccat contra votum, et violat Religionem simul, et justitiam, quia accipit alienum.

Q. Potestne Monialis pecuniam in mutuum sine consensu Superioris accipere?

R. Minime, quia sibi usurpat dominium rei mutuo acceptae. Excipitur tamen casus necessitatis, quia tunc praesumitur consensus Praelati.

Q. An sit contra votum paupertatis accipere pecuniam, vel aliam rem ad custodiam dumtaxat?

R. Minime, quia nihil Religiosa sibi applicat. Potest tamen peccare aliquando contra obedientiam tantum.

Q. Quando male possidendo?

R. Quando Monialis detinet rem aliquam pretio aestimabilem nomine proprio: scilicet sine Superioris licentia, vel si obtenta licentia, ita occulte ab ipsa detineatur, ut a Superiori inveniri nequeat et auferri: uti si illam sub clavi particulari teneat clausam.

Q. Quando denique Monialis paupertatis votum violat male utendo?

R. Quando aliquid ex rebus ad suum usum concessis in alium usum expendit, aut culpabiliter amittit, vel destruit, quia est actus dominii rem aliquam arbitratu suo disponere.

Q. An possit Monialis ex rebus sibi ad usum concessis aliquid detrahere parcius vivendo, et alicui donare, sine Superioris licentia?

R. Distinguo: vel Moniali certa quantitas est assignata, ut nec monasterium teneatur aliud ei praestare, nec ipsa rationem reddere, et tunc potest, quia praesumitur consensus: aliter non potest: ita D. Ligorius cum aliis.

Q. An Monialis possit retinere superflua?

R. Neg. Nam Monialis non potest retinere superflua personae, vel statui religioso, quamvis licentiam obtinuerit, cum sit irrationabiliter concessa, uti constat tum ex Concilii Trid. sess.: 25. cap. 2. *De Regul.*, tum ex declaratione Sacrae Congr. relata a Fagnano in cap. *Monachi*: *Regulares praeter suppellectilem, quae statui paupertatis regularis convenit, non posse de licentia suorum Superiorum Regularium alia bona mobilia superflua, et dependenter a voluntate eorumdem Superiorum, et ad solum usum proprium possidere, seu retinere, et possidentes, vel tenentes mobilia superflua non excusari propter licentiam Superiorum a culpa et poena.*

Q. Teneturne Monialis res sibi concessas diligenter conservare, ne peccet contra paupertatis votum?

R. Affir. et peccat graviter vel leviter juxta portionem defectus diligentiae debitae: nam, si magna sit negligentia, peccat graviter (intellige) si, quod disperditur, sit notabile, leviter vero, si sit parvum,

Q. Quaenam diligentia a Moniali sit adhibenda in conservandis rebus sibi in usum concessis?

R. Illa, quae a diligentioribus solet impendi.

Q. Monialis quomodo peccet violando paupertatis votum?

R. Peccat graviter, vel leviter prout est materia.

Q. Quaenam quantitas materiae requiratur, ut graviter peccet?

R. Variant Doctores, sed cum Layman, et aliis putarem, summam gravem esse illam, quae pro furto absolute statuitur, non vero illam, uti autumant alii, quae statuitur pro furto filiorum-familias.

Q. An eadem quantitas ad constituendam materiam gravem requiratur, tam si alienatio sine debita licentia fiat extraneis, quam Moniali ejusdem Monasterii?

R. Minime, sed major quantitas, quia Superior non est tam invitus de alienatione facta alii Moniali, quam est invitus, si res extraneo donetur.

Q. Quomodo sit mensuranda gravitas culpae in violatione voti paupertatis quoad usum?

R. Est mensuranda non ex pretio rei concessae ad usum, sed ex ipso usu; videlicet quanti aestimari possit talis usus.

Q. An paucula furtula commissa a Moniali per continuationem fiant gravia?

R. Maxime, omissa contraria sententia quia furtula moraliter inter se coalescunt, modo inter unum, et aliud fortulum non intercedat tempus notabile, et modo etiam non sit de exculentis, et poculentis sublatis ex bonis monasterii ad suos usus, quia in hisce casibus Monialis peccat leviter, etiamsi perveniat ad magnam quantitatem.

Q. An Monialis teneatur ad restitutionem, quando sine debita licentia aliquid accipit, vel donat?

R. Maxime, quia violavit justitiam.

Q. Ex quo facienda sit a Moniali haec restitutio?

R. Ex peculio, vel annuis redditibus: et si peculium non habet, juxta multos tenetur sibi subtrahere aliquid ex rebus ad usum ei concessis.

Q. Quaenam licentia requiratur, ut possit Monialis absque peccato aliquid accipere, vel alienare?

R. Ante responsionem praemittere oportet, triplicem considerari posse licentiam, nimirum expressam, tacitam et praesumptam: expressa est illa, quae verbo, vel scripto datur, tacita est, quando Superior videt, et non contradicit, cum possit: praesumpta habetur, quando Monialis, inconsulto Superiore aliquid accipit, credens prudenter fore, ut Superior licentiam daret, si peteretur. His praemissis:

Sufficit etiam licentia tacita, modo taciturnitas sit vera Superioris adprobatio, et non sit sola permissio: praesumpta vero non sufficit, nisi in casu necessitatis: uti probabilius videtur, cum Salm. et aliis.

Q. Num moniales votum paupertatis violando in poenas aliquas incidant?

R. Incurrunt in privationem vocis activae, et passivae per biennium juxta Trident., quae est latae sententiae, uti declaravit Clemens VIII. in Bulla *Nulla omnino*. Insuper incurrunt in privationem Ecclesiasticae sepulturae, uti ex cap. *Cum ad Monasterium*. In allatas poenas incidit Monia

lis, quando violat votum habendo, vel retinendo aliquid nomine proprio, non vero quando alienat.

Q. Moniales largientes munera num incidant in aliquas poenas?

R. Ex Constitutione Clementis VIII, quae incipit *Religiosae*, incidunt in privationem dignitatum, et officiorum, in inhabilitatem ad illa, et alia in futurum obtinenda, in infamiam, et in privationem vocis activae, et passivae: quae quidem Constitutio non fuit quoad praedictas poenas ab Urbano VIII. moderata in sua Constitutione, quae incipit. *Nuper.*

Q. Quid requiratur, ut Moniales munera largientes incidant in praedictas poenas?

R. 1. Ut quantitas sit sufficiens ad contrahendas has poenas 2. ut donatio, vel largitio fiat absque Superiorum licentia 3. ut sit omnino liberalis, et gratuita, uti declaravit Urb. VIII. Constitutionem Clementis VIII. moderando.

Q. Quibus poenis afficiantur, qui largitionem munerum a Monialibus recipiunt?

R. Incidunt in casum reservatum Pontifici, si donatio summam decem scutorum excedat, infra vero praedictam summam in casum Cardinali Poenitentiario reservatum, prout patet ex novissima Constitutione Innocentii XII. declaratoria facultatum Cardinalis Poenitentiarii emanata tertio nonas Septem. 1692. Incip. *Romanus Pontifex:* in qua p. 17. sic expresse habetur: *Munera a Regularibus contra recolentem Clementis Papae* VIII. *pariter praedecessoris nostri anno Incarnationis praefatae* 1594, *tertio decimo Kalendas Julii editam Constit: ultra valorem decem scutorum monetae recipientes, exceptis rerum medicinalium, seu devotionis muneribus, ante factam restitutionem non absolvat, nec mandet absolvi. Infra vero praedictum valorem, nonnisi facta arbitrio ipsius Majoris Poenitentiarii, seu per eum eligendi Confessarii eleemosyna, quae in beneficium Religionis, seu Conventus, cui de jure facienda esset restitutio si caute fieri potest, erogetur, absolvat, seu mandet absolvi.*

Nota. Episcopus, vel quilibet Superior Ordinarius non potest recipere munera occasione receptionis habitus, seu emissionis Professionis Monialium, seu ingressus Abbatissae in Officium Abbatissatus: Clemens. VIII. in cit. Const. *Religiosae Congregationes* et expresse *Sacr. Congr. Episcop. et Regular. in Aversana* 22. *Januarii* 1591. his verbis: *Non liceat Episcopis; cum Novitiae vestiuntur, vel professionem emittunt, a propinquis, vel ab alio quocumque dona, tam comestibilia, quam linea, etiam parvi valoris, accipere, neque ab Abbatissis in ingressu Officii, sed ab eisdem comestibilia. Tantum in aliquibus solemnitatibus, nomine totius Monasterii, etiamsi antiquissima inoleverit consuetudo.* Episcopus et quilibet Ordinarius in his transgressor juxta tenorem dictae Const. Clem. VIII. tenetur ad restitutionem, quatenus munera comestibilia, et praeter formam alterius cit. Bullae Urbani VIII. *Nuper a Congregatione*, moderatoriae, et declaratoriae, et confirmatoriae illius Clem. VIII. recipiat.

Q. Quam quantitatem expendendi possit Abbatissa concedere Moniali?

R. Si in Constitutionibus taxata est quantitas, et tunc juxta omnes haec taxa est servanda: si vero non est taxata, et litigium inter Theologos: nonnulli dicunt posse Abbatissam concedere facultatem expendendi decem,

vel quindecim aureos singulis annis, alii duos, vel tres aureos singulis mensibus: sed probabilius, et melius dicendum, arbitrio viri prudentis esse definiendam hanc quantitatem, spectatis circumstantiis, scilicet causa largiendi, quantitate reddituum Monasterii, necessitatae piae causae, in cujus commodum largitio facienda est.

Q. Abbatissae possuntne facere de bonis Monasteriis eleemosynas, aut donationes.

R. Maxime: Abbatissa enim cum sit administratix bonorum Monasterii, licite potest bona monasterii expendere, insumere, prout recta ratio dictabit; modo haec facultas restricta, et limitata non fuerit a Constitutionibus, vel praecepto Praelati (1)

(1) Praestat heic recentiores S. Congregatioois resolutiones afferre, quae Regu'arium bona extra Claustra decedentium respiciunt, quasque Summus Pontifex Pius VIII. lege lata sub die XXVI. Junii anno 1829. penitus confirmavit.

Quaesitum I. « Cui competat jus succedendi hereditati Regularis professi decedentis extra Claustra, qui Apostolicum indultum obtinuit manendi extra claustra ad tempus, retento habitu, vel veste sui Ordinis dimissa ?

Respondetur: « De hujusmodi hereditate judicandum esse juxta dispositionem Juris Ecclesiastici communis, scilicet eam spectare ad propriam defunoti Religionem.

Quaes. II. « Cui competat jus succedendi hereditati Regularis professi qui infausto anteacto tempore ejectus publica vi a Coenobio, et veste sui Ordinis expoliatus, rationabiles caussae ei obstiterunt, ne successivo tranquillitatis tempore ad Suum rediret Coenobium suique Ordinis vestem reassumeret ?

Resp. » Si Religiosus, de quo est sermo, perpetuae saecularizationis absoluto non fruebatur indulto, ut in praecedenti. Si vero fruebatur, distinguendum esse inter bona ab eo relicta, scilicet bona, quae Religionis erant, secumque a Claustro egrediens ipse attulerat vel ei utcumque obvenerunt, quemadmodum et bona, si quae habeat ex illis provenientia, eidem Religioni manere. Quod autem cetera bona a tali Religioso extra claustra, aliter quam ex bonis ad Religionem pertinentibus adquisita, judicandum de iis esse juxta Constitutionem Gregorii XIII. *Officii nostri.*

Quaes. III. « Cui competat jus succedendi hereditati Regularis Professsi, qui Apostolicum indultum obtinuit adquirendi hereditates, et legata, et de iisdem adquisitis disponendi, et signanter si dispositio fuerit ad caussas pias, et in favorem Religionis ?

Resp. « Si dictus Religiosus Apostolico indulto disponendi de bonis, ut in casu, legitime usus est, facta nimirum dispositione, undique legitime eorumdem bonorum jus, de quo agitur, illi competere, cujus favore facta est dispositio.

Quaes. IV. « An sit supplicandum SS. ut privativam jurisdictionem cognoscendi, et definiendi quaestionem super praemissis ortas, et quam contigerit inter Superiores Regularium Ordinum, et R. Camerae spoliorum administratores circa interpretationem, et explicationem Constitutionis Gregorii XIII, *Officii nostri* alicui ex sacris Congregationibus tribuere dignetur ?

Resp. Affirmative: « Mandans ut quaestiones prout in IV. dubio cognoscantur, et definiantur a Sacra Congregatione Episcoporum, et Regularium, non obstantibus Constitutionibus Apostolicis *de spoliis*, signanter Gregorii XIII. diei 21. Januarii 1577; quae incipit *Officii nostri* inveterata consuetudine, ordinationibus, aliisque in contrariis quibuscumque. »

Ad penitiorem autem hujusce sanctionis intelligentiam assequendam Constitutionem *Officii nostri* a Gregorio XIII. latam heic conjicere necessarium duximus.

« Nos omnem circa praedicta dubitandi occasionem dimovere, simulque aequi-

§. V. *De voto Obedientiae*

Q. Quid sit votum obedientiae emissum a Monialibus?

R. Est promissio facta Deo, qua Monialis propriam subjiciens voluntatem Superioribus, se obligat ad parendum eis in omnibus, quae juxta propriam regulam juste jubebunt.

Q. Ad quid persona religiosa teneatur ex vi voti obedientiae?

R. Tenetur primo ad praecepta Regulae, quam observare promisit. Secundo tenetur ad omnia, quae Superiores praecipiunt secundum regulam sive directe, et expresse, sive indirecte, et implicite.

Q. Quibus Superioribus teneantur Moniales parere ex vi voti obedientiae?

R. Tenentur parere Papae, Ordinario, vel praelato Regulari, si ei immediate subjiciantur, et propriae Abbatissae; quia per votum ipsis se subjiciunt.

Q. Quid si Moniales emiserint professionem, quando regula erat jam deformata, et longaeva consuetudine jam relaxata, num teneantur Praelatis obedire, si ab eis obligentur ad observantiam regulae juxta pristinum institutum?

R. Juxta multos tenentur, quia quamvis consuetudo vim habent relaxandi regulam, non tollit tamen Praelatis facultatem hujusmodi relaxationem amovendi, nec a subditis obligationem, ut ad regulam reformatam teneantur: quae quidem sententia videtur probabilior, praesertim quando reformatio apparet medium necessarium ad Ordinis conservationem, et ad vota essentialia conservanda.

» tate, et justitia succedentibus, ejusdem Camerae indemnitati, ne in diis molestiis, » et incommodis afficiatur, consulere volentes, praesentium auctoritate declaramus, res et bona quaecumque per dictos Regulares extra Claustra, Ecclesiam, » Monasterium, domicilium domorum, et quorumcumque Regularium locorum elegente; quocumque jure, et actione, sive ex causa testate, sive intestate, adquisita, et in posterum adquirenda, vel ad eos delata in quibusvis provinciis, Regnis, » et locis consistant, nisi iidem ad quos illa spectaveriut, sufficienti fuerint testandi, aut de illis disponendi facultate suffulti, eaque legitime usi fuerint, ad eamdem Cameram pleno jure pertinuisse, at spectare, ac bona quaecumque eorumdem sub spoliorum nomine comprehensa per ipsam Cameram, ejusque nomine a quibuscumque illa quandoque occupantibus, et detinentibus, recuperari et vindicari potuisse et posse, ac juxta Pauli III. et aliorum Praedecessorum nostrorum litteras eadem Camera Apostolica in hujusmodi bonis *spolia* nuncupatis vere universaliter succedere, quod ipsa Camera prae ceteris heredibus, et successoribus ampliori est privilegio munita, cuique merito magis favendum est, dum in eam rerum, et bonorum dominium possessio nulla traditione praecedente transeat, » in quacumque bonorum et spoliorum sive ad saeculares, sive ad Regulares, dum » viverent, spectantium successione, quibuscumque in rebus, sive pecuniis illa consistat, etiamsi nominatim, aut alia speciali nota illa designanda esset, quae ad eamdem Cameram jure spoliorum pertinuerunt et pertinebunt in posterum, omni » prorsus fictione penitus cessante, jus et nomen veri heredis in eisdem spoliis habere, illiusque naturam sortiri, ac veri heredis privilegiis, et juribus, in quibuscumque bonis, pecuniis, juribus, ac actionibus, uti ante ac potuisse, et nunc posse, idque eorumdem Praedecessorum, ac nostrae etiam intentione semper fuisse, » et esse auctoritate praesentium declaramus. Bullar. tom. IV, pars III. p. 330. »

Q. Num teneatur Monialis obedire Abbatissae in his, quae sunt contra regulam?

R. Minime, modo Abbatissae non fuerit a Praelato commissa facultas dispensandi, et legitima caussa dispensandi subsit.

Q. Quid si Superior aliquid praecipiat vel supra, vel infra, vel praeter regulam, teneturne Monialis illud exequi?

R. Ne quidem, quia ipsa non promisit obedientiam, nisi secundum regulam: nec refert quod regulae aliquando jubeant in omnibus obedire; id enim non de obligatione voti, sed de obedientiae perfectione intelligitur: ita communiter.

Q. Quando Monialis contra obedientiae votum peccet?

R. 1. Quando non observat regulam sub peccato praecipientem; quia talis regula non est minus praeceptive, vox Superioris 2. quando transgreditur praeceptum Superioris juxta regulam impositum, et graviter, vel leviter in hisce casibus, prout est praeceptum.

Q. Quid si regula sub peccato non obliget, num Monialis illam transgrediens peccet?

R. Si transgressio fiat ob justam caussam, et bonum finem, nullum peccatum committit, parata tamen debet esse violatrix ad subeundam poenam: si vero sine justa caussa, sed ex negligentia, et torpore, est veniale peccatum.

Q. Quot peccata Monialis committat contra praeceptum Superioris operando?

R. Duo peccata, unum contra Religionem ratione voti, alterum contra obedientiae virtutem ratione traditionis de seipsa factae in professione, ob quam etiam sine voto tenetur legitimo Superiori obedire: ita Salmat. et alii,

Q. Teneturne Monialis obedire Abbatissae, quando in virtute obedientiae aliquid juxta regulam praecipit?

R. Maxime, quidquid alii in contrarium sentiant, quia est vere Superior: et licet non possit jurisdictionem exercere; potest tamen tanquam Ministra exigere obedientiam per votum promissam circa res, quae sunt a regula praecepta.

Q. Potestne Abbatissa dispensare cum suis Monialibus in regulis, aut in votis?

R. Non potest, nisi ex commissione Praelati regulas dispensare, bene tamen potest de se declarare aliquando regulam non obligare. Vota vero particularia emissa a Monialibus Abbatissa non potest neque dispensare, neque commutare, sed tantum irritare: ita communiter.

§. VI. *De voto Castitatis*

Q. Quid sit castitas religiosa?

R. Est virtus, qua Monialis per votum promisit Deo sese cohibituram ab omni delectatione venerea, tam licita, quam illicita: quae quidem virtus, si integritati, et puritati carnis est conjuncta, dicitur castitas virginalis; sin autem, simpliciter castitas.

Q. Ad quid igitur obligentur Moniales castitatis voto?

R. Obligantur ad perpetuo abstinendum non solum ab omni actu vene-

reo sive interno, sive externo, contrario castitati, a quo quilibet Christianus ex vi juris naturalis et divini extra conjugium se debet abstinere; sed etiam ab iis actibus, qui sunt conjugatis permissi.

Q. In quibus casibus Moniales violent votum castitatis?

R. Violant in sequentibus casibus: et quidem si deliberate capiant delectationem morosam de rebus venereis, si propriam pollutionem procurent, aut de ea aliunde secuta turpiter delectentur, si turpes foveant amicitias, si obscoenos habeant sermones, vel lasciva canant, librosve turpes, et amatorios legant, si osculis, amplexibus, vel tactibus obscoenis carnaliter delectentur, si retineant impudicas imagines, vel aspiciant objecta inhonesta, et valde ad libidinem provocantia: in his, vel aliis similibus casibus Moniales violant votum castitatis, ideoque duo peccata committunt, unum contra castitatem, alterum contra Religionem ob violationem voti.

Q. Monialis, quae habet tractatus impudicos cum alia Moniali, unicum, an duplex peccatum contra Religionem committat?

R. Duplex quia violat votum propriae castitatis, et cooperatur violationi voti alterius.

Q. Monialis quae in delectatione venerea secludit votum castitatis, et de ea delectatur tantum uti persona humana, et non uti Deo per votum sacrata, num etiam in hoc sensu peccet contra Religionem?

R. Maxime juxta omnes: circumstantia enim voti est inseparabilis a persona, quae de re venerea delectatur.

Q. Num mortaliter peccet Monialis, quae matrimonium optaret sub conditione, si a professione esset libera?

R. Minime, illa enim conditio aufert malitiam operis. Attamen, inquit Cajetanus, haec esset fatua et diabolica tentatio quae ad peccatum ducere solet.

§. VII. *De Clausura*

Q. Quid sit clausura Monialium?

R. Clausura est spatium illud, quod intra januam monasterii semper clausam continetur, intra quod spatium Moniales sistere se debent.

Q. Monialis, quae ascendit super tegulas tecti ipsius monasterii, num clausuram violet?

R. Maxime, modo conscendat tectum superpositum parietibus Monasterium integrum circumsepientibus, quia censetur esse extra clausurae ambitum: ita Bonacina. Si vero conscendat tectum, quod Monasterii interiorem ambitum respicit, et tunc probabilius videtur non violare clausuram.

Q. Num Monialis sit rea violatae clausurae, si per duos pedes toto corpore egrediatur a monasterii janua?

R. Affir., etiamsi ad unum tantum pedem processerit; clausura enim habet sua confinia, et natura confinii est indivisibilis, cum inter intra, et extra non detur locus medius: ita D. Ligorius.

Q. Quid vero dicendum de illa, quae sub ostio clausurae subsistens unum tantum pedem efferat extra clausurae terminos, altero intra retento?

R. Cum eodem D. Ligorio dicendum non incidisse in crimen violatae clausurae, quia perfecte non egreditur extra clausurae confinia.

Q. Ex quo jure Moniales servare teneantur clausuram?

R. Ex Jure ecclesiastico, et ex etiam naturali, si Monialis ad clausuram voto se obstrinxerit.

Q. Quot igitur peccata committat Monialis, quae clausuram violat?

R. Peccat contra praeceptum Ecclesiae, et contra Religionem etiam, si clausuram voverit.

Q. Quaenam Moniales obligentur ad servandam clausuram?

R. Omnes, et singulae Moniales professae, cujuscumque Ordinis illae sint modo in congregatione vivant, ad servandam clausuram tenentur ita ex cap. *Periculoso* un. de statu Relig. in VI. et confirmatur a Conc. Trid. cap. 5. sess. 25.

Q. Quot modis violetur clausura?

R. Duobus: per egressum Monialis extra septa, et per ingressum extraneorum intra septa monasterii, sine debita caussa, et sine debita licentia.

Q. In quam poenam incidant Moniales per egressum sine licentia?

R. Incidunt ipso facto in poenam excommunicationis Pontifici reservatam, quae extenditur etiam ad concedentes licentiam egrediendi sine debita caussa, ad comitantes, et receptantes, cujuscumque conditionis illi sint, etiamsi fuerint consanguinei. Immo praedictae Moniales egredientes, et Superiores egrediendi facultatem concedentes incurrunt etiam privationem dignitatum, administrationum, et officiorum, et inhabiles ad illa, et ad alia in futurum obtinenda efficiuntur. Ita decernit Pius. V. in Const. *Decori et honestati.*

Q. Quinam possit ab hac excommunicatione, et praefatis poenis absolvere et dispensare?

R. Quoad excommunicationem Episcopus, modo delictum sit occultum, ex Cap. *Liceat.* Trid. Pontifex vero, quando delictum est pubblicum, vel deductum ad forum contentiosum. Excipitur Monialis, quam Episcopus potest absolvere ab excommunicatione, licet delictum sit publicum, ob impedimentum perpetuum: ut ex cap. *De Moniali* 33. de senten. excom. Quoad alias poenas potest Episcopus, quia non sunt reservatae: uti apparet ex cit. Bull.

Q. Ad quem pertineat Monialibus concedere facultatem exeundi?

R. Pertinet ad Episcopum auctoritate propria in monasteriis sibi subjectis, delegata vero in monasteriis sedi Apostolicae immediate subjectis: ita decernitur a Trid. sess. 25. cap. 5.

Q. Quid dicendum de Monasteriis, quae Regularibus sunt subjecta?

R. Licentia egrediendi concedenda est tam a Praelato Ordinis, quam ab Episcopo, vel ejus Vicario, uti decrevit Pius V. in cit. Bull. *Decori, et honestati*, modo non adsit in aliquibus locis consuetudo contraria.

Q. Utrum haec licentia in scriptis concedi debeat?

R. Affir., quia sic praescribitur ab eodem Pontifice in praedicta Bulla, ubi habetur *ex caussa cognita, et expresse in scriptis approbata.*

Q. Quaenam debeat esse caussa, ob quam concedi possit facultas exeundi?

R. Justa, et gravis, sic colligitur ex Trid. sess. 25. cap. 5. et ex Bul. Pii V. pluries citata.

Q. Quaenam censeatur justa, et gravis caussa?

R. Jure antiquo in Cap. *Periculoso* Bonifacii VIII. justa caussa censetur infirmitas, ob quam Monialis nequeat cum aliis, absque gravi periculo, vel scandalo commorari. Ex Trid. caussa relinquitur judicio Episcopi definienda: ex Bulla Pii V. tres causae tantummodo exprimuntur, nempe incendii, epidemiae, et leprae.

Q. Utrum Episcopus possit concedere facultatem egrediendi non solum ob tres allatas caussas, sed etiam ob consimiles?

R. Litigium inter DD. tamen videtur verosimilius, quod possit, quia licet in laudata Bulla Pii V. habeatur dictio taxativa, *nisi* tamen usu receptum est ob alias consimiles caussas concedi posse exeundi facultatem.

Q. Monialis, quae ob justum caussam obtinuit licentiam egrediendi, cessante caussa num teneatur reingredi?

R. Maxime, immo statim ad hoc tenetur, uti decernitur a Pio V.

§. VIII. *De poenis contra violantes Clausuram per ingressum*

Q. Quibus personis Ecclesiastica lege sit interdictus ingressus in Monasterium Monialium?

R. Omnibus cujuscumque generis, aetatis, conditionis, et status, uti patet ex cap. *Periculoso*, et ex Conc. Trid. sess. 25. cap. 5.

Q. Num introducentes pueros, et puellas ante usum rationis in Monasterium Monialium incidant in censuram?

R. Quamvis ex communi Theologorum suffragio in Tridentina Synodo non comprehenduntur pueri ante usum rationis, tamen ex decretis Sacrae Congreg. incurrunt introducentes: imo Abbatissa, quae hoc permittit, privatur officio, et voce passiva: et tanto magis hoc dicendum de amentibus. Vide Luc. Ferr.

Q. In quam poenam incidant violantes clausuram Monialium per ingressum?

R. In excommunicationem nemini reservatam, uti patet ex Trid. cit. sess. Si vero violetur clausura ob malum finem, in excommunicationem Papae reservatam, quae est specialis mentionis, uti ex decr. Clementis VIII. Si denique non ob malum finem, sed ex praetextu facultatum jam revocatarum, incurritur in excommunicationem Pontifici reservatam uti constat ex Bul. Greg. XIII. *Ubi gratia*. Quae quidem excommunicatio contrahitur etiam a Superioribus Monasterii, si ingredi faciant, vel permittant aliquem praetextu facultatum, et praeter excommunicationem incidunt etiam in privationem officiorum, et inhabilitatem ad ea.

Q. Num Praelati Saeculares, vel Regulares in monasteriis sibi subjectis possint ingredi clausuram?

R. Maxime, sed in casibus tantummodo necessariis.

Q. Num incidant in aliquam poenam in casibus non necessariis?

R. Maxime, pro prima vice in interdictum ab ingressu Ecclesiae: pro secunda in suspensionem a munere pontificali, et a divinis, pro tertia denique in excomm. nemini reservatam, si sint Praelati Saeculares: si vero sint Regulares in camdem excomm, et privationem incurrunt ab omnibus officiis, et dignitatibus etiam pro prima vice.

Q. Confessarii Monialium quando, et quomodo possint ingredi clausuram?

R. Ex Const. Alex. VII. quae incipit *Felici* possunt cum licentia ingredi clausuram tantum ad ministranda Poenitentiae, Eucharistiae, et Extremae Unctionis Sacramenta tam Monialibus, quam aliis personis infirmi ibi degentibus, necnon ad commendandam animam agonizantium, et juxta declarationem Sacrae Congr. debent ingredi induti superpelliceo, et stola, atque sic ibi morari, sed circa hoc standum est consuetudiui

Q. Num qui cum licentia in monasterium ingreditur, graviter peccet, et excommunicationem incurrat, si finito negotio statim non egrediatur?

R. Non excusantur a gravi culpa si mora sit longa: si mora vero sit brevis per quadrantem scilicet, non peccat, nequidem venialiter, quia sic usus receptus est etiam apud viros timoratae conscientiae. In excomm. tamen non incurrit juxta probabiliorem sententiam, quia non dicitur clausurae violator, qui cum licentia ingreditur.

Q. Medici quando, et quomodo possint clausuram ingredi?

R. Ordinarius potest ingredi etiam de nocte casibus urgentis necessitatis ex licentia renovata in singulis trimestibus: debet tamen associari a duabus Monialibus senioribus: ita ex decr. S. Congr. Extraordinarius vero non potest ingredi ad libitum Monialium, sed tantum in defectu ordinarii, vel quando cum ordinario habendum est collegium.

Q. Quinam possint facultatem ingrediendi Monialium monasteria concedere?

R. Omnes illi, qui concedere possunt facultatem egrediendi e clausura, jus etiam habent concedendi facultatem ingrediendi.

Q. Quot conditiones requirantur ad licentiam ingrediendi claustra Monialium?

R. Duae conditiones requiruntur. Prima est, ut licentia sit specialis, idest ut in specie contineat facultatem ingrediendi: sic praescribitur in Cap. *Periculosum, nisi specialis licentia*, altera, ut scriptis detur, nisi periculum sit in mora: ita statutum est a Trid. sess. 25. can. 5.

Q. Estne valida licentia ad ingrediendum obtenta, quando est generalis quoad personas, licet sit specialis quoad caussam ingressus?

R. Litigium inter DD. Sunt qui dicunt valere, quia revera est specialis: sunt qui negant (quorum sententiae ego adhaereo cum D. Ligorio) quia jus exquirit licentiam specialem, non tantum ut sciatur ministerium ingredientium, sed etiam qualitates personarum, si sint viri probi, maturae aetatis similia.

Q. Quaenam caussa requiratur ad hanc licentiam concedendam?

R. Requiritur necessitas, ut praescribit Trid. citato cap. 5. sess. 25. quae quidem necessitas debet esse ex parte ipsius Monasterii, non vero ex parte extraneorum, nisi Jus divinum, aut Naturale aliud suadeat.

Q. Haec necessitas stricte, an late sumenda sit?

R. Late, intelligitur enim necessitas moralis, nempe quaecumque caussa rationabilis, sive probabiliter justa: ita communiter.

§. XI. *De aliis Monialium praecipuis obligationibus.*

Q. An, et quo jure teneantur Moniales recitare horas canonicas?

R. Teuentur, si sint ex deputatis ad chorum, et tenentur sub gravi publice in choro officium divinum persolvere, non ex aliquo praecepto, sed ex antiqua Ecclesiae Consuetudine ubique recepta, et ex statutis fere omnium Religionum, ut colligitur ex Clem. *De celebr. Miss.* cap. *Dolentes.*

Q. An, si Monialis, utpote legitime impedita choro non intersit, teneatur etiam privatim horas canonicas persolvere?

R. Maxime, et etiam sub mortali: ita ex ipsa Consuetudine.

Q. An Moniales choristae teneantur recitare extra chorum officia, quae pro benefactoribus solent certis diebus recitari in choro, si a choro absint?

R. Minime, et quidem etiam si dicta officia recitari debeant ex obligatione justitiae: hoc enim est onus afficiens communitatem, non vero singulas; et a Gavanto affertur etiam decretum S. Congreg. Rituum, ubi sic fuit decisum.

Q. Monialis ad chorum non deputata ad quid teneatur?

R. Tenetur ad praeces sibi loco officii impositas, sed non sub gravi: quia haec obligatio non oritur ex consuetudine, sed a regula, quae communiter quoad hoc, non obligat ad culpam gravem.

Q. Moniales tenenturne deferre habitum, et tonsuram?

R. Tenentur deferre habitum, et tonsuram: habitum quidem portare tenentur in omni occasione, ita ut facientes oppositum peccent: ita ex Cap. 2. *Ne Clerici, vel Monachi:* immo Monialis dimmittens temere habitum suae professionis excomm. incurrit ipso facto; ad quam incurrendam requiritur, 1. ut dimissio habitus sit facta animo occultandi statum 2. scientia, aliter ignorantia etiam crassa ab ea incurrenda excusaret: quoad tonsuram patet ex Clem. *Attendentes* De statu Monachorum.

Q. An Moniales teneantur ad Sacramentorum frequentiam?

R. Ex dispositione Conc. Trid. Sess. 25. *De Regul.* et Monialib. cap. 10. Moniales debent saltem semel singulis mensibus confiteri, et sacram Eucharistiam sumere: ad hoc tamen, ut communis docent DD. tenentur ex consilio, non vero ex praecepto, quia Concilium in cit. cap. utitur verbo *admoneantur.*

Q. Ad quid teneatur Abbatissa speciatim?

R. Tenetur sub lethali abusus, et relaxationem regulae impedire, et si possit introductos extirpare.

§. X. *De velo consecrationis Monialium*

Q. Quotuplex sit velum Monialium?

R. Multiplex: velum probationis, quod datur a principio novitiae, et solet esse album, velum professionis, quod datur in actu professionis foeminae sive sit virgo, sive sit vidua, Religionem profitentis: velum ordinationis, quo decoratur Monialis ordinanda in Diaconissam: velum praelationis, quod dabatur Abbatissis: velum continentiae, quod viduis professis tantum imponitur: velum consecrationis, quod datur virgini professae.

Q. An omnes hae veli species sint hodie in usu penes Ecclesiam?

R. Minime, sed tantum velum probationis, professionis, et consecrationis: de quo aliqua sunt dicenda.

Q. Quaenam praerequiratur in Moniali ut possit licite velum consecrationis recipere?

R. Plura: 1. ut sit virgo, uti habetur in Cap. *Devotis*. 2. ut expleverit XXV. annum, siculi in cap. *Placuit* statuit Concilium Carthaginense; 3. ut sit professa in Ordine approbato, 4. ut non sit ex Ordine Mendicantium: uti declaravit Sacra Ep. Congr.

Q. Quare Monialis debeat esse virgo, ut consecrationis velum accipiat?

R. Quia hoc velum repraesentat conjugium spirituale Christi, et Ecclesiae quoad integritatem: quae quidem integritatis significatio plene potest esse tantum in continentia virginali.

Q. A quo sint Moniales velandae?

R. Ab Episcopo: solus enim Episcopus, cui committitur cura Ecclesiae, virgines desponsat, non sibi, sed Christo, quasi sponsi paranymphus, et amicus: ita D. Thom. 4. dist. 4.

Q. Virgo per vim oppressa debetne se abstinere a velo consecrationis, sive res sit occulta, sive sit notoria?

R. Si virgo est certa, se nullo modo delectationi isti consensisse, et res est omnino occulta, videtur posse consecrari: uti putat Lessius. Nec obstat decretum Leonis Papae, quo hortantur hujusmodi virgines contaminatae ad non se virginibus copulandas; nam Pontifex loquitur, quando res est notoria: tunc enim ob suspicionem consensus, et indecentiam non sunt velandae.

Q. An idem dicendum, si virgo in sui deflorationem consenserit, et ejus corruptio sit etiam occulta, ita ut integra adhuc apud omnes aestimetur?

R. Minime, sed debet se a velo abstinere, aliter peccat, si petat, et accipiat consecrationem, corruptionem suam dissimulans: ita comm.

Q. Quid si absque scandalo, vel sui infamatione non possit haec corrupta a consecratione se abstinere?

R. Juxta multos potest haec Sanctimonialis professa consecrationis velum non quidem petere, sed oblatum acceptare, nec mendacium ista profert, dum interrogata ab Episcopo de carnis integritate respondet se esse virginem, intelligendo se talem esse juxta communem hominum aestimationem.

Q. An Monialis, quae per voluntariam seminis effusionem polluta est integro tamen remanente claustro, possit velum consecrationis accipere?

R. Ista licet coram Deo virgo incorrupta non sit, neque virginitatis laureolam in coelo habitura; quia tamen claustrum virginitatis illaesum adhuc servat, videtur posse licite velum consecrationis accipere; tum quia Ecclesia requirit solam carnis integritatem, ut habetur in Pontificali Romano tum quia apud homines virgo censetur.

Q. An Episcopus, cui soli lapsus Monialis corruptae est notus, possit, et debeat eam repellere, si ad eam consecrandam vocetur?

R. Distinguitur: vel Episcopus illam notitiam ex confessione habet, et non potest, neque tenetur, cum id fieri non possit absque fractione sigilli

Sacramentalis: vel id scit extra Sacramentum, per secretam scilicet revelationem ipsius Monialis, tunc, si aliquo colore se excusando nullum subsit periculum scandali, nullamque afferat Moniali infamiam, potest se subtrahere ab illo munere, sin aliter non potest, nec tenetur eam repellere, quia ex justitia tenetur servare secretum. Hinc potest illam consecrare, mutato tamen inter consecrandum nomine virginitatis in nomen castitatis, vel continentiae, ita D. Thom. in 4. dist.

Q. Quid si adstantes per hanc vocis mutationem intelligant, Monialem consecrandam non esse virginem, quomodo in casu se gerere debeat Episcopus?

R. Juxta Navarrum potest pronunciare verba consecrationis, quae virginitatem sonant, accipiendo illa intra mentem tamquam significantia castitatem; vel juxta alios intelligendo illam esse virginem juxta communem hominum aestimationem.

§. XI. *De canonica electione Abbatissae*

Q. Ad quem spectet electio Abbatissae?

R. De jure communi spectat ad Monasterium, cui ea praefici debet: uti colligitur ex cap. *Indemnitatibus* de electione in 5. et ex Concil. Trid. sess. 25. *De Regul.* cap. 6. et 7. Dixi de jure communi, quia hac in re servari debent singulorum Ordinum, seu Monasteriorum Constitutiones.

Q. Quid requiratur in Moniali ad hoc, ut eligi possit in Abbatissam, vel Priorissam?

R. Requiritur, et Monialis eligenda sit professa, ut non sit minor 40. annis, et ut 8 annis post professionem laudabiliter vixerit in Monasterio: sic decidit Conc. Trid. sess. 25. *De Regul.* cap. 7.

Q. Quid faciendum, si desit in Monasterio, quae talem aetatem habeat?

R. Ex eodem Concilio habetur, quod possit eligi Monialis habens triginta annos, et quinque professionis, vel alia ex alieno monasterio ejusdem Ordinis, et etiam alieni Ordinis, sed hoc nonnisi cum assensu Sacr. Congreg.

Q. Quaenam Moniales non possint eligi in Abbatissas?

R. Illegitimae, infames, corruptae, et viduae, nisi corruptio fuerit occulta, ex decl. Sacr. Congr. item neque caecae, neque surdae, et mutae: vide D. Ligorium.

Q. An electio Abbatissae fieri debeat per vota secreta?

R. Maxime, ita ex decret. Conc. Trid. in cit. sess. 25. *De Regul.* cap. 6. Notandum, quod si qua Monialis est in lecto infirma, ejus votum etiam est recipiendum, vel scriptum sigillo munitum, vel per duas Moniales a Praesidente electionis deputatas: uti decrevit Sacr. Congr. sicut notat. Nat. de Alex.

Q. Quae requirantur in Monialibus, ut possint concurrere ad electionem Abbatissae activam?

R. Requiritur ut sint professae, et choristae; conversae enim non admittuntur ad electionem Abbatissae.

Q. Quinam debeant praesidere electioni Abbatissa?

R. In Monasteriis non exemptis, vel sedi Apostolicae submissis praesi-

det Episcopus vel per se, vel per suum Vicarium: in exemptis vero Praelatus Regularis una cum Episcopo ex Const. Greg. XV. *Inscrutabili.*

Q. An, et a quo debeat confirmari Abbatissa electa?

R. Si Monasterium sit immediate subjectum Sedi Apost. Abbatissa recens electa confirmanda est a Pontifice (idque per procuratorem). Si autem Ordinario, ab Ordinario: si vero Praelato Regulari, ad ipsum Praelatum spectat confirmatio.

Q. Ad quantum tempus fieri debeat electio Abbatissae?

R. Debet fieri solum ad triennium, ex decr. Greg. XIII. *Exposcit*: alias electio est nulla. Neque in Vicariam eligi potest, si forte nova Abbatissa deficiat, quia praecipit Pontifex, ut abbatissa anterior per triennium omnī prorsus careat auctoritate.

§ XII.

De Educatione

Q. An puellae recipi possint in monasteriis monialium educationis gratia?

R. Maxime, uti patet ex pluribus decretis Sac. Cong. Episcop., et Reg. et signanter in *Hieracensi* 31. Augusti 1575.

Q. An omnia Monasteria possint puellas ad educationem recipere?


R. Minime, sed ea tantum, in quibus adest Consuetudo. Monasterium enim, in quo vel non viget Consuetudo, vel expresse est ei prohibitum, non potest ad educationem puellas admittere: ead. S. Cong., et signanter in *Parmen.* 31. Octob. 1613.

Q. Quaenam conditiones requirantur, ut puellae educandae in monasteria recipiantur?

R. Plures 1. ut puellae in Monasterio habitent in loco separato tam a dormitorio monialium et novitiarum, quam a loco, in quo ipsae moniales vacare solent operibus manualibus: dicta S. Cong. in *Novarien.* 1. Junii 1595. 2. ut quaelibet suum lectum separatum habeat: ead. S. Cong. in *Camerin.* 16. Martii 1593. 3, ut non recipiantur, nisi de expressa licentia Sac. Congregationis: ead. Sac. Cong. in *Hieracensi* 31. Aug. 1573. et hoc sub poenae violatae clausurae. 4, ut adsit consensus Superioris, et monialium per secreta suffragia: dicta S. Cong. in *Derton.* 27. Maii 1607. 5. ut quaelibet recipiatur sola, sine ancilla: ead. S. Cong. in *Neapolitana* 12. Martii 1619. 6, ut puellae utantur vestitu, qui virginali modestiae, et pudicitiae convenit: ead. S. Cong. in *Hierac.* 31. Aug. 1575. 7, ut puella educanda septimum expleverit annum, nec sit major viginti quinque annis: ead. S. Congreg. in dicta *Dertonensi* 27. Maii 1607. 8, ut pro dictis puellis alimenta solvantur quolibet semestri in pecunia anticipata: in dicta *Dertonensi.*

Q. An licentia pro admissione puellae educandae in Monasterio intelligatur concessa moniali particulari.

R. Minime: licentia enim recipiendi in educationem conceditur solum Monasterio in communi, non vero monialibus particularibus: ita decrevit ead. S. Cong. in *Placentina* 28. Febr. 1514.



Q. Post obtentam licentiam requiriturne consensus Episcopi, ut puella educanda in Monasterio recipiatur?

R. Vel Monasterium est Ordinario subjectum, et ejus consensus requiritur: vel est Regularibus subjectum, et non requiritur, quando S. Congregatio licentiae executio Ordinario non commiserit; ita ead. S. Cong. *Cremon. Terrae Soncini* 1. Septemb. 1690.

Q. An prohibitum sit in eodem Monasterio recipere plures sorores, quam duas?

R. Minime, sic decrevit ead. S. Congreg. in *Iserniensi* 11. Januarii 1622: prohibitio enim est non de educandis, sed tantum de admittendis ad professionem.

Q. Puellae educationis gratia in Monasterio introductae utrum teneantur ad clausuram instar monialium?

R. Maxime, ita ut egredi e monasterio absque licentia non sit eis permissum: ita communiter.

Q. Puella a Monasterio egressa absque superioris licentia num incurrat excomm. violatae clausurae?

R. Minime, licet alii contrarium sentiant: jura enim indicentia clausuram sub excomm. loquuntur de solis monialibus tacite, aut expresse professis.

Q. Puella educanda si nubere velit, num possit ad crates Monasterii sponsalia inire?

R. Minime, et Abbatissa, quae sponsalium instrumentum cum educanda fieri permittit ad crates, deponitur ab officio, voceque activa, et passiva privatur: dicta Cong. in *Placentina* 13. Januar. 1635. Ordinarius autem habita notitia, quod educanda contraxerit sponsalia, debet eam a clausura dimittere, ita decrevit ead. Cong. in *Assisien.* 20. Septemb. 1599.

Q. Danturne alii casus, in quibus educanda sit dimittenda?

R. Maxime, et 1. dimittendae sunt puellae, si sine facultate speciali receptae sint ante septimum annum completum, vel si compleverint annum XXV. uti pluries decrevit S. Cong. et signanter in *Campanien.* 11. Decemb. 1648; 2. si alimenta non solvant: ead. Cong. 11. Decemb. 1648; 3. si detegantur energumenae: dicta Cong. *Ferrariens.* 12. Jan. 1612; 4. Si gravidae detegantur et multo magis si pariant: ead. S. Cong. in *Mediolan.* 10. Feb. 1651.

Q. Cogentes puellam ad ingressum Monasterii caussa educationis num peccent?

R. Vel puella est impubes, et potest licite cogi ab omnibus, qui habent in eam potestatem dominativam. Si vero est pubes, et cogentes peccant, etiamsi sint parentes, quia non potest puella cogi ad tam arctam, et rigidam custodiam, nisi ob aliquam circumstantiam talis ingressus censeatur moraliter necessarius ad custodiam puellae.

Q. Dato, quod peccent cogentes puellas puberes ad ingressum Monasterii, num incidant in excomm. a Trid. latam contra cogentes ad Monasterium?

R. Litigium est inter DD. Sed videtur probabilior sententia affirmativa; nam per illum ingressum datur occasio, ut postea puella Monasterium ingressa suscipiat habitum involuntarie.

Q. Quid si aliqua educanda in Monasterio aegrotet cum periculo vitae, an possit testari, si velit?

R. Maxime, et Ordinarius concedere debet licentiam Notario, et testibus ingrediendi clausuram sic declaravit S. Cong. Cardinalium 1595.

Q. Ubi erit sepelienda, si decedet?

R. Quamvis de hac re in diversas abierint Theologi sententias, tamen novissime fuit quaestio resoluta a S. Congreg. Concil. in *Feretrana* 11. Apr. 1742. quae definivit, educandas decedentes in Monasterio, non sibi electa sepultura, sepeliendas esse in Paroecia, sub qua situm est Monasterium, si non habeant sepulchrum majorum: sed si elegerint sepulturam in monasterio, posse ibi sepeliri.

Q. Quid si aliqua ex educandis velit postea ad habitum Religionis transire, num possit ad illum admitti sine alio requisito?

R. Minime, sed requiritur consensus denuo Superioris, et monialium per secreta suffragia, uti pluries ead. S. Cong. decrevit, et signanter in *Placentina* 6. Febr. 1615. Insuper requiritur, ut Episcopus, vel ejus deputatus exploret, an coacta, vel seducta sit, an sciat quid agat, juxta Trid. sess. 25. *De Regul. et Monial.* cap. 17, et hoc est servandum etiam in Monasteriis Regularibus subjectis, uti saepius declaravit S. Cong. Concil. et signanter die 13. Nov. 1627.

Q. An mulieres nuptae, viduae, vel famulae possint in Monasteriis monialium recipi?

R. Mulieres nuptae, et viduae, quae volunt permanere in habitu laicali, nequeunt, nec etiam de licentia Ordinarii in Monasteria introduci. Famulae vero, seu ancillae possunt de sola licentia Ordinarii; sed tantum in casu necessitatis, et in obsequium ipsius Monasterii, non vero pro servitio alicujus monialis particularis: ex pluribus decretis S. Cong. Episc. et Reg. et signanter in *Neapolitana* 12. Aug. 1585.

Q. Utrum educandae possint licite ad crates Monasterii musicam, seu cantum figuratum addiscere?

R. Minime, uti ead. S. Cong. decrevit. Immo in nostra Dioecesi adest poena excomm. ferendae sententiae non solum contra educandas, sed etiam contra permittentes facultatem hunc cantum in Monasteriis degentes edocendi: ex nostra Syn. *De Sanctimon.* part. 4. n. 5.

§ XIII.

Quoad ea, quae respiciunt Confessariorum approbationem pro Monialibus

Q. Confessarius generaliter approbatus in dioecesi possit valide audire confessiones monialium sine alia approbatione?

R. Minime, sed requiritur specialis approbatio ab Ordinario loci, sive Monasteria subjecta sint sibi, sive regularibus: ita statutum est a Clem. X. in Const. *Superna*, et a Greg. XV. in Const. incipiente *Inscrutabili.*

Q. An ipsi Praelati Regulares, Generales, vel Provinciales indigeant approbatione Episcopi pro excipiendis confessionibus monialium, quae sub gubernatione eorum existunt?

R. Minime, nam sunt veri Parochi earum monialium, ideoque habent circa eas jurisdictionem ordinariam. Sic videtur definitum, contra alios contrarium sentientes, a Bened. XIV. in Bulla *Pastoralis officii.*

Q. Num Confessarii ab Episcopo approbati ad audiendas confessiones monialium unius Monasterii censeantur approbati pro monialibus alterius Monasterii?

R. Minime, uti patet ex cit. Const. *Superna* Clem. X., nec semel approbati censentur semper approbati. Excipitur tamen tempus Jubilaei, in quo possunt moniales Confessarium eligere ad audiendas earum confessiones, etiam semel approbatum ab Ordinario pro monialibus, nisi consiet eumdem Confessarium fuisse postea ob demerita ab eodem Ordinario positive reprobatum: uti colligitur clare ex decr. Sacrae Poenitentiariae.

Q. Confessarii extraordinarii approbati pro una speciali moniali possuntne excipere confessiones plurium monialium, saltem ejusdem Monasterii?

R. Minime, uti patet ex eadem cit. Bul. *Superna*; nam toties debent ab Episcopo approbari, quoties casus deputationis contigerit.

Q. Quot confessarii deputandi sint ad excipiendas monialium confessiones in singulis Monasteriis?

R. Duo deputandi sunt, quorum unus, qui dicitur ordinarius, excipere debet confessiones totius communitatis: alter deputandus est ab Episcopo, vel ab aliis Monasteriorum Praelatis duobus, vel tribus vicibus in singulos annos, qui omnium confessiones audiant, et hic dicitur extraordinarius: ita ex decr. Trid. sess. 25. cap. 10. Et quamvis Concilium in citat. decr. loquatur de solis monialibus claustralibus, Clemens XI. hortatur Antistites, ut hanc disciplinae formam observent etiam cum aliis monialibus, qui clausurae legibus minime adstrictae sunt.

Q. An moniales omnes ex decr. Trid. teneantur Confessario extraordinario confiteri?

R. Minime, nam idem Concilium declarat, confessarium extraordinarium excipere debere confessiones earum, quae eidem confiteri velint. Ab omnibus tamen, tam scilicet a Priorissa, ceterisque Professis, et Novitiis, quam a saecularibus in eodem Monasterio degentibus requirit, ut singulae extraordinario Confessario se sistant, sive ad confessionem, si placuerit, sive ad salutaria monita, etiam extra confessionem accipienda.

Q. An Episcopi, aliique Rectores Religiosarum possint concedere Confessarium extraordinarium pro moniali particulari?

R. Possunt ex aliqua speciali ratione, uti nonnulla decreta S. Cong. id confirmant, et approbant: immo etiam singulis monialibus, ut enixe hortatur, et monet Bened. XIV. in cit. Constit. *Pastoralis*, ut Praelati monialium non adeo difficile praebeant confessarium extraordinarium peculiaribus monialibus illum petentibus, quia haec indulgentia potest ad illarum conscientiae quietem multum conferre.

Q. Quanto tempore Confessarii monialium durare possint in quolibet Monasterio in excipiendis confessionibus?

R. Confessarius ordinarius durare potest solum triennio, quo elapso non potest amplius audire confessiones in eodem Monasterio absque licentia S. Congreg.; aliter declarantur suspensi ab audiendis confessionibus. Extraor-

dinarius vero pro communitate potest deputari a superioribus quolibet anni tempore.

Q. Quot dotes habere debeat Confessarius monialium, ut rite fungi possit munere suo?

R. Tres praecipue in eo requiruntur dotes, scilicet singularis prudentia, maxima pietas, et peculiaris scientia.

Q. Quare singularis prudentia exigatur in Confessario monialium?

R. Quia illa solum, quam ordinarie Confessarius adhibet in excipiendis aliorum confessionibus, non sufficit, sed maxima ipsi prudentia, et circumspectio necessaria erit tum in interrogationibus faciendis, ne malum, quod ignorant moniales, ex iis addiscant, tum in applicandis remediis, ne propter ista quae sunt occulta, fiant manifesta, tum in modo se gerendi, ut vitet suspicionem nimiae familiaritatis, aut acceptionis personarum, tum denique in conservanda pace, et caritate inter ipsas moniales.

Q. Quaenam maxima in ea pietas requiratur?

R. Cum ad ipsum pertineat, ut moniales ad perfectionem, ad quam vi suae perfectionis obligantur, continuo tendant, debet ideo tam sibi bonus esse, praeditusque christianis virtutibus, et in oratione exercitatus, ut sic moniales in viam perfectionis dirigere facile possit.

Q. Quaenam peculiaris scientia ipsi sit necessaria?

R. Praeter ea, quae scire debet quilibet Confessarius, tenetur insuper scire praesertim, qualiter moniales instruendae sint in via spirituali, et ad quid obligent singula Religionis vota.

§. XIV.

De Novitiatu

Q. Quare fuerit institutus Novitiatus?

R. Fuit institutus, ut Religio probet mores Novitiae, et Novitia austeritatem Religionis, ut expresse habetur cap. *Apostolicam, de Regularibus*, et cap. *Is, qui Monaster um.*

Q. A quo die incipere debeat annus Novitiatus?

R. Annus probationis sive in masculis, sive foeminis incipit solum a die susceptionis habitus, sive ab eo, quo in habitu Religiosarum Novitiae incipiunt sequi communem aliarum Religiosarum vitam. Sic expresse statuit Concil. Trid. cap. 15. *De regularibus.*

Q. Pro admittenda puella ad unnum probationis quaenam aetas requiratur?

R. Quamvis in jure nulla reperiatur statuta praecisa aetas, tamen si puella velit esse formaliter Novitia ante 15. annum expletum requiritur licentia Sacrae Congregationis, uti in una *Perusien. 5. Novem. 1602.* Hinc sequitur quod admittenda sit post annum 15. completum.

Q. Num peccent, qui vi, fraude, et metu compellunt puellam ad inchoandum Novitiatum?

R. Affir., et quidem mortaliter peccant juxta omnes, et incurrunt etiam excommunicationem ex Trid. sess. 25. cap. 18. *De regul.* Novitiatus enim debet sponte, et libere suscipi.

Nota Novitiatus a puella per vim, vel fraudem susceptus non irritatur a jure, uti est irritus, si simoniace, aut immatura aetate susceptus fuisset. Hinc si puella, quae incoepit Novitiatum per vim, vel per fraudem, in fine autem anni omnino sponte profiteatur, vere perfecit Novitiatum praemittendum.

Q. Receptio puellae in Novitiatu ad quem pertineat?

R. Jure communi pertinet ad Praelatum et Monasterium simul, ita ut nec Praelatus sine Monasterio, nec Monasterium sine Praelato possit ad Religionem aliquem recipere, ut habetur expresse in cap. *Novit. 4. De his, quae fiunt a Praelato sine consensu Capituli.* Tamen regulariter est attendendum ad Constitutiones, consuetudines, et privilegia cujuscumque religionis, prout aperte habetur in cap. fin. *De regul. in VI.*

Q. Quid si Novitia in aliqua Religione recipiatur a non habente auctoritatem secundum suas peculiares leges seu Constitutiones, valida an nulla habenda sit receptio?

R. Receptio in tali casu est nulla, et Novitia potest a legitimis superioribus spoliari, et a Religione dimitti ut colligitur ex cit. §. *De his quae fiunt.*

Q. Novitiae tenentur ne ad statuta, et praecepta Regulae?

R. Ex debito justitiae non tenentur, quia nondum sunt proprie Religiosae, ut dicitur expresse in cap. *Religioso 21. de senten. excom. in VI*; nam obligatio observandi Regulam ex debito justitiae nascitur ex voto, et professione. Tenetur tamen ex quadam decentia, tum quia earum probatio id exigit, tum quia dignum est, ut quae similem cum aliis vitam suscipiunt, similem sentiant in legibus disciplinam, ut expresse dicitur in cap. *Recolentes* 3. vers. *Si enim de statu Monachor.*

Q. An Novitiae gaudeant privilegiis Religionis?

R. Affir. juxta communiorem sententiam; eo quod in favorabilibus reputentur ut Religiosi: immo Salmanticenses id extendunt etiam ad proxime vestiendas, quae jam sunt in Monasterio, et ad vestitionem se disponunt per spiritualia exercitia; nam ex L. penult. D. *D. multis testam.* in favorabilibus *promixe accingendus, habetur pro accincto.*

Hinc gaudent etiam privilegio Fori, et Canonis cap. *Religioso* 20. §. *Quamvis de senten. excom. in* IV. Indulgentiis, quibus gaudent Professi etc.

Q. Num annus probationis debeat esse integer, et continuus?

R. Affir. integer debet esse a puncto ad punctum; ita ut professio facta nondum completo anno, etiam per modicum tempus esset nulla: debet esse continua, ita ut Novitia, si animo deserendi Religionem e monasterio, exeat etiam per duas solas horas, teneatur renovare annum probationis, uti ex Decr. Sacr. Congr.

Q. Quid si Novitia exeat e monasterio infirmitatis caussa.

R. In hoc casu annus probationis etiam interrumpitur, et tenetur iterum incipere annum, ut colligitur ex variis Sacr. Congr. decretis.

Q. An Novitiae in articulo mortis existentes, etiam anno Novitiatus non completo, si sint in aetate legitima, possint professionem emittere?

R. Affir. Sic expresse concessit S. Pius V. Novitiis Monialium S. P. Dominici, Const. incip. *Summi Sacerdotis cura*: qua concessione gaudent per communicationem etiam Novitiae aliarum Religionum. Si tamen con-

valuerunt, debent suo Novitiatu completo iterum profiteri. Sic censuit *Sac. Cong. Concil. in una Ordinis S. P. Francisci Minor. de Obser.* die 20. Martii 1649.

Q. An Moniales, quae per denegationem suffragii absque legitima caussa concurrunt ad expulsionem Novitiae e Monasterio, peccent ?

R. Affir., et quidem graviter, ob gravem injuriam, quam faciunt tum Religioni eam privando idonea Religiosa, tum Novitiae, quae peracto probationis anno, et habilis reperta jus habet ad Religionem. Sicuti etiam peccant graviter moniales admittentes per sua favorabilia suffragia ad Religionem Novitiam certo cognitam inhabilem, quia deplorabile praejudicium per talem admissionem inferunt Religioni.

Q. Per quanti temporis spatium possint Ordinarii, vel Praelati Monialium prorogare professionem post annum probationis ex rationabili caussa?

R. Concilium Trid. sess. 25. cap. 16. *De Regul.* praecipit, ut Novitii, et Novitiae habiles repertae, finito anno Novitiatus ad professionem admittantur, vel e Monasterio ejiciantur. Hinc stante juxta caussa possunt Ordinarii, vel Praelati usque ad sex menses prorogare professionem, quibus elapsis si professio ultra est protrahenda, requiritur dispensatio Pontificis, uti decretum fuit a S. Cong.

§. XV.

De aliquibus casibus in nostra dioecesi reservatis relate ad moniales.

Q. Moniales, quae occasione officiorum faciunt de proprio expensas vel ante, vel post suscepta officia, num incidant in aliquam poenam?

R. Maxime: incidunt in excommunicationem Ordinario nostro reservatam: in quam incidunt etiam moniales in Conservatoriis, et in Oblatarum domibus degentibus, uti colligitur ex nostra Synodo pag. 193. n. 25.

Q. Utrum monialibus interdictum sit personas quascumque utriusque sexus in Ecclesias invitare, praetextu alicujus festivitatis, et functionis ?

R. Maxime : et contra facientes incurrunt etiam excommunicationem Ordinario nostro reservatam: quae excomm. contrahitur etiam a qualibet persona, sive laicus sit, sive ecclesiasticus, cujus opera invitationes fiunt: ita statutum, est in nostra Synodo pag. 125. n. 4.

Advertendum, quod isti casus, invitationes scilicet, et expensae non continentur in generali concessione absolvendi a casibus ab Ordinario reservatis; sed indigent speciali concessione, uti patet ex decl. ejusdem Synodi pag. 73. n. 38.

Q. Num loquentes sine licentia nostri Ordinarii, vel ejus Vicarii cum aliqua in Monasteriis degente peccent, et incidant in aliquam poenam ?

R. Maxime, et quidem graviter peccant, et incidunt in excomm. Ordinario nostro reservatam, sive locutio sit de indifferentibus, sive de obscoenis: uti patet ex casu quinto in nostra tabella.

Q. Num adsit aliquod discrimen inter ambas hasce locutiones, quae in hoc nostro Synodali statuto prohibentur ?

R. Maxime, nam a locutione de indifferentibus eximuntur consanguinei in primo, et secundo gradu, uti constat ex verbis casus: eximuntur mulieres, et qui loquuntur cum monialibus ad breve tempus: secus dicendum de alloquentibus cum monialibus de obscoenis. 2. Locutio de indifferenti re comprehendit loquentes tantum cum commorantibus in monasteriis, et de obscoenis etiam in conservatoriis, et collegiis. Prima agit de loquentibus, secunda de agentibus etiam coram eisdem. Prima respicit tantum praesentes; secunda etiam agentes per litteras, et internuncios, et non solum comprehendit mittentes, sed easdam daferentes, licet in eodem Monasterio commorantes, modo litterae pervenerint ad quam missae sunt. Denique excommunicatio per locutionem de re indifferenti cum moniali non est specialiter nostro Ordinario reservata, at illa, in quam incidunt loquentes de obscoenis, est specialiter Ordinario reservata, uti constat ex decl. 1. ejusdem Synodi.

Q. Num Regulares, et Peregrini hujus statuti sanctione, ac poena teneantur?

R. Maxime, quia in hoc statuto Ordinarius se gerit uti sedis Apostolicae Delegatus, ideoque ad istud servandum omnes tenentur.

Q. An Regulares possint saltem alloqui moniales sibi conjunctas sine Ordinarii licentia?

R. Minime, ita ex Decreto Sacrae Congregationis. Immo Episcopus non potest concedere licentiam, nisi sint Regulari conjunctae in primo, vel secundo tantum consanguinitatis gradu, et quater dumtaxat in anno pro die, et hora certa, et extra Adventum, et Quadragesimam, Feriam Sextam, Sabbatum, Vigilias, et dies festos. Quae licentia subscribi debet etiam a Superiore Regulari pro monialibus sub Regularium gubernio existentibus, item registrari, et Confessario consignari, qui assistat cum auscultatricibus. Ita expresse *Sac. Cong. Episc. jussu Urbani VIII. 12. Kalen. Decembr. 1623:* in Decreto reformativo alterius Decreti Xysti V. editi Nonis Maii 1590, ubi prohibebatur Regularibus moniales alloqui sine expressa licentia ejusdem Sacrae Congreg.

Q. An Episcopus, vel alius Superior Ordinarius concedere valeat Regularibus quibuscumque etiam non conjunctis in primo, et secundo gradu, licentiam alloquendi moniales.

R. Licet sint qui affirmative sententiae adhaerent, hoc praesertim ducti motivo quod Sac. Cong. Concilii interpres anno 1669, et an. 1672 statuit Regulares, qui moniales alloquuntur sine licentia Ordinarii peccare mortaliter, et puniendos esse ab eodem Ordinario; tamen probabilius cum aliis est dicendum, Episcopos, et locorum Ordinarios non posse absolute, et indiscriminatim licentiam Regularibus dare, cum in Decreto Sac. Cong. jussu Urbani VIII. vulgato expresse edicatur, Episcopos tantum pro conjunctis in primo, et secundo gradu licentiam posse concedere regularibus cum clausulis supra notatis, quod Decretum non fuit moderatum a posterioribus Decretis, uti adversarii autumant: nam in primo dumtaxat statuitur, quod Regulares absque legitima facultate alloquentes cum monialibus, aut aliis intra clausuram degentibus posse ab Ordinario coerceri, non quomodocumque, sed tanquam a Sedis Apostolicae delegato: in secundo autem, quod Regulares sine licentia Ordinarii colloquentes cum monialibus pec-

cent mortaliter, quod intelligendum est de Regularibus, qui absque licentia Episcopi monialis alloquuntur etiam in primo, vel secundo gradu sibi conjunctas, pro quibus datur Episcopis facultas concedendi licentiam.

Ceterum ubi legitma invecta est consuetudo, quod Episcopi absolute, et indiscriminatim Regularibus impertiantur facultatem, tunc dicendum, hanc sufficere, quia lex positiva humana etiam canonica potest a contraria consuetudine abrogari.

Q. An Regulare missi ad crates Monialium pro munere praedicationis obeundo, peccet graviter, et incurrant censuras, et poenas, si sine expressa licentia ad colloquendum immediate post concionem cum aliquibus, seu cum ua tantum, omnibus aliis audientibus, immisceant sermones cum quaestionibus, et dubiis spiritualibus, aut materiis ipsius concionis?

R. Affir. uti patet ex decreto Sac. Cong. S. R. E. Cardinalium Concilii Trident. Interpretum, die 21. Maii 1678.

Q. An Regulare etiam excusentur a peccato mortali, si ad breve tempus absque licentia cum monialibus alloquantur, propter materiae parvitatem?

R. Non obstante declaratione Sac. Cong. sub die 11. Maii 1669, adprobata a Clem. IX. d 7. Junii ejusdem anni, in qua expresse dicitur, Regulares peccare mortaliter, colloquendo etiam *per quodcumque modicum temporis spatium cum monialibus*, mea tamen sententia est, dari etiam pro Regularibus parvitatem materiae. Haec declaratio ita non est intelligenda, (ut mihi videtur), ut ac in re dari non possit parvitas materiae, quae etiam in plurus praeceptis legis divinae datur, sed per eam Sac. Congr. intellexit rejere, ac reprobare opinionem illorum, qui asserebant non esse interdictum Regularibus loqui cum monialibus usque ad quadrantem horae cum dimio. Quo circa reus minime foret peccati mortalis Regularis, qui unum, valterum verbum cum moniali, vel alia intra Clausuram degente profert.

Q. Quanti tempor spatium parvitatem materiae constituat, ut alloquens cum moniali evatur a poena?

R. Variant Theolog. Quidam extendunt hoc tempus usque ad horae quadrantem. Aliis vero hæc sententia non arridet, sed docent hanc materiae parvitatem constituere ucula verba; immo ab omni peccato foret immunis, si quis unum, vel alterum verbum cum moniali, vel alia intra clausuram degente proferret, aut urnitatis gratia, aut ob aliud rationabile motivum.

Q. Quid dicendum illo, qui impetrata licentia alloquendi cum una, cum aliis loquitur?

R. Iste, si data ope, et ex professo cum aliis loquitur, peccat. Nam hoc expresse a nostro Synodali statuto est interdictum, secus vero, si id fiat per accidens, atque urbanitatis caussa paucula verba non excedentia levioris materiae quantitatem in alia intermisceat.

Q. Quid sibi velit illa data opera, et ex professo cum aliis colloqui?

R. Ille dicitur data ope, et ex professo cum aliis alloqui, qui vel idcirco facultatem exquirit, ut in aliis postea possit colloqui, vel ex proposito voluntatis in id incumbat, scilicet ad colloquendum cum aliis, aut demum totum temporis spatium insumat, in loquendo cum aliis.

Q. An conjuncti in secundo, et tertio consanguinitatis gradu excusentur etiam ab observantia hujusce statuti?

R. Sunt, qui affirmant, quia lex ista, permittens consanguineis in primo vel secundo gradu consanguinitatis collocutionemcum monialibus, late est interpretanda, juxta regulam juris in 6. *Odit restringi, favores convenit ampliari*, idcirco extendenda est etiam ad conjunctos in secundo, et tertio gradu. At alii rectius negant. Qui enim in secundo, et tertio gradu sunt conjuncti, revera non possunt dici conjuncti in secundo, cum hic gradus dicatur secundus respectu ad stipitem, relate vero ad colloquentes, reipsa est tertius juxta regulam ex cap. fin. *De consang. et affin.*

Q. An colloquens cum moniali per fenestram suae domus aedibus Monasterii forte adjunctam, immunis sit a poena excommunicationis?

R. Rejecta contraria sententia uti improbabili, dico incurrere poenam excommunicationis. Nam casus noster non prohibet sub censura collocutionem cum adjecta clausula *accessus* ad aedes monasterii sed simpliciter inurit censura locutionem, quae principaliter, et per se primo prohibetur, accessus vero per accidens: finis enim hujusmodi accessus est collocutio, qua reddita impossibili, non est, qui desideret ad moniales accedere.

Nec etiam loquentes per signa, aut nutus, ut quidam autumarunt, effugient reservatae excommunicationis poenam. Etenim nutus et signa sunt locutiones quaedam factis peractae, et sufficienter significantes. Similiter qui loquitur cum moniali nihil respondente ex altera parte, neque enim colloquentibus tantum excommunicationis poena intenditur, sed etiam simpliciter loquentibus, non autem incurreret, si loquentem monialem audiret, et ipse taceret, ut docet Graffius tom. 1. de excom. n. 30.

Nec demum a poena inflicta evadent liberi, qui cum moniali loquuntur per interpretem praesentem: nam qui per interpretem loquitur, revera per seipsum loquitur.

Q. Licentiam concedere pro alloquentibus monialibus, et aliis personis intra clausuram degentibus ad quem spectet?

R. Tam pro monasteriis Episcopo subjectis vel Sedi Apostolicae, quam pro monasteriis exemptis, et Regularibus subjectis licentia a nemine potest dari sine adprobatione Episcopi, ut constat ex variis Decretis Sac. Congr. Episc. et Regul. relatis a Monacel. par. 1. tit. XI. formul. 19. n. 7. et 8.



TRACTATUS VI.

DE PRAECEPTIS DECALOGI

Iter ad Coelestem Patriam, ad quam tendimus, adimpletio est Praeceptorum Divinorum, ut ait Christus Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*: servare autem non possumus, quae nescimus. Ne proinde ab itinere nostro aberremus, horum mandatorum explanationem per necessariam esse nullus non videt, mihique debitum fuisse hic praebere. Sit ergo.

CAPUT I.

De Praeceptis Decalogi in communi

Q. Quid est Decalogus?

R. Decalogus vox graeca est, significans decem sermones, sive verba. Judaei simul, ac Christiani post Clementem Alexandrinum, qui omnium primus tali voce usus fuit *lib. 6. Stromat.*, Decalogum vocant decem illa praecepta Moysi divinitus tradita, quae omnia hominis sive ad Deum, sive ad Proximum officia complectuntur. Collet, Concina.

Hinc Decalogus Lex Naturalis est, et Divina: Naturalis, quatenus omnia praecepta juris naturae in Decalogo perstringuntur, vel tanquam principia, vel tanquam consectaria. Quare D. Augustinus quaest. 140. in Exod. *Decalogum Legum omnium summam, et Epitomen* appellavit. Divina autem, quia Deus illa praecepta dedit exterius, et ore suo Moysi; et ut populo Judaeorum traderet, eadem proprio digito scripsit in tabulis, Concina Proleg. 2. in Decal., Salmanticenses.

Decalogus ergo decem praecepta continet, quae fuere in duabus Tabulis consignata, quarum altera tria prima praecepta ad Deum spectantia concludebat, altera reliqua septem Proximum respicientia asservabat (1).

Q. Quosnam obligat Decalogus?

R. Omnes homines; nam Decalogus praecepta moralia continet, quibus omnes obnoxii sunt. Quare Christus Joan. cap. 15. ait: *Si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea.* Et Matth. cap. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Et interroganti, quae essent mandata servanda, respondit: *Non homicidium facies, non adulterabis, non furtum facies, non falsum testimonium dices, honora patrem tuum, et matrem*

(1) Cum Decalogus a Deo sit traditus, ut Lex Naturae in animis hominum ingenita quodammodo resculperetur, hinc quidquid ad ipsam pertinet, brevi veluti compendio in eo comprehenditur. Quamobrem Augustinus ad rem sapienter inquit (*quaest.* CXL. in *Exodum*): *Cum tam multa loquutus sit Deus, duae tantum tabulae dantur Moysi lapideae, quae dicuntur tabulae testimonii futuri in Arca. Nimirum omnia cetera, quae praecepit Deus, ex illis decem praeceptis, quae duabus tabulis conscripta sunt, pendere intelliguntur, si diligenter quaerantur, et bene intelligantur quomodo haec ipsa rursus decem praecepta ex duobus illis, dilectione scilicet Dei, ac proximi, in quibus tota lex pendet, et Prophetae.*

tuam. Hinc jure merito Concilium Tridentinum Sess. 6. cap. 12. can. 19. 20. et 21. anathemate percussit Lutherum, ejusque discipulos audacter docentes, decem Decalogi praecepta ad Christianos non pertinere. Concina.

Q. Qualis est Decalogi transgressio gravisne, an levis?

R. Per se gravis est, quia quaevis Decalogi transgressio avertit a Deo ultimo fine, destruendo caritatem, et justitiam. Dixi, *per se:* quia ex defectu deliberationis, vel ex defectu consensus, vel ex parvitate materiae (in iis tamen in quibus admittitur) potest esse levis. Salmanticenses.

An praecepta Decalogi possint dispensationi, vel mutationi esse obnoxia, vide in Tract. de Legibus art. 3.

Q. Praecepta Decalogi suntne homini observatu possibilia?

R. Maxime, nam *Deus impossibilia non jubet,* ait Tridentinum loc. cit., sed *jubendo monet et facere, quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat, ut possis.* Imo, et sunt observatu facilia. *Jugum enim* (ait Dominus Matth. cap. 11.) *meum suave est, et onus meum leve;* praestat enim ipse Deus ex infinita sua bonitate per Christum, gratiae adjutorium filiis suis, quo adjuti suae legi possint obedire, et lubenter. Danes, Collet. (1)

Q. Praecepta Decalogi quomodo distribuuntur?

R. In *affirmativa, et negativa. Affirmativa* sunt quibus bonum aliquod directe nobis praecipitur faciendum cujusmodi sunt tertium, et quartum: *negativa* autem sunt illa quibus nobis malum aliquod expresse prohibetur committendum: talia sunt octo reliqua.

(1) Mandata Dei esse impossibilia, nemo nisi haereticus deblateravit. Nulla enim blasphemia cum verbo Dei tam aperte pugnat. *Mandatum hoc, quod ego praecipio tibi hodie* (inquit Deus Deuteronomii XXX.) *non supra te est, neque procul positum, nec in Coelo situm, ut possis dicere· quis nostrum valet ad Coelum ascendere, ut referat illud ad nos, et audiamus, atque opere compleamus? Neque trans mare positum, ut causeris, et dicas: quis ex nobis poterit transfretare mare, et illud ad nos usque deferre: ut possimus audire, et facere quod praeceptum est. Sed juxta te est sermo valde in ore tuo, et in corde tuo, ut facias illum.* Et Redemptor Noster: *Venite ad me omnes,* ait *Matth.* 11. 28. *qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum, et humilis corde: et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve.* Quam doctrinam Evangelista confirmat (*Epist.* 1. *cap.* 5.): *Haec est enim charitas Dei,* inquit, *ut mandata ejus custodiamus, et mandata ejus gravia non sunt.* Quamobrem prae caeteris Ecclesiae Patribus, Augustinus (Epist. CXXVII, alias XLV. ad *Armentarium,* et *Paulinam* cap. III.) « Ibi labor, inquit, ubi multa » quaeruntur, et diliguntur, quibus adipiscendis, atque retinendis voluntas non sa- » tis est, quia consequentem non habet facultatem. Justa vero vita cum volumus, » adest, quia eam ipsam plene velle justitia est: nec plus aliquid perficienda justi- » tia, quam perfectam voluntatem requirit. Vide si labor est, ubi velle satis est. » Unde divinitus dictum est: *pax in terra hominibus bonae voluntatis* (*Luc.* 2.): » ubi pax, ibi requies, ubi requies, ibi finis appetendi, et nulla causa laborandi, » sed haec voluntas ut plena sit, oportet, ut sana sit. Erit autem sana, si medicum » non refugiat, cujus solius gratia sanari potest a morbo desideriorum nostrorum. » Ipse est ergo medicus, qui clamat: *Venite ad me omnes, qui laboratis,* jugum » suum leve, et onus leve dicens: quia diffusa per Spiritum Sanctum charitate in » cordibus nostris, pro facto amabitur, quod jubetur, et non erit asperum, nec one- » rosum, si sub hoc uno jugo, quando minus tumida, tanto magis libera cervice ser- » viatur. Et haec est una sarcina, qua ejus bajulus non premitur, sed levatur. »

Hinc tamen advertendum, quod quae affirmativa sunt, prohibitionem etiam continent eorum, quae eis opponuntur, et quae sunt negativa praeceptum continent affirmativum, quo bonum malo prohibito oppositum imperatur. Quare quoad partem affirmativam obligant *semper*, sed *non pro semper:* quoad vero partem negativam obligant *semper*, *et pro semper*. Collet.

CAPUT II.

De Praeceptis Decalogi in particulari

De primo praecepto

Q. Quibus verbis indicitur primum Decalogi praeceptum?

R. Istis: *Non habebis Deos alienos coram me: non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem. . . . . . Non adorabis ea, neque coles.* Quae verba hunc praeseferunt sensum: Me verum Deum coles, cultumque mihi debitum Diis alienis ne exhibeas; nec facies tibi sculptile ». ita Catechismus Romanus cap. 2. de primo Decalogi praec. §. 3.

Quare hoc praeceptum quatenus Deum esse colendum jubet, affirmativum est, quatenus ab alienis Diis colendis nos cohibet, negativum est. Uti affirmativum, nobis supremum cultum Deo tribuendum praecipit, uti negativum prohibet nobis vitia omnia, quia huic supremo cultui opponuntur.

Q. Quomodo supremo cultu Deum afficere debemus, hujus praecepti virtute?

R. Ex mente D. Augustini cap. 2. Enchir. colere debemus Deum praecipue Fide, Spe, et Caritate, deinde actibus Religionis. Sed quia tum virtutes Theologicae, tum virtus Religionis fusiorem exigunt sermonem, ut discutiantur singula, quae hoc praecepto vel praecipiuntur, vel prohibentur; ideo tum de illis, tum de ista proprii instituentur Tractatus, ad quos Lectorem remitto.

CAPUT III.

De secundo Decalogi praecepto

Q. Quomodo proponitur secundum Decalogi Praeceptum?

R. Hoc modo: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum: Nec enim insontem habebit Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra.*

Q. Quid hoc Praecepto nobis prohibetur, vel praecipitur?

R. Prohibetur omnis abusus Divini Nominis, atque irreverentia Supremi Nominis Majestati irrogata per blasphemiam, perjurium, voti inobservantiam, vel neglectum, item abusus cujuscumque nominis, quod Majestati Divinae per excellentiam tribuitur, uti nomen Domini Omnipotentis, Domini exercituum, Regis regum etc. Item abusus Nominis B. Mariae Virginis, vel Sanctorum. Abusus etiam, et profanatio verbi Dei, sive Sacrae Scripturae, cum scilicet, quis verbis illius abutitur ad scurrilia, ad impias, vel turpes lo-

cutiones, ad probanda falsa dogmata, ad fabulosa, ad detractiones, sive ad libellos famosos, vel ad alia hujusmodi. Collet.

Praecipitur vero, ut corde simul et ore debitam Divino Nomini reverentiam exhibeamus, quod fit, cum juramenta pie, sancteque adhibemus, vota Deo facta servamus, verbum Dei magno cum honore tractamus, vel audimus, vel meditamur. Ita Catechismus Romanus, de secundo Decal. Praecap. 3.

Cum autem haec omnia sive prohibita, sive praecepta latius in tractatu de Religione discutiantur, ideo ad illum lectores remittendo gradum facimus ad reliqua.

CAPUT IV.

De tertio Decalogi praecepto

Q. Quomodo proponitur tertium Decalogi praeceptum?

R. His verbis: *Memento, ut diem Sabbati sanctifices . . . . . . Non facies omne opus in eo.* Exod. cap. 20., Collet.

Q. Quid denotat dies Sabbati?

R. Sabbatum apud Hebraeos, apud Latinos requies. Hinc dies Sabbati idem est ac dies requiei, et ex usu veteris Legis septimum hebdomadae diem denotat; quem praecepit Deus, ut Israelis Populus divino cultui consecraret, ab omni opere laborioso quietem agens, in signum quietis Domini, qui postquam sex diebus hoc mirandum Mundi opificium condidit, septima die requiescere voluit, scilicet a novarum specierum productione cessare. Danes.

Q. Hoc praeceptum estne morale, seu naturale, vel ceremoniale?

R. Est naturale simul, et ceremoniale. Naturale, quatenus jus naturae dictat, quod aliquam saltem nostri temporis portionem Deo supremo omnium rerum, et etiam temporis Creatori deputemus, ut eo tempore sacris Religionis actibus, divinarum rerum meditatione, et beneficiorum coelestium recordatione, illum laudemus, ac nostrae spirituali saluti studeamus. Est ceremoniale etiam quoad designationem; quatenus Deus deputavit diem septimum, seu sabbatum, ut divinis rebus, et suis etiam spiritualibus negotiis vacaret Israeliticus populus, ac simul beneficium creationis recoleret, et liberationis a captivitate Ægypti recordaretur. D. Thomas 2. 2. q. 122. art. 4.

Hinc factum est; quod cum ceremonialis lex illi populo tradita desiisset, desiit etiam haec Sabbati designatio. At remansit praeceptum, prout naturale est: hinc cessato Sabbato, pro eo dies Dominicus deputatus fuit.

Q. Quisnam pro Sabbato diem Dominicum deputavit, et quare?

R. Sancti Dei Apostoli divino Spiritu afflati hanc fecerunt deputationem; proinde diei Dominici meminit Joannes Apocalyp. cap. 1. *Fui in spiritu Dominica die.* Meminit etiam S. Lucas Actor. cap. 20. Ita D. Thomas loc. cit. et Catechismus Romanus in tertio Decalogi Praec., D. Augustinus Serm. 25. de tempor., Cuniliati.

Elegerunt autem diem Dominicum: 1. Quia tali die mundi creatio incoepit: 2. Quia tali die Christus a mortuis resurgens, superatis omnibus vitae hujus laboribus, in aeternam requiem suam introivit. 3. Quia tali die Apostoli Spiritum Sanctum acceperunt, virtute cujus tum ipsi, tum ceteri fide-

les ad perfectam requiem vocati fuere, scilicet ad vitam aeternam 4. Ne Christiani cum Judaeis communicarent. D. Leo epist., 20. olim 81. Concina lib. 1. de Eccles. Praec diss. 1., Danes.

Q. Praeter diem Dominicum danturne alii dies quibus hoc praeceptum observandum est?

R. Maxime: et sunt illi dies, quod praescripsit Ecclesia ad recolenda praecipua Redemptionis nostrae Mysteria, vel ad SS. Virginis Mariae, Sanctorum Apostolorum, vel aliquorum Sanctorum memoriam excitandam, ut ita fideles supremam Dei bonitatem, atque potentiam admirantes, qui tot, tantasque virtutes contulit servis suis, ipsum laudent, atque simul ad eos imitandos provocentur, et demum illorum patrocinium ad recte agendum implorent, et assequantur.

Qui autem sint hi festi dies, dictat vel Jus commune, vel Jus Dioecesanum, vel locorum consuetudo legitime introducta, atque praescripta. Videatur Bulla Urbani VIII, quae incipit: *Universa*, pro diebus festis edita, et Bulla Benedicti XIV.

Q. Quinam possunt instituere dies festos?

R. Illi, qui possunt leges ferre pro spirituali Animarum regimine. Quare festum diem instituere potest Summus Pontifex pro tota Ecclesia; vel Concilium Generale. Item Concilium Nationale, vel Provinciale pro natione, vel provincia, et Episcopus, vel Synodus Dioecesana propria Dioecesi. An autem requiratur consensus Cleri, et Populi ad statuendos alios dies festos per Episcopum, vel Synodum, praeter eos, quos statuit Urbanus VIII. in cit. Bulla, litigant DD., sed probabilius dicendum, quod requiratur, quoniam per festorum institutionem politica subditorum negotia interrumpuntur. Eruitur ex Capit. *Pronuntiandum* de conser. dist. 3. et ex cap. *Conquestus* de feriis. Concina loc. cit. Hic autem nota, quod si Episcopus in sua Dioecesi aliquem diem festum statuat, hic dies ab omnibus servandus est, etiam si exempti sint, vel sint Regulares; ex Tridentino sess. 25. cap. 12. de Regul.

Q. Hoc praeceptum quomodo obligat?

R. Sub mortali, quia est de re gravi, tum ratione finis intrinseci, qui est cultus Dei, tum ratione materiae praeceptae, quae ad illum cultum dirigitur. Quare merito proscripta fuit thesis 52. ab Innocentio XI. *Praeceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.*

Q. Quamdiu perdurat obligatio servandi diem festum?

R. Vel a primis vesperis diei profesti ad vesperas die festi, vel a media nocte diei profesti ad mediam noctem diei festi, prout Lex particularis, vel consuetudo loci detulerit, dummodo haec obligatio viginti quatuor horarum spatio concludatur. Probabilior tamen putant Salmanticenses, perstringi hanc obligationem a media nocte ad mediam noctem, quia talis est usus Ecclesiae Romanae.

Q. Quinam tenentur servare hoc praeceptum?

R. Omnes Fideles utriusque sexus, rationis usum habentes. Hinc tenentur pueri, si rationis usu potiuntur. Qui autem ratione destituti sunt, uti perpetuo amentes etc. tali praecepto non obstringuntur, quia lex est vincu-

lum rationis, ex D. Thoma, quaest. 17. de verit. art. 3., proinde ubi est ratio, viget Lex: ubi vero ratio deficit, deficit et Lex.

Q. Quid dicendum de Peregrino, Advena, vel Vago, quoad festa peculiaria illius loci, ubi repeririuntur?

R. Dicendum, quod teneantur illa observare, quia illorum festorum observantia oritur ex lege municipali: quae tum ad scandalum vitandum, tum ob rectum regiminis ordinem sicut afficit locum, ita et ad sui observantiam obligat omnes in tali loco commorantes. Vide quae dicta sunt in tractatu de Legibus art. 8. de subjecto Legis.

Q. Quid faciendum, vel a quo abstinendum diebus Dominicis, et festis, ut praecepti observantia habeatur?

R. Christianus homo a saecularibus curis expedire se debet, ac his diebus piis operibus dare ad cultum Dei debitum exhibendum per actus Religionis exteriores, et inter pia opera ex praecepto Ecclesiae Missae sacrificio interesse debet, de quo praecepto suo loco dicemus.

Tenetur autem abstinere ab operibus servilibus; ut ex illo Levit. cap. 23. *Nullumque opus servile facietis in eo.* Hic apparet, quod hoc praeceptum affirmativum est simul, et negativum. Est Affirmativum, quia cultum Deo exhibendum praecipit. Est negativum, quia ab operibus servilibus abstinere jubet.

Q. Satisfacitne huic praecepto Christianus, si Missam debito modo audiat die festo, et ab operibus servilibus abstineat, nullum tamen aliud opus bonum eo die exercet, sed saecularibus negotiis vacat, vel ludo, venationi, aliisve hujusmodi oblectamentis, aut otio indulget?

R. Si consideretur hoc praeceptum, prout Ecclesiasticum est, satisfacit; quia ponit, quod praecepto suo jubet Ecclesia, nempe devotam Missae auditionem. Si vero consideretur hoc praeceptum, ut morale, et divinum; non satisfacit, quia per illud sanctificatio diei festi praecipitur, sanctificari autem dies festus sane non dicitur per auditionem tantum unius Missae. Id aperte colligitur ex conciliis Remensi, Burdigalensi, Turonensi, quae clare docent, die festo nihil aliud agendum, nisi Deo vacare per pias virtutum exercitationes.

Quare cum Ecclesia praecepit Missam die festo audiendam, non solvit fideles a ceteris piis operibus, per quae sanctificandus est ille dies; sed solum jubet, ut inter cetera pia opera tali die exercenda, fideles devote assistant Sacrificio Missae. Eruitur ex canone *Jejunium*, dist. 3. de consecratione, et ex cap. 10. et 11. in Respons. ad consul. Bulgar.

An autem Christianus ille, qui audit devote Missam die festo, et a servilibus abstinet, sed reliquum diei inaniter consumat, peccet mortaliter, nec ipse Concina audet definire. Valde timendum de salute aeterna istius quam parum curat, sic se habendo, lib. 1. de Eccles., Praec. diss. 3. cap. 6.

Q. Quibus operibus vacare potest Christianus, ut diem festum sanctificare dicatur?

R. Praeter auditionem Missae, et abstinentiam a servilibus operibus, sanctificare potest diem festum propriae Animae sanctificatione, Sacramenta Poenitentiae, et Eucharistiae recipiendo: item sacram concionem audiendo, divinis officiis assistendo, eleemosynas indigentibus tribuendo, precibus, et meditationibus rerum divinarum vacando; infirmos visitando, ac vir-

tutum Theologicarum, vel moralium actus exercendo: Catechismus Romanus loc. cit.

Q. Quibus ab operibus abstinere debet?

R. Ab operibus servilibus. Illa autem dicuntur opera servilia, quibus unus homo alteri servit. Discriminantur ab operibus liberalibus; quia opera liberalia, licet aliquando corporis organo indigeant, ut exerceantur, attamen a mente procedunt, et proxime ad mentem illustrandam, et animum excolendum diriguntur (1), uti legere, scribere, docere, praedicare, consilium praebere etc. Opera autem servilia, licet Animae influxum requirant, corporis tamen ministerio exercentur, et corporis commoditatibus inserviunt, et per servos plerumque, vel mercenarios fieri solent, unde *servilia* dicuntur. Cujusmodi sunt artium mechanicarum exercitia. D. Thomas. 2. 2. quaest. 122. art. 4.

Q. Quaenam sunt artes mechanicae, quarum exercitia die festo prohibentur?

R. Sunt istae, quae hoc versiculo continentur:

Rus, Nemus, Arma, Rates, Vulnera, Faber.

Rus, scilicet Agricultura: *Nemus*, ars venatoria et piscatoria: *Arma* ars militaris, sive exercitamenta militum, aut ludus gladiatorius: *Rates*, ars construendi naves, rates, vela, remos etc: *Vulnera*, ars luctandi, vel agitandi tauros, vel bubalos canibus, vel insecandi corpora ad observandam eorum structuram: *Lana*, ars nendi, vel textrina sutoria, vel sartoria, vel pingendi acubus (vulgo *ricamo*), vel aliud simile artefactum ponendi: *Faber*, quaevis ars manualis, v. g. argentaria, aurea, ferraria, carpentaria etc., quae opera dicuntur servilia, etiamsi fiant gratis, vel animi gratia.

Q. Pingere estne opus servile die festo prohibitum?

R. Litigium adest inter DD. Probabilius est, quod sit prohibitum, sive recreationis, sive lucri caussa fiat, quia pictura exercitium est artis mechanicae; nam non secus ac sculptura, ac caelatura, ab arte mechanica dirigitur, et circa externam materiam occupatur. Cajetanus, Salmanticenses, Suarez, Concina, Cuniliati.

Q. Suntne die festo prohibita venatio, aucupium, et piscatio?

R. Maxime, quia exercitia artis mechanicae, et corporalis sunt, et proinde opera servilia, maxime si fiant tali apparatu retium, vel instrumentorum, ut requiratur gravis labor. Expice, si haec exercitia vel parumper fiant, vel ex aliqua necessitate. Tunc enim parvitas temporis, vel necessitas excusat. Concina, Cuniliati (2).

Q. Estne prohibitum die festo iter agere, vel bestias onustas, vel vehicula ducere?

* Iter agere non est prohibitum, cum opus servile non sit, sed commu-

(1) Ex D. Thoma: *nullius spiritualis actus exercitium est contra observantiam Sabbati, puta si quis doceat verbo, vel scripto*. 2. 2. q. 122. a 4. ad 3.

(2) Venari sclopeto, vel reti alii tenent esse servilia: sed communior, et probabilior sententia negat, licet lucri gratia id ageretur. Servile potius videtur piscari, cum magna defatigatio adesset: alias non opus fuisset Pontificis dispensatione in halecium piscatione, ut habetur *Cap. III. de Feriis*. Piscatio autem, si moderato labore fiat, probabilius excusatur ex consuetudine, ut dicunt *Castrop. Filiuc. Sanch. Holzman. etc. S. Ligorius loc. cit §. II.*

ne servis, et liberis favet consuetudo a nullo Superiore reprehensa. Bestias autem onustas, vel vehicula ducere, utrum licitum sit, patebit ex sequenti responsione.

R. Si iter alio die incoeptum fuit, licitum est iter prosequi, quia necessitas concurrit. Si vero quis iter incipere velit die festo,, nulla necessitate, vel rationabili causa cogente, iter ingredi certe prohibitum est, quia opus servile est. Verum Concina cum aliis excusat illum a peccato lethali, dummodo Missam devote audiat.

Q. Quid dicendum de nautis, seu navicularis, et aurigis, qui vehunt homines ob solatium ?

R. Eorum opus est servile: sed videntur posse excusari ob consuetudinem invectam licitae recreationis. At si talis consuetudo alicubi desit, non licet, nisi stante justa causa.

Q. Estne prohibitum die festo typographis characteres disponere, et ordinare ?

R. Maxime, quia haec ordinatio ab arte mechanica ortum habet, et directionem, et proinde opus servile est. Idem dic de impressione librorum, ac imaginum in paginis.

Q. Estne prohibitum amanuensibus transcribere diebus festivis ?

R. Litigium est inter DD. Verum probabilius dicendum, quod sit prohibitum, quando lucri caussa transcriptio fiat,et nullo rationabili motivo accedente: tunc enim transcribere ad artis mechanicae exercitium reduci videtur, ideoque die festo prohibitum (1).

Q. Hoc praecepto prohibeturne militia ?

R. Directio militiae, utpote opus liberale, non prohibetur, ipsa vero pugna vetita est, cum consistat in usu corporis, et membrorum. At hoc videtur dispensatum in Cap. *Licet* de Feriis; quia opportunitas victoriae multum pendet a circumstantiis. Licet etiam ex consuetudine exercitationes militares agere diebus festis tempore pacis, vel quia ut plurimum diebus ferialibus fieri nequeant, vel quia magis accedunt ad opus liberale, licet peccant duces, si militibus nihil relinquunt otii, quo rebus divinis vacare possint.

Q. Estne die festo licitum praeparare, vel coquere cibos ?

R. Etsi hoc artis mechanicae exercitium sit, in nova tamen lege non reperitur prohibitum die festo, uti advertit Angelicus Doctor loc. cit. Si tamen aliquod ad mensam necessarium die antecedenti preparari potest, ad majorem festi observantiam anticipari debet. Hinc coquere panem, molere frumentum in pistrino, vel aliud simile die festo non licet, cum possit anticipari. Concina.

Q. Estne licitum religionis causa, vel pietatis, vel caritatis die festo aliquod opus servile exercere ?

R. Si opus servile neque anticipari, neque postponi potest, sed die festo necessario ex aliqua rationabili caussa faciendum esse existimatur, licitum est, quia tunc ad cultum Dei referri videtur. Si vero anticipari, vel postponi

(1) Ex S. Ligorio probabilius permissum est transcribere scripturas *Suar. Bonac. Salm.* etc. communissime, quia tam scribere, quam transcribere ordinatur ad mentis instructionem. *homo apost. cap. 11. de abstinentia ab oper. servil. Punct. 1. §. 9.*

potest, juxta probabiliorem sententiam illicitum est, sed non ita illicitum, ut peccatum mortale constituat. Concina, Cuniliati.

Q. Quaenam alia opera, quae licet non sint servilia, die tamen festo prohibentur, utpote quae e cultu divino mentem retrahunt?

R. Sunt haec: Actiones forenses, v. g. contestatio litis, testium examen, prolatio sententiae etc. ex cap. *Omnes dies* tit. 9. de feriis. Item negotiationes, et contractus ex cit. cap. Hinc die festo non sunt instituendae nundinae, sive mercatus, etiamsi publici. At si instituta reperiantur, ac diuturnitate temporis et Superioris consensu obfirmata sint, tolerantur. *Ita Benedictus XIV. in Constit. Paternae charitatis, et in altera. Ab eo tempore.* Mercatores item non possunt die festo vendere, et emere, vel alios contractus celebrare: excipe si emantur, vel vendantur comestibilia, vel si contractus celebrentur ex aliqua rationabili causa. Concina. Denique choreae, commessationes, ludi scenici, comptus luxum, vel lasciviam ostentantes, et denique tripudia effroenata. Sic ex Concilio Toletano III. Mediolano III. Turonensi, Bituricensi. Ita etiam ex dicto Basilio, Augustino etc. Concina (1).

Q. Peccatum mortale die festo commissum contrahitne novam, ac specialem malitiam ex violatione praecepti sanctificationis Festorum?

R. Non omnes Doctores idem sentiunt. Negant aliqui, quia praeceptum sanctificandi diem festum per se non obligat ad non peccandum, sed ad Deum externo cultu colendum per exercitia virtutum, et per abstinentiam ab operibus servilibus proprie dictis; non autem a servilibus mystice dictis, uti sunt peccata. Quare dicunt, circumstantiam diei festi solum aggravare malitiam peccati. Cuniliati, Suarez, aliique. Aliqui vero absolute affirmant, quia peccatum mortale repugnat fini proximo praecepti, qui est vacare Deo, rebusque divinis, et praesertim mundationi spirituali Animae. Ita D. Augustinus, D. Ambrosius, D. Thomas, D. Antoninus, aliique.

Alii autem mediam ineunt viam. Putant enim, non omnia peccata mortalia diem festum graviter profanare, ac proinde non omnia peccata mortalia novam malitiam contrahere ex circumstantia diei festi, sed solum graviora scienter commissa, uti sunt ebrietas, rixae, choreae impudicae, inhonesti tractatus, fornicatio, adulterium etc.; quia haec, et alia hujusmodi revera gravem injuriam diei festo praesertim solemni inferunt; nam reddunt hominem minus aptum ad reddendum Deo cultum die festo debitum. Quare excludunt peccata interna, et externa, quae graviora non sunt. Concina lib. 1. de Eccles. Praecep. dissert. 11. cap. 2. n. 20., Stampò

(1) Sub nomine forensium intelliguntur probibitae Nundinae, modo non fiant de rebus necessariis usui quotidiano, ut sunt cibi, et potationes: et etiam candalae, calceamenta, et similia, quorum pretium est determinatum. Ceterum hodie ex consuetudine permittuntur Nundinae universales (et alicubi etiam particulares) et ita etiam aliarum rerum venditiones, exceptis iis, quae in publicis officinis venduntur, ut dicunt *Nav.*, *Sanch. Castrop. Salmant* etc. nam hae tamen prohibitae sunt a Lege Canonica ratione scandali. Item permittunt DD. etiam Mercatoribus vendere aliquid clausis januis, cum emptores pro tunc iis valde indigerent. Ita etiam ex consuetudine pluribus in locis permittuntur (saltem ex licentia generali Ordinarii) contractus locationum, permutationum, negotiationum, et hujusmodi; quae strepitum judiciale non requirunt. *S. Ligorius loc. cit. §. 13.*

Q Quaenam caussae a peccato excusare possunt illos qui die festo serviliter laborant ?

R. Plures, et I. Est parvitas temporis, quae excusat a gravi transgressione praecepti, non autem a levi, nisi concurrat etiam aliqua justa caussa. Ad quod autem tempus extendatur haec parvitas, non conveniunt Theologi. Aliqui reputant, extendi ad duas horas, sed minus probabiliter; nam alii probabilius judicant, duas horas constituere, praecisis circumstantiis, materiam gravem, et materiam levem restringunt ad horam unam. Alii existimant, materiam levem esse horam unam cum aliquo addito. Quid autem possit esse hoc additum, Suaresius, cui adhaeret Concina, putat esse metiendum ex circumstantiis personae, laborum, finis etc. Verum advertendum, quod in hoc praecepto plures parvitates coalescunt, et efformant materiam gravem.

Q. Peccatne mortaliter Dominus, qui praecipit suis famulis, subditis, ut modico tempore, sive simul, sive successive serviliter laborent die festivo in agro, v. g. vel aedibus suis ob solum lucrum percipiendum?

R. I. Licet aliqui cum Salmanticensibus, aliisque a mortali excusent tum Dominum, quam famulos, vel subditos, ratione parvitatis temporis, secluso tamen scandalo, vel contemptu; attamen plerique probabilius putant, famulos vel subditos peccare venialiter, sed Dominum peccare mortaliter; quia iste gravem injuriam infert diei festo; atque putandum est, quod propriis manibus totum illorum opus ipse perficiat; qui enim per alium aliquid facit, per se ipsum facere videtur; eo vel magis quia illius notabilis laboris, licet per plures, die festo positi commodum ipse solus percipit. Concina.

II. Causa, quae excusat a peccato eum, qui die festo serviliter laborat, est necessitas alendae, vel defendendae vitae tum propriae, tum alienae. Item necessitas salutis sive spiritualis sive temporalis suae, vel Proximi custodiendae. Praeterea necessitas servandi ab injuriis temporum, vel furum bona sua, vel aliena, sive necessitas vitandi grave damnum tum proprium, tum alienum. Advertendum tamen est, quod haec necessitas debet esse certa, et gravis, non autem a lucri cupiditate inventa, et opus ita necessarium, ut non possit differri, vel omitti absque gravi incomodo. Quod si necessitas dubia sit, recurrendum est ad Episcopum, si commode fieri potest, vel saltem ad proprium Parochum, pro dispensatione. Cuniliati, Concina.

Quare ratione necessitatis excusantur pauperes, qui die festo laborent, ut sibi, vel familiae alimenta procurent. Uxor, quae, compellitur a marito ad laborandum, et nisi laboret, gravia dissidia exoritura praevidet. Agricola, qui ob diuturnas pluvias, quae mox ruiturae praevidentur, congregat segetes, fructus etc. ne pereant: operarius, qui incoeptum opus non potest intermittere sine gravi jactura, vel dispendio, et alia hujusmodi. Cuniliati.

Q. Estne licitum tondere barbas die festo, vel comas componere ?

R. Ars tondendi barbam, et componendi comas, est quidem ars mechanica, cujus exercitium die festo prohibitum est. Ut autem hoc cohonestetur, et a culpa excusetur tum tonsor, tum ille, cujus barba die festo tondetur, vel capilli componuntur, ad necessitatem recurrendum est. Hanc autem necessitatem non affert vanitas, vel cupido apparendi, vel luxuriandi, non aviditas lucrandi, sed vel vera necessitas ejus, qui tondetur; vel necessitas tonsoris, qui nonnisi tali exercitio familiam suam alere potest, et

caute, et sine scandalo fiat, supposito tamen, quod iste Missam devote audiat, et aliis pietatis operibus vacet die festo. Quod dictum est de tonsoribus, dic etiam eodem modo, eisdem in circumstantiis de aliis fabris, qui die festo vel parant sua opera, vel artefecta dominis tradunt, et accomodant. Coucina (1).

Q. Peccatne subditus, vel famulus, qui, ut grave damnum effugiat, obsequitur domino suo praecipienti opus servile die festo?

R. I. Si dominus hoc faciat ex contemptu formali legis vel diei festi, peccat quidem; quia tunc illud opus fit intrinsece malum ratione contemptus; unde tale opus famulus vel subditus ponere non debet etiam cum vitae periculo. At si deest contemptus, et opus servile praccipitur a domino solum ratione lucri, vel commodi, et tunc, si ex aliqua rationabili causa a domino praecipiatur, non peccat, sicuti non peccat dominus praecipiens. Si vero absque rationabili causa opus servile praecipiatur, tunc peccat praecipiens: at famulus, vel subditus, cui revera grave damnum imminet, nisi obediat excusatur a peccato; nam quod est illicitum ex praecepto, necessitas evitandi grave damnum sive suum, sive alienum reddit licitum. Si tamen famulus potest reperire alium dominum, ut gravi suae necessitati succurrat, debet relinquere primum dominum. Concina.

II. Caussa, quae excusat a peccato servile opus die festo positum, est dispensatio. Potest enim Summus Pontifex tanquam Supremus universae Ecclesiae Pastor dispensare, ut fideles die festo laborent, vel aliud servile opus peragant, item potest Episcopus pro sua Dioecesi, qui non solum dispensare potest in festis, quae pro suo territorio statuta sunt a se, vel a Synodo Dioecesana, sed etiam in festis a jure communi praeceptis, dummodo necessitas concurrat, et praesertim si casus repentinus accidat, qui talem dispensationem suadeat. Denique potest et ipse Parochus, si id necessitas urgens exigat, et accessus ad Episcopum non pateat, salvo semper remanente praecepto audiendi Missam.

III. Caussa, quae excusat a peccato, si die festo opus servile ponatur, es consuetudo legitime praescripta; et ratio est quia talis consuetudo legem

(1) Circa barbam tondendam aliqui DD. dicunt adesse consuetudinem ubique: alii dubitant. Ceterum probabiliter dicunt alii universaliter permitti rusticis tonderi in festo: quia hic dies tantum illis, ut tonderi possint, vacat, et dicunt etiam posse excusari tonsores, si eis renuentibus tondere diebus festivis, notabilis lucri jactura facienda esset. Plures Auctores dicunt dubiam consuetudinem non posse excusare, bene vero probabilem, prout si attestaretur ab aliquo Doctore eximio. Ita *Salm. Salus, Granado, Viva, Mazzotta etc.* His positis mihi lubet hic adferre quid S. Carolus Borromaeus in I; et III. Conciliis Mediolanensibus pro venditoribus rerum victui necessariarum, et Pontifex Bened. XIV. cum esset Archiepiscopus Bononien. (*Notif. XLIII.*) tam pro dictis venditoribus, quam pro barbitonsoribus statuerunt, ut praescriberetur hora, qua claudendae essent hujusmodi tabernae. Própterea praefatus Pontifex jussit affigi tabellam horarum, quibus pro temporum varietate ad signum campanae majoris statim illae claudi deberent. O utinam hoc ubique ab Episcopis fieret! Utique non viderentur homines penitus suae salutis tam immemores, ut vix semel in anno, et quasi inviti ad Sacramenta accedant, numquam verbo Dei, quod est Christi ovium alimentum, ab ejs audito. *S. Ligorius loc. cit. Punct. 11. §. 15.*

tollit, et proinde facit, ut talis dies non sit festivus rigorose acceptus, et opera servilia non sint prohibita. Concina.

IV. Caussa cohonestans opus servile die festo positum, est commodum publicum (quod ad necessitatem referri potest) puta si die festivo paranda sunt aliqua ob adventum magni Principis, vel ex ejus felici nativitate, nuptiis, victoria etc., aut contra extemplo paranda sunt funera, templum lugubri apparatu componendum etc. ex famosae personae interitu etc. Item si pontes, fontes, viae publicae sunt reficiendae, et necessitas dilationem non patitur: debent tamen operarii devote audire Missam, et aliis piis operibus vacare.

Q. Estne licitum die festivo vacare alicui operi servili ad vitandum otium, vel peccatum?

R. Ad vitandum otium non licet die festivo opus servile ponere, quia otium vitandum est tali die operibus piis, ut cultus Deo debitus exhibeatur. Ad vitandum autem peccatum, si non adest aliud medium ad istud declinandum, nisi opus servile, licitum est, quia urget necessitas salutis spiritualis.

ADDITAMENTA EX S. LIGORIO (1)

QUAE EXCUSANT AB AUDITIONE SACRI.

Excusat a praecepto audiendi Sacrum quaevis impotentia sive realis, sive moralis, quae grave affert damnum, aut incommodum spirituale, vel temporale propriae personae, aut proximo.

I. Excusantur infirmi, qui si domo egrediantur, grave nocumentum, aut dolor, aut valetudinis procrastinatio timetur. In dubio potest infirmus judicio Medici, aut Superioris, aut viri prudentis acquiescere, et etiam proprio, si jam potest ipse prudenter judicare; et quando agitur de gravi damno, etiam perseverante dubio infirmus probabiliter excusatur; nam in tali dubio praevalet jus naturale conservandi salutem.

II. Excusantur excommunicati, et carceribus detenti, qui non tenentur absolutionem, vel libertatem procurare, ut sacro adsint, ut volunt multi DD. sed ego non excusarem, ut melius dicunt alii, si de facili sine gravi incommodo possent absolutionem, aut libertatem obtinere, aut si ipsi ideo eam obtinere non curent, ne tali praecepto se obstrictos reddant.

III. Excusantur qui custodiunt castra, urbem, gregem, domum, infantes, vel pueros, quos domi relinquere sine periculo, et secum conducere sine Templi perturbatione nequeunt. Item illi qui probabiliter timent, ne in carcerem detrudantur, si ad Ecclesiam pergant, et illi qui necessario debent assistere infirmis, ut medicinas, et cibum tempore opportuno illis ministrent, aut eos nequeunt derelinquere, quia molestia magna afficiant.

IV. Excusantur servi, si necessaria foret eorum opera, ut dominorum grave incommodum evitetur. Debent nihilominus hujusmodi servi procurare (si

(1) *Homo apost. Tract. VI. De tertio Praecep. Punct. II. §. 39. et seq.*

possunt), ut adsint Sacro cum suo incommodo levi, etc., v. g. auferendo aliquid a somno, citius foras egrediendo, etc. Si autem eorum opera non esset necessaria eo tempore, quo audiendum sit Sacrum, non excusantur, nisi in casu, in quo gravem indignationem, aut grave incommodum timeant, v. g. ne dimittuntur, ac de facili, et statim alium Dominum non possent invenire. Idem dicendum de filiis a parentibus, et de uxoribus a viris coactis ad emittendum Sacro, aut ad laborandum in Festo; ipsi enim excusantur, si timeatur gravis indignatio.

V. Excusantur Navigantes, et itinerantes, si ex auditione Sacri grave damnum passuri sint. Excusat notabilis distantia ab Ecclesia. In hoc pensandae sunt circumstantiae personae, temporis, et loci, sed regulariter putant *Suar. Castrop. Filliuc. Salmant.* et alii excusare distantiam trium milliarium, aut iter pedester unius horae cum quadrante et minus, si plueret, aut ningeret, aut adesset alia caussa excusans.

VI. Excusat usus juxta locorum consuetudinem domo non egrediendi sex hebdomadas post partum, vel mensem tempore luctus ob mortem viri, et etiam sororis, aut filiae, ut dicunt *Suarez, et Mazzotta*. Sed illae personae, quae jam domo exeunt, illae ob has caussas non excusantur a sacro . . . . Excusantur tamen mulieres, quae vestibus, aut servis, aut sociis se decentibus careat: sed istae tenentur si possunt, valde mane, aut in aliqua Ecclesia, ubi populus non frequens Sacro adest. . . .

CAPUT V.

De quarto Decalogi praecepto

Q. Quomodo proponitur quartum Decalogi praeceptum?

R. Proponitur his verbis: ***Honora Patrem tuum, et Matrem tuam, ut sis longaevus super terram*** (1).

Q. Quid venit nomine honoris, qui parentibus exhibendus est?

R. Venit amor, et reverentia, obedientia, et cultus; ac in necessitate subsidium. Catechismus Romanus III. part. cap. 5. n. 7. et 11.

Q. Quinam Patris nomine hic intelliguntur?

R. Ex eodem Catechismo loc. cit. n. 2. et 8. veniunt 1. Parentes carnales, qui nos genuerunt 2. Alii, quos Parentum loco, colere debemus ratione potestatis, dignitatis, utilitatis, vel muneris. Hujusmodi sunt Ecclesiae Praesides, Pastores, et Sacerdotes. Item Principes, et Magistratus. Illi

(1) Addesis illud *Proverb.* 1. ***Audi fili mi disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuae, ut addatur gratia capiti tuo, et torques collo tuo.*** Item Senior Tobias suprema salutis monita filio tradens: *Honorem*, inquit, *habebis matri tuae omnibus diebus vitae ejus: memor enim esse debes quae, et quanta pericula passa sit propter te in utero suo.* Demum Catechismus Rom. (*de IV. Praecept. Dec.*) aperte docet: *Sunt enim immortalis Dei quasi quaedam simulacra, in iisque ortus nostri imaginem intuemur, ab iis vita nobis data est, iis Deus usus est, ut nobis animum mentemque impertiret: ab iis ad Sacramenta deducti, ad Religionem, ad humanum cultum, civilemque instituti, ad morum integritatem, et sanctitatem eruditi sumus.*

etiam, quorum fidei, sapientiae, et probitati aliqui commendantur, uti sunt Tutores, Curatores, Paedagogi, Magistri, Mariti, Domini, et Senes.

Q. Hoc praeceptum estne affirmativum, vel negativum, et a qua virtute procedit?

R. Est affirmativum, quatenus praecipit honorem tum interiorem, tum exteriorem parentibus debitum. Est negativum, quatenus prohibet odium, inobedientiam, inobservantiam, et duritiem cordis contra eosdem.

Procedit autem hoc praeceptum a virtute pietatis, quae ex D Thoma 2. 2. qu. 101. art. 1. *Est virtus, per quam sanguine junctis, patriaeque benevolis officium, et diligens cultus tribuitur.*

Hic tamen notandum ex eod. D. Thoma loc. cit., quod sub cultu parentum intelligitur etiam cultus omnium consanguineorum quoniam, isti ex iisdem progenitoribus processerunt. Item sub cultu Patriae intelligitur cultus omnium concivium, qui nostri fratres politici dicuntur, et simul nobiscum filii ejusdem, matris, nempe patriae. Salmanticenses.

At quoniam illi, qui sub nomine parentum in hoc praecepto veniunt, non omnes aequali modo sunt honorandi, ideo distinctis paragraphis dicendum videtur qualis honor, quibusque sit deferendus.

§. I. *De mutuis Filiorum, et Parentum secundum carnem officiis.*

Q. Quotuplicis generis sunt filii?

R. Multiplicis: alii enim dicuntur *legitimi*, et *naturales*, et sunt illi, qui nati sunt ex parentibus legitimo, ac valido matrimonio copulatis. Alii dicuntur tantum naturales, et illi dicuntur qui nati sunt sine matrimonio, ex parentibus tamen, qui validum potuissent contrahere matrimonium tempore conceptionis. Alii dicuntur *spurii*, et sunt illi, qui orti sunt ex damnato concubitu, puta incestuoso, sacrilego, vel adulterino. Demum alii sunt *legitimi*, et sunt *adoptati*.

Q. Quid parentibus filii exhibere tenentur?

R. Tenentur exhibere eis 1. Amorem 2. Reverentiam 3. Obedientiam 4. In necessitate subsidium. Ad haec autem jure naturali tenentur filii erga parentes. Si enim, omnes sibi similes diligendos esse, jus naturale dictat; a fortiori genitores, quibus usus est Deus ad tribuendum filiis esse, originem, et incrementum. Unde ait Ecclesiast. cap. 7. *Memento, quoniam, nisi per illos, natus non fuisses, et retribue illis, quomodo et illi tibi.*

Q. Qualis debet esse hujusmodi amor?

R. Debet esse non qualiscumque, sed internus, nempe ex corde, specialis, et sincerus, quatenus filii ex pleno, et sincero corde debent parentes diligere, eos adjuvare, ea omnia, quae parentum sunt, curare, patienter tolerare eorum defectus, omnia, quae parentibus jure displicent, evitare, et lubenter ea, quae eis jure placent, agere, denique pro eis sive vivis, sive mortuis Deum orare.

Hinc peccant defectu hujusmodi amoris filii, si interius oderunt, vel aspernantur parentes: si torvis oculis intuentur, si aspere eis alloquuntur, si temporalem, vel spiritualem eorum salutem negligunt, si in laboribus non adjuvant, cum possunt, si eorum testamenta, vel legata non adimplent, vel facienda impediunt: si de eorum adversitate laetantur, vel de prospe-

ris moerent, vel eis infortunia, aut mortem optant, vel imprecantur, si pro eis vivis, vel mortuis Deum non praecantur, si signa communia amoris, vel reverentiae eisdem denegant etc.

Q. Quid exigit reverentia, sive observantia parentibus debita?

R. Exigit, ut filii interiorem reverentiam erga parentes foveant, cum quodam venerabundo timore, atque ejus exteriora signa exhibeant, honorifice, et reverenter loquendo de eis, vel cum eis humiliter versando, eorum admonitiones, vel correctiones humiliter accipiendo, vel eorum defectus aut occultando, aut excusando etc. Ad haec tenentur filii, quia parentes sunt, post Deum eorum superiores, istorumque auctoritas imago est auctoritatis Dei, qui omnium nostrum verus est supremus et excellentissimus Pater. Hinc Eccles. cap. 3. *Qui timet Dominum honorat parentes, et quasi Dominis serviet his, qui genuerunt se.*

Hinc graviter peccant filii defectu hujusmodi reverentiae, si parentes percutiunt, vel percutere minantur, etiam si leviter, quia percussio gravitatem accipit a conditione personae. Multo magis si occidunt, mutilant, vel vulnerant. Item peccant, si parentibus maledicunt, subsannant, aut deridendos aliis praebent, si ad iram gravem provocant, si ad gradum altiorem evecti, parentes agnoscere erubescunt, sine rationabili causa, si parentum crimina, licet vera, ad Judicem deferunt, praeter casus in jure statutos, nempe ratione boni communis, haeresis, proditionis Principis, vel Patriae etc.

Hic tamen notandum, quod odium, vel injuria, quae contra extraneum esset aliquod mediocre, vel leve, contra parentes est quid grave ob singularem reverentiam eis debitam, et crimen illud, quod contra extraneum commissum, unum esset peccatum lethale, illud idem contra parentes commissum duplex est peccatum grave; quia praeter virtutem, quam per se, et directe violat, violat etiam pietatem.

Q. Quid exigit obedientia parentibus tribuenda?

R. Exigit, ut filiis lubenti animo voluntati parentum in omnibus, quae justa, ac rationabilia sunt, obsequantur. Item, ut dum parentum gubernationi subsunt, iis insciis, nil grave aggrediantur. Tenentur ad haec filii, quia Deus eos parentum gubernationi, et potestati subdidit: quare D. Paulus ad Ephes. cap. 6. ait: *Filii obedite parentibus vestris in Domino, hoc enim justum est.*

Dixi, *quae justa, ac rationabilia sunt,* quia si parentes injusta praecipiant, filii non tenentur obtemperare; nam *obedire oportet magis Deo, quam hominibus,* ait D. Petrus Actor. cap. 5. Item si irrationabilia jubeant, nec etiam tenentur filii obedire; nam nonnisi ad rationabilia praecipienda filiis extenditur parentum potestas.

Hinc peccant filii defectu obedientiae, si non obediant parentibus in iis, quae rectam, ac rationabilem familiae gubernationem, vel suarum personarum curam respiciunt, si contra parentum jussa, vitare nolint pravorum sociorum societatem, si nolint literas, vel artes addiscere, vel laborem, juxta statum adsumere, si nolint a ludis, amoribus impudicis, comoediis, venationibus etc. abstinere, uno verbo, si non obediant, quoties jussio sibi serio facta est de re bona, ac rationabili. Quare in confessione explicare tenetur filius inobediens non solum peccati speciem, sed et illud commisisse contra voluntatem parentum, quia duplex peccatum commisit, cum ita pec-

cavit, alterum contra virtutem, cui opponebatur per se peccatum, alterum contra pietatem. Cuniliati, Antoine.

Q. Quid exigit subsidium parentibus debitum?

R. Exigit, ut filii parentibus in quavis necessitate sive spirituali, sive temporali versantibus, pro sua facultate subveniant, praesertim in aegritudine, vel senectute, aut egestate: ***Honora patrem tuum***; ***et gemitus Matris tuae ne obliviscaris et retribue illis, quomodo et ipsi tibi***, ait Ecclesiast. cit. cap. 7. Tenentur ergo filii subvenire parentibus quia isti priores subvenerunt eis.

Hinc graviter peccant filii, si parentibus egentibus alimenta non tribuunt pro facultate sua, si eosdem infirmos non visitant, eorum saluti non student, si parentes injuste vexatos non tuentur, cum possunt, si parentes aliquo vitio irretitos esse cognoscunt, et eos ad meliorem frugem adducere, monendo reverenter, vel alio prudenti modo non conantur, si parentes in periculo mortis versantes filii non curant, ut Sacramenta suspiciant, et in Domino moriantur.

Q. Tenenturne filii obedire parentibus, si isti statum religiosum, vel clericalem eis praecipiant, vel ab eodem eos retrahere velint?

R. Si filii ad statum a parentibus praeceptum cognoverint, se non esse a Deo vocatos, non tenentur obedire, quia eorum praeceptum irrationabile est, cum non hominis sit, sed Dei hominem vocare quo voluerit; quare status electio omnino libera esse debet.

Item filii nec etiam tenentur obedire parentibus, quando a clericali, vel religioso statu, ad quem vocati a Deo noscuntur, a parentibus retrahi sine justa, ac rationabili causa videntur, quia irrationabilis, et injusta est eorum voluntas, cum filios avocant a meliori proposito.

Imo graviter peccant parentes, si filios directe, vel indirecte cogunt ad statum clericalem, vel religiosum suscipiendum, quia status electio per coactionem, vel metum facta saepissime malos exitus producit, nempe sacrilegia, scandala, taedium, desperationem, et proinde eorum causa moralis censetur fuisse parentes cogentes.

Sic etiam graviter peccant parentes, si filios sine rationabili causa retrahere conantur a statu clericali, vel religioso; quia eos retrahere volunt a tutiori via salutis aeternae, ac etiam privant Ecclesiam bonis, quae iidem Proximo afferre possent.

Ubi notandum, quod parentes, et quicumque alii cujuscumque gradus, qualitatis, conditionis, et status cogentes mulierem quamcumque invitam ad ingrediendam religionem, vel emittendam professionem religiosam, et etiam mandantes, consulentes, consentientes sive professioni, sive habitus susceptioni scienter interessentes, vel impedientes sine justa causa mulieris voluntatem suscipiendi habitum religiosum, vel profitendi, incidunt in excommunicationem nemini reservatam ex Tridentino sess. 25. cap. 18. de regularibus.

Q. Quid si filii matrimonium contrahere cupiant?

R. Debent consilium a parentibus petere, et consensum; quia cum Matrimonium sit negotium summi, et periculosi momenti, quod non solum filiorum interest, sed etiam parentum, filii, etiamsi sint sui juris, a consilio, et a voluntate parentum pendere debent. Hinc graviter peccant filii, si sine rationabili motivo parentibus inconsultis, vel invitis Matrimonium con-

trahunt, vel respuunt Matrimonium a parentibus ex rationabili causa praeceptum. Contra graviter peccant parentes; si sine justa, ac rationabili causa filios a Matrimonio retrahunt, vel diutius consensum suum differunt; quia exponunt filios plurimis peccatis, si non operis, saltem cordis, oris, aspectus etc. Collet (1).

Q. Teneturne filius, ob parentum necessitatem, ab ingressu Religionis abstinere?

R. Si parentes sunt in communi necessitate (dicimus *communem necessitatem* illam, in qua licet careant commodis, non carent tamen necessariis, quia haec labore comparant, vel comparare possunt) filius non tenetur ab ingressu Religionis abstinere; nam necessitas haec levis censetur, cum plurimi illa laborent. Si vero parentes sunt, vel putantur fore in gravi necessitate, vel extrema (dicimus *necessitatem gravem* eam, in qua parentes vivere non possunt, nisi cum notabili nocumento sui status legitime acquisiti, vel absque penuria magna rerum necessariarum, dicimus vero *extremam necessitatem* illam, in qua parentes nisi succurrantur, fame perituri sunt) tunc filius tenetur ab ingressu Religionis abstinere: quia urget praeceptum naturale succurrendi parentibus in necessitate versantibus, cui cedere debet de ingredienda Religione consilium. Collet, Salmanticenses, D. Thomas 2. 2. q 101. art. 4. ad 4.

Q. Quid, si filius voverit Religionem ingredi?

R. Pro illo tempore, quo aderit necessitas gravis, vel extrema parentum, voti obligatio suspenditur, quia ejus adimpletio praecepto naturali adversatur. Imo, juxta communiorem sententiam, si post filii professionem parentes in gravem vel extremam devenere necessitatem, et non aliunde, nisi ex Filio professo alimenta accipere possunt, tenetur Filius parentes alere eo meliori modo, quo potest in Religione manendo. Si autem non possit, nisi a Monasterio egressus, tunc petita licentia a Superioribus, tenetur exire ad alendos parentes: qua cessante caussa, tenebitur denuo ad monasterium redire. Collet de Decal. cap. 4.

Q. Teneturne quis ob ingressu Religionis abstinere ob Fratris, vel Sororis necessitatem gravem, vel extremam?

R. Si Frater, vel Soror est sub potestate parentum, tenetur quidem abstinere: quia illorum necessitas parentum necessitas est, cui filius providere naturali jure tenetur, si aliter, non tenetur abstinere, licet naturali aequitate consonum sit, ut abstineat ad providendum necessitati eorum. Collet.

Q. Quae obligatio inest filiis subveniendi parentibus, estne etiam intelligenda pro reliquis ascendentibus, v. g. Avis, Proavis?

R. Maxime, quia ascendentes veniunt etiam nomine parentum, et sunt haeredes necessarii descendentium, et etiam quia ascendentes tenentur pariter alere descendentes, unde aequalis debet esse eorum obligatio. Salmanticenses.

Q. Nomine filii venitne hic tantum filius legitimus, et naturalis, an etiam illegitimus, et spurius?

(1) Videsis nostras animadversiones ad Tractat. *de Matrimonio Cap. V. Tom. IV.*

R. Venit uterque, quia sicut utrumque tenentur parentes alere, sic et uterque debet parentibus alimenta praebere, cum utrosque eadem pietatis ratio urgeat, ut ajunt Salmanticenses.

Q. Quibus de causis potest filius alimenta denegare parentibus?

R. Ex iisdem causis quibus potest parentes exhaeredare. Ubi nota,quod alimenta necessaria vitae semper tradenda sunt naturali jure.

Q. Obligatio alendi parentes transitne ad eos, qui ex testamento, vel donatione, bona filii receperunt?

R. Maxime, quia talis obligatio bonis filii adhaerebat, quare bona haec transierunt cum onere suo ad haeredem, vel donatarium. Quae dicta sunt de iis, qui receperunt bona filii, eadem dic de iis, qui receperunt bona patris quoad alimenta filio debita. Salmanticenses.

Q. Filius habens parentes, et liberos in aequali necessitate constitutos, sed impos utrisque alimenta praestandi, quibusnam alimenta praestare prius debet?

R. Extra necessitatem extremam, prius tenetur alere filium, quam Patrem, quia filius est sibi magis conjunctus, quam pater,filius enim est aliquid patris, non autem Pater est aliquid filii. Quare ex eadem ratione, in sustentationem Pater Matri praeferendus est,et juxta majorem consanguineorum propinquitatem ordo idem eis subveniendi servandus est. Item si creditores, et parentes sint aequaliter indigentes in extrema necessitate, prius tenetur filius parentibus alimenta praebere, quam creditoribus, Salmanticenses, Cuniliati, Antoine. Ex D. Thoma 2. 2. q. 26., art. 9. Vide quae dicuntur in Tractatu de virtut. Theolog. art. 8. de dilectione Proximi. §. 1. de Eleemosyna.

Q. Quaenam officia tenentur parentes praestare filiis?

R. Parentum officia erga filios alia sunt temporalia, alia spiritualia.

Officia temporalia sunt I. ut parentes, quantum moraliter fieri potest, detrimenta corporalia a filiis removeant II. Ut eisdem congruam statui sustentationem tribuant III. Victum, vestitum, lectum, habitationem, medicinas, et secundum aliquos, expensas funerum IV. Ut filios in honesto vitae statu collocare studeant. Ad haec tenentur parentes tum jure naturali, tum jure civili. Leg. 1. 2. 3. C. de alendis liberis: tum Jure Canonico cap. 14. dist. 30.

Hinc mortaliter peccant parentes contra pietatem I. Si alicui periculo abortus prolem conceptam exponunt. II. Si non curant, ut proles sine vitio, et feliciter nascatur, et adolescat, et sit procul a malis, praesertim iis, in quae solent incidere infantes ex parentum incuria, v. g. a casu in ignem, foveam, aquam, a suffocatione in proprio lecto etc. III. Si filiis congruam sustentationem injuste denegant. IV. Si non curant, quod filii artem aliquam, vel scientiam addiscant, aut aliquam applicationem adsumant, ut in posterum honeste vivere possint. V. Si proprios redditus, vel stipendia, aut lucra indebite dissipant, aut cum possunt aliquid juste, et commode adquirere ipsi negligunt in damnum filiorum. VI. Si dotem competentem filiae, quae decenter nubere vult, aut ingredi Religionem, injuste denegant, vel patrimonium filio, qui vult ad sacros ordines pervenire.

Q. Teneturne pater alimenta tradere filio naturali?

R. Maxime, quia verus filius est, naturali jure inspecto, proinde ex eodem jure pater ei alimenta prestare tenetur. Concina (1).

Q. Si filius est spurius, teneturne pater ei alimenta praebere?

R. Licet Jus Civile expresse in Authen. *Ex Complexu* I. C. de incest. nuptiis, et Authen. *Quibus modis naturales efficiuntur sui* §. ultimo denegent alimenta spurio, Jus tamen Canonicum, in Cap. *cum haberet*, de eo, qui duxit uxorem *quam polluit*, et in Cap. *cum Venerabilem*, qui filii sint legitimi, jubet spurio alimenta tradi; quia spurius naturali jure vere filius est patris, unde ex eodem Pater illi tradere debet alimenta. Hinc Juri Canonico ex naturali aequitate standum est. Salmanticenses.

Q. Quid dicendum de Matre?

R. Mater debet naturali jure filio, etsi spurio, lac praebere per triennium ex leg. *Nec filium* C. de patria potest., ad reliquas autem impensas tenetur pater, ita ut si eas erogaverit mater, potest a patre repetere. Si autem mater lacte careat, vel ex aliquo legitimo impedimento ubera filio praebere non valeat, tenetur pater ad expensas omnes tum nutricis, tum reliquorum alimentorum, quae necessaria sunt proli. Si vero pater impos erit, tenetur mater potens, si neuter possit, tenentur Avi, et alii ascendentes, sed primo illi, qui sunt ex linea patris. Si denique hi omnes desint, tenentur consanguinei propinquiores, Leg. *Si quis a liberis*, §. *Ergo* ff. de liber. agnoscendis. Leg. penultima ff. eod. Salmantic. Ubi nota, quod regiis litteris Regis nostri Ferdinandi IV., quem Deus sospitet semper, sub die 27 Maii 1779, et sub die 17. Martii 1787, sancitum reperitur ex naturali jure patruos, et propatruos, cogendos per Regias Curias ad praestanda alimenta nepotibus, ac neptibus pauperibus juxta vires in defectum matris, patris, et avorum paterni, et materni, donec isti possint sibi de alimentis providere.

Q. Teneturne mater per se lac praebere proli; vel potestne per nutricem supplere?

R. Tenetur jure naturae saltem sub culpa veniali, ubera sua praebere proli mater, quia, ut medici ajunt, proles melius nutritur lacte matris, quam alieno. Item quia lacte alieno prolis indoles depravatur, et nutricis indoli conformatur: denique quia proles alieno lacte nutrita, vel nihil, vel parum amoris erga parentes concipit. Excipe, si obstet infirmitas, vel alia rationabilis caussa. At tunc tenentur parentes sub gravi nutricem bonis moribus imbutam, ac bona valetudine praeditam procurare. Ita communiter.

Q. Licetne parentes filios suos exponere?

R. Minime. Quare eos exponendo sine urgente, ac rationabili caussa, graviter peccant, ut clare patet ex Leg. *Necare* ff. de liberis agnoscendis; et ratio est, quia contra jus naturae est abjicere prolem, cui ipsi existentiam dederunt, et etiam quia multis incommodis, et aerumnis afficiunt eam, cum exponunt, ac, ut perpetuo dedecore notata vivat, efficiunt.

Dixi, *sine urgente, ac rationabili caussa;* quia si parentes prolem exponant ob impotentiam alendi eam, vel ob necessitatem, quia v.g. arripere debent longissimum iter, vel periculosum, cui impedimento esset proles; vel denique ad vitandam infamiam, ad celandum delictum, vel ad poenam

(1) Videsis nostras additiones ad Cap. VIII. *de Alimentis Tract. XI, Tom. III.*

declinandam, tunc non peccant, quia non exponunt, ut naturae vim inferant, et pietati, sed solum, ut sibi consulant.

In his tamen casibus advertunt communiter DD. haec. Primo parentes, si divites sint, tenentur compensare Brephotrophio, vel Ecclesiae expensas pro prolis expositae nutritione erogatas; nam hujusmodi pia loca tantum pauperibus consulere intendunt; pro divitibus autem modum tantum celaudi eorum infamiam, et delictum praebere volunt, salvis tamen expensis.

2. Parentes etiamsi pauperes, qui prolem exponunt, observare debent locum, tempus, et circumstantias, et aliquo signo notare, ut prolis notitiam habere possint in posterum ad finem consulendi eidem, si in meliorem fortunam devenerint, et infamiae periculum cessaverit.

3. Parentes, qui exponunt filios suos, privantur patria potestate, et filii expositi sui juris censentur. Salmant., Collet. Concina.

Q. Parentes tenenturne dotare filiam contra eorum voluntatem nubentem?

R. Si filia haec est major viginti quinque annis, etiamsi nupserit indigno, parentes tenentur dotare eam, quia cum parentes fuerint in mora culpabili tradendi eam viro, ipsis tribuendum est, quod nupserit indigno. Si vero filia sit minor, et nupserit digno, dotem tradere tenentur; quia nubere digno non est dedecus parentum; si vero nupserit indigno, tenentur parentes dare ei saltem dotem illam, quae sufficiat ad alimenta vitae necessaria, si hisce indigeat: at si non indigeat, ad nihil tenentur, cum rationabile sit, ut dos negetur ei quae familiae injuriam intulit, ac dedecus. Salmanticenses.

Quae dicta sunt de filia, dic etiam de filio, proportione servata: Imo adde, quod quando pater filio alimenta tradere tenetur, tenetur etiam tradere ea, quae necessaria sunt ad substentationem ejus uxoris ex Leg. *Si quis a liberis §. si vel parens* ff. de liberis agnoscendis.

Q. Danturne casus, in quibus parentes non tenentur alimenta filiis tribuere?

R. Maxime, et sunt 1. Si filius, vel filia sufficientia bona habet, aut arte calleat, unde possit sibi alimenta praestare. 2. Si filius, vel filia adeo ingrati animi vitio notetur, ut juste exhaeredari possit. In quo tamen casu tantum alimenta necessaria status negare possunt parentes, non vero alimenta necessaria vitae, quia haec subtrahere idem est, ac eos velle occidere. Salmant.

Q. Quaenam sunt officia spiritualia, quae parentes filiis debent?

R. Sunt plura 1. Ut Parentes sedulo curent ut proles cum primum nata sit, baptizetur 2. Ut verbo et exemplo sanctissimis moribus filios imbuant: 3. Ut curent per seipsos, vel per Parochum, vel magistrum idoneum addiscant fidei rudimenta 4. Ut occasiones, et pericula peccandi, quantum fieri potest, procul ab eis removeant. 5. Ut eos errantes prudenter corrigant, et aliquando discrete puniant.

Hinc graviter peccant parentes 1. Cum nihil vel parum curant filiorum baptismum, aut instructionem tum quoad ea quae sunt christianae doctrinae, tum quoad cetera ad vitae honestatem pertinentia 2. Si filios cum personis immorigeris, et suspectis versari sinant, vel in otio marcescere, vel loca suspecta, et indecora adire 3. Si filiarum amorem, amicitiam, liberam

conversationem permittant, vel perniciosos abusus (vulgo *mode*) sequi, vultum fucare stibio, et pigmentis, nuditatem pectoris, vel brachiorum praeseferre, etc. 4. Si consilia, vel mala exempla eis dederint. 5. Si frequentiam Sacramentorum ac Dei mandatorum, et Ecclesiae impletionem non exegerint. 6. Si a progressu virtutum eos revocent, vel ad malum impellant. 7. Si eos vitiosos non moneant, non corrigant, non puniant, vel si puniant indiscrete, et nimis severe. 8. Si Religionem eos ingredi, vel statum Ecclesiasticum assumere injuste impediant, vel injuste cogant.

Q. Quid sibi debent Consanguinei, et Affines?

R. Debent sibi mutuum amorem, et subsidium in necessitate, non solum extrema, sed etiam gravi, et id debent non solum ex caritate, qua Proximum diligere debemus sed etiam ex virtute pietatis. Et hic est, quod, si agatur de injuria consanguineis, vel affinibus illata, v. g. detractione, contumelia, percussione, odio etc. circumstantia cognationis et affinitatis, utpote quae speciem mutat, et peccato contra caritatem, vel justitiam addit peccatum contra pietatem, aperienda est in confessione.

§. II. *Quid sibi mutuo debeant Patres, et Filii spirituales?*

Patres spirituales hic dicuntur 1. Pastores Animarum, uti sunt Ecclesiae Praesides, sive Episcopi, Parochi item et Sacerdotes. 2. Patrini (1).

Q. Quid Fidelibus sibi commissis praebere tenentur Pastores Animarum?

R. 1. Tenentur eis praebere exemplum bonorum operum, et quidem ut ait Apostolus ad Timoth. I. cap. 4. *In verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate*, et ad Titum cap. 2. *In doctrina, in integritate.* Quare si Ecclesiae Praelatus aliquod crimen coram plebe sibi commissa perpatret, tria peccata committit 1. contra caritatem ratione scandali; 2. Contra virtutem, cui per se opponitur crimen 3. Contra pietatem, quia nocet spiritualiter eis, quibus ex officio prodesse deberet. Collet. de IV. Decal. Praecep. art. 2.

2. Tenentur praebere Fidelibus et pabulum Sacramentorum et pabulum verbi Dei, praedicando, instruendo, monendo, uti patet ex Ezech. cap. 34. et ex II. ad Timoth. cap. 4, ex Tridentino Sess. 5. de refor cap. 2.

3. Tenentur pro Fidelibus suis specialiter orare Deum, ut eis peccata dimittat, et interiori gratiae suae rore eos in virtutibus foecundet, ut ad vitam perveniant sempiternam. Pastores enim mediatores sunt inter Deum,

(1) In Sacris Litteris parentes etiam dicuntur Ecclesiae Praesides, et Pastores, et Sacerdotes, qui spiritualiter Christo nos genuerunt, et quotidie parturiunt, quemadmodum Apostolus ait (1. *ad Cor. IV.*): *Non ut confundam vos haec scribo, sed ut filios meos charissimos moneo. Nam si decem millia paedagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui. Et ad Galatas IV. Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* De quibus etiam potissimum dictum esse videtur *Deuteron. XXXI. Interroga Patrem tuum, et dicet tibi: Majores tuos, et annuntiabunt tibi.* Demum *Ecclesiastici XLIV. Laudemus viros gloriosos, et parentes nostros in generatione sua,*

et homines, ac proinde eis gratias, ac spiritualia beneficia impetrare a Deo tenentur. Collet.

4. Tenentur residere personaliter ex Concil. Trid. Sess. 23. de Reform. cap. 1.

5. Item tenentur corrigere peccata publica, removere scandala, peccatorum occasiones, et si ipsi non valent, implorare saeculare auxilium a Magistratibus.

6. Habere magnam et peculiarem curam pauperum, eisque opem, eleemosynamque ferre, omnemque auxilium praebere.

7. Visitare infirmos suae curae commissos.

8. Tandem ponere Animam pro ovibus suis non solum in extrema, sed etiam in gravi necessitate, ad quod tenentur ex justitia ratione sui muneris. Hinc ex Christi verbis debent ponere omnem quam possunt operam in Animarum cura explenda.

Q. Quid debent Fideles Pastoribus suis?

R. Debent 1. amorem, nam pastores sunt vere Patres, qui tenentur dare Animas suas pro filiis suis, ac proinde digni sunt, qui sincere amentur ab eis. 2. Obedientiam circa ea, quae ad spiritualem eorum salutem attinent, repraesentant namque Pastores Ecclesiae supremum omnium Pastorem Jesum Christum, qui Lucae cap. 10. ait: *Qui vos audit, me audit: et qui vos spernit, me spernit*. 3. Reverentiam. Si enim Filius Patrem carnalem revereri debet a quo temporalia recepit, a fortiori Patrem spiritualem, qui ei spiritualia elargitur. 4. Subsidia vitae.

Q. Quid debent Patrini filiolis suis, vel isti Patrinis?

R. Debent Patrini filiolos suos bonis doctrinis imbuere, et praesertim rudimentis Fidei si nesciant, bonisque moribus suo exemplo informare, corrigere, si erreut, et ad meliorem frugem, quoad fieri poterit, revocare, sunt enim fidejussores eorum apud Deum; et vices Patris carnalis gerunt.

Filii autem spirituales tenentur Patrinos suos amore sincero prosequi, reverenter colere eisque obedire in omnibus, quae sui profectum spiritualem, vel temporalem respiciunt: habentur enim quasi Patres pro ipsis Deo rationem reddituri. Collet.

ADDITAMENTA EX S. LIGORIO (1)

DE OBLIGATIONE PAROCHORUM (1)

Parochi, aut alii Curati per se ipsos tenentur ad Sacramentorum administrationem.

Quoad Sacramentum Poenitentiae attinet, Parochus tenetur illud administrare non solum tempore Praecepti, et in casibus gravis necessitatis, sed toties quoties (ut communiter *Lugo*, *Azor*. *Busemb*. *Salmanticens*. *Holzm*-

(1) *Homo apost. Tract. VII. de quarto Praecep. Cap. IV. §. 24. et seq.*

etc. contra *Silvest.*, et pauciores) Poenitentes confiteri etiam ex devotione petunt; nisi (ut recte excipit *Adversa*) illi intempestive, et nimis frequentes vellent audiri; aut nisi essent alii Confessarii, et ipse esset legitime impeditus. Unde dicunt *La-Croix*, *Gobat*, *Concina*, et *Salmant.* peccare illum Parochum, qui redditur morosus, et difficilis ad audiendas Confessiones, praesertim si fuerit accitus ab infirmis, quibus ut praecepit S. Carolus Borromaeus statim, et qualibet hora accurrere debet. Si tamen Curatus semel, atque iterum extra necessitatem renueret alicujus Confessionem audire, probabiliter dicunt *Suarez* et *La-Croix* cum *Arriaga* (contra Bonacinam) non peccare graviter, dummodo non adesset, aliqua urgens necessitas, v. g. Jubilaei, festivitatis solemnis, ut limitat Adversa. Si autem Parochus haberet Oeconomum ab Episcopo approbatum, non tenetur eum tanto rigore Confessionibus audiendis vacare; sed ei animadvertendum est quod certus debet fieri Oeconomum idoneum esse tam quoad scientiam, quam quoad mores, alias rationem Deo ipse redditurus est de omnibus damnis, quae ob ejus ignorantiam, et pravos mores evenient. Semper expediens erit (obiter hic notamus) ut Parochus interdum arcessat Confessarios exteros propter animas verecundas, praesertim si eo Concionator quadragesimalis non solet accedere ad audiendas Confessiones.

Quoad Communionem pariter communiter dicunt DD. teneri Parochum ad eam subministrandam, quoties rationabiliter, et opportune de ea expostulatur, dum Pastor non solum debet prospicere, ut ejus oves praecepta adimpleant, sed etiam, ut iis auxiliis praemuniantur, quae eorum profectui conferre possunt. Hinc sancitum fuit ex Decreto S. C. anno 1679. approbato ab Innoc. XI. Pastores (Episcopi nempe aut Parochi) licet ex justis causis possint Communionem taxare alicui subdito in particulari, non posse tamen praescribere dies Communionis pro omnibus generatim, sed debere in hoc remitti judicio Confessariorum.

Tenentur quoque Parochi curare, ut pueri Communionem Paschalem suscipiant, cum illis capaces sunt, nempe (regulariter loquendo) cum pervenerint ad decimum usque ad duodecimum annum, ut dicunt *Lugo*, *Castropal. Salmant. Dicastil.* etc. aut saltem, usque ad quartumdecimum, uti dicunt *Suar. Laym. Wigand.*, *Antoine*, etc. La-Croix. Sed S. Carolus Borromaeus in IX. Synodo Dioecesana praecepit suis Parochis, ut habiles redderent Communioni omnes decennes; et quidem Parochi postea difficiles se praebent ad Communionem dandam pueris duodecim annos natis; Sed cur? Ne sibi assumant onus eos instruendi. Proh quot Parochi hanc suam obligationem negligunt, quae utique levis minime dicenda est!

Quoad Extremam Unctionem sub gravi tenentur Parochi ad eam ministrandam iis, qui exposcunt. Et animadvertant quod docet Catechismus Rom. (*part. 2. cap. 6. num. 9.*). *Gravissime peccant, qui illud tempus aegrotos ungendi observare solent, cum omni salutis spe amissa, et sensibus carere incipiunt. . . .*

Praeterea Parochi et tanto magis Episcopi tenentur etiam cum periculo vitae ad corripiendos subditos, qui in peccato mortali existunt, aut in proximo periculo labendi in illud, et non solum in eorum extrema necessitate, sed etiam in gravi, semper ac fulget emendationis spes, ut communiter docent *Suar. Bonac. Valent. Coninch. Salmant.* etc. cum *S. Thoma* 2. 2.

p. 175. a. 5. Addimus cum *Cajet. Sanch. Castrop. Diana, Ronch. Holzm.* et aliis comunissime (contra paucos) ad id teneri Pastores non solum ex charitate, sed etiam ex justitia, propterea enim a Communitate stipendium recipiunt, ut ipsi pro viribus curent impedire vitia cujuslibet suae ovis, ideoque, cum deliquerint graviter in eo debito justitiae, remanent etiam obligati ad fructuum restitutionem. . . .

Tandem a bonis Parochis pendent boni mores, et salus populorum. Si in Regione bonus Parochus adest, ibi videbitur florere devotio, Sacramentorum frequentia, oratio mentalis, et bonum exemplum; sin autem Parochus erit pravus, tota Regio vitiis, et scandalis redundabit.

Apostolicae Sedis Litterae recentiores, quae Parochos respiciunt

Beatissime Pater — « Episcopus Cenomanensis, in Galliis, Sanctitati » Vestrae summa cum reverentia repraesentat, quod ab anno 1803, com- » munis invasit opinio, eos, qui curam animarum habent, missam pro po- » pulo sibi commisso applicare non teneri diebus festorum suppressorum » aut translatorum, virtute indulti apostolici diei 9 aprilis 1802, idque ex » dispositione constitutionis *Cum nuper* Benedicti XIV., quia tum sublata » erat obligatio pro fidelibus missam his diebus audiendi. Nunc autem qui- » dam dicunt felicis memoriae Pium papam VII. voluisse quidem obligatio- » nem audiendi missam his diebus supprimere, non vero obligationem eam » pro fidelibus applicandi.

« Idcirco dictus Cenomanensis Episcopus, pro sua et parochorum sibi sub- » ditorum conscientia securitate, veritatem circa hoc punctum frequentio- » ris praxis cognoscere cupiens, ad Sanctitatem Vestram, cum filiali pie- » tate recurrit, ut absque ullo dubio sciat quid agendum sit. Humiliter igi- » tur expostulat:

« 1. An reipsa qui curam habent animarum Missam pro fidelibus sibi » commissis teneantur diebus festorum suppressorum aut translatorum, vir- » tute indulti apostolici diei IX. aprilis 1802.

« 2. In hypotesi quod teneantur, quid agendum sit praemissis hucusque » omissis ».

Responsio

« Perillustris ac reverendissime Domine, uti frater, relatis SS. Domino » nostro per subsecretarium sacrae Congregationis Concilii adjunctis preci- » bus, datis nomine amplitudinis tuae, eadem Sanctitas Sua ad amplitudinem » tuam praesentes dari, eidemque notificari mandavit juxta resolutiones » alias editas ab eadem S. Congregatione concilii, missam pro populo esse » a parochis applicandam omnibus diebus festis etiam reductis. Attentis ve- » ro peculiaribus circumstantiis, ipsa Sanctitas sua facultates necessarias et » opportunas eidem amplitudini tuae benigne impertita est condonandi sin- » gulis parochis, qui applicationem omiserint, in adimplementum, cele- » brata ab unoquoque unica missa, in compensationem praeteritarum omis- » sionum. Haec Sanctitatis Suae mandata dum nos per praesentes exequimur, » eidem amplitudini tuae fausta omnia precamur a Domino — Amplitudi-

» nis tuae, uti frat. stud. — P. Card. Polidorius pro praefectus — Romae » 14. Junii 1841 ».

§. III. *Quaenam officia praestanda ceteris, qui etiam sub nomine Parentum veniunt*

Q. Quid debent subditi, et vassalli Principibus, et Dominis suis?

R. Debent 1. honorem, amorem, reverentiam, et maximam fidelitatem ex corde; quia Principes praesunt loco Dei. Hinc 1. Petri cap. 2. *Subjecti estote omni humanae creaturae propter Deum, sive Regi, quasi praecellenti; sive Ducibus tanquam ab eo missis*, et paulo post: *Deum timete, Regem honorate*. 2. Tenentur eis tributa solvere. Hinc Apostolus ad Roman. cap. 13. *Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal vectigal*. 3. Tenentur eis justa, et rationabilia praecipientibus obedire. Salmanticenses.

Q. Quid debent Reges, et principes subditis suis?

R. Tenentur 1. Suos subditos ab inimicis defendere. 2. Leges justas ferre pro utilitate, quiete, tranquillitate, et incolumitate subditorum. 3. Judices, ac Ministros non nisi dignos, rectos, ac sapientes constituere. 4. Recto populorum gubernio, atque justitiae administrandae vacare. 5. Pauperum, viduarum, et orphanorum curam suscipere, et defensionem. 5. Dei dilectionem, ejusque legis adimplectionem exemplo, et verbo, et legibus promovere.

Q. Quid debent Pupilli Tutoribus, minores Curatoribus, et e converso?

R. Pupilli, et minores praestare tenentur suis Tutoribus, et Curatoribus reverentiam, obedientiam, et amorem; nam isti vices parentum gerunt, et de eorum tutela, ac cura rationem reddituri sunt Deo, et hominibus. Tutores autem, et Curatores tenentur non solum bona, et jura pupillorum ac minorum sarta tecta conservare, sed etiam eorum educationem, et instructionem curare, et personas incolumes reddere. Salmanticenses (1).

(1) Quum tutela ideo inventa sit, ut ii defendantur, qui per aetatem suam sponte se defendere nequeunt (*L. 1. ff. de Tut.*); hinc ut Tutores eorumdem jura sarta tectaque tueantur, Cod. noviss. LL. Civ. art. 343. expresse cautum 1. quod Tutor electus Minorum parentes in Consilium-familias adhibeat ad subrogatum tutorem eligendum. II. Inventarium rei pupillaris coram subrogato tutore intra decendium ab onere susceptae tutelae conficiat: in eo autem sub poena amittendi jura, quae ad ipsum pertinent, sua nomina in vires hereditariis aperiat: art. 374. III. Ut infra constitutum mensis spatium post inventarii confectionem bona fide, et publica auctione mobilia rite distrahat, iis dumtaxat relictis, quae ex Consilii-familias deliberatione expresse reservanda, fuerit constitutum: art. 375. IV. Ut redditus ex bonis hereditariis percipiendos, deductis illis, qui in pupillorum alimenta taxative fuerint constituti, in illorum utilitatem convertat: art. 378.

Illud quoque explorati juris est nudam tutoris auctoritatem in quibusdam certis negotiis nullius esse momenti, ac proinde, ut olim apud nos in quacumque ferme pupillari caussa Judex decernebat *expedire pupillo inire conventionem* etc., ita Jure novissimo in iis expediendis Consilii-familias deliberationem requirendam, cui adhaereat etiam Tribunalis Civilis sententia, expresse sancitum. Quamobrem tutorem non posse minorum praedia alienare: art. 380; vel hypothecae vinculo subjicere: art. 381: donationem acceptare: art. 386. hereditatem, quamvis lucrosa sit, adire, vel repudiare art. 385: actionem realem instituere: art. 387: transactionem de pupillorum rebus inire: art. 390. aliaque id genus, exploratissima in Jure res est.

*

Q. Quid Discipuli Magistris, et Paedagogis debent, et isti illis?

R. Discipuli tenentur Magistris, et Paedagogis ex virtute observantiae exhibere honorem, et reverentiam, qualem parentibus exhibere tenentur; nam Magistri et Paedagogi, locum parentum tenent tum ad eos bonis moribus informandos, tum scientiis instruendos. Item debent eisdem obedire, quoad ea quae rectam eorum educationem, et instructionem respiciunt, pro his enim disciputi magistris, et paedagogis concrediti sunt. Magistri autem, et Paedagogi tenentur. 1. Diligentem curam discipulorum gerere in omnibus, quae ad mores christiano dignos, et ad rectam, ac congruam eorum educationem, et instructionem pertinent. 2. Studere, ut discipuli in litteris, vel artibus proficiant. 3. Eos docere quae utilia sunt, justa, et christiano digna, non autem vana, inutilia, aut quae mentem, ac mores subvertunt. Salmanticenses.

Q. Quomodo inter se honorandi sunt conjuges?

R. Debent 1. Inter se fovere mutuum, castum, et patientem amorem; ajebat enim D. Paulus ad Ephes. cap. 5. *Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam.* 2. Debent simul cohabitare quoad domum, et torum, conjuges enim ordinantur ad prolis susceptionem, et educationem, et ad mutua obsequia sibi praestanda: haec autem fieri non possunt, nisi simul domo, et toro cohabitent conjuges. Quare Christus Matth. cap. 10. dixit: *Dimittet homo patrem, et matrem suam, et adhaerebit uxori suae.* 3. Debent sibi mutuo alimenta tribuere, nam conjuges sunt una caro: *Et erunt duo in carne una.* Matth. loc. cit. *Nemo autem*, ut ait Apostolus ad Ephes. cap. 5. *carnem suam odio habuit, sed nutrit, et fovet eam:* et proinde conjux conjugem, quae caro sua est, nutrire debet. Collet.

Ex his inferas, quod graviter peccat conjux, si conjugem injuste, et graviter perturbet, vel si rixam inter se suscitet, aut aversionem foveat, vel ad iram gravem provocet, si graviter vel injuste percutiat, si de ejus maritali fidelitate, sine gravi fundamento suspicitur: si verba graviter infamantia ei dicat, vel humilem Proavorum suorum conditionem exprobet: si ei diuturnam sine justa causa cohabitationem deneget, vel accubitum in eadem mensa, vel toro: si sine causa Sacramentorum frequentiam, vel adimpletionem Ecclesiasticorum praeceptorum prohibeat: si demum ei alimenta deneget, cum tradère debeat, et possit.

Q. Teneturne vir alere uxorem, si duxit sine dote, vel si dos promissa soluta non fuit, vel si factum est divortium quoad cohabitationem, et torum?

R. Quoad I. Si vir ducere voluit uxorem sine dote, eam alere tenetur, quia sibi imputare debet, quod dotem non accepit, et onus suscepit alendi uxorem.

Quoad II. Si dos promissa fuit, sed non soluta, adhuc vir tenetur alere uxorem, quando haec est sub viri obsequio, seu cum viro cohabitat, quia si debet alere familiam, debet etiam alere uxorem, quae est principale familiae membrum. (licet Concina aliter sentiat). At si non est sub viri obsequio, et dos non fuit soluta ob promittentis culpam, non tenetur vir alere uxorem, quia ex Leg. *Pro oneribus* C. de jure dotium, et Leg. *Dotis fructum* ff. eodem, dos datur quasi in pretium, ut ex ejus fructibus vir onera Matrimonii sustineat, et uxorem alat; quare si promittens dotem, quicum-

que sit sive consanguineus, sive extraneus culpabiliter dotem non tradiderit, vir non tenetur ad alendam uxorem. Salm. Concina.

Quoad III. Si divortium factum est ob causam a viro datam, vir tenetur alimenta praestare uxori, quia vir sibi imputare debet, quod uxor secum non cohabitet et divortium factum sit. Si vero divortium factum est ob culpam uxoris, vir non tenetur ei alimenta praestare; quia aliter reportaret commodum ex culpa uxor. Quare recte per hujusmodi divortium, jure alimentorum privatur: *Qui enim non facit, quod debet, recipit quod oportet*, Leg. *Si ea*. C. de condition. insertis.

Q. Debetne vir curare, ut uxor sua christianae vitae vacet?

R. Maxime, quia vir caput est, et rector uxoris, ac familiae suae. Hinc peccat vir, nisi diligenter curet, ut uxor (idem dic de familia) legem Christi, et Ecclesiae adimpleat; nisi curet, ut honestati vacet, et ab illicitis, et periculosis conversationibus abstineat, et sic de aliis hujusmodi.

Q. Teneturne et uxor obedire viro, si justa ac rationabilia praecipiat?

R. Maxime, nam vir est caput, et rector mulieris: *Sub viri potestate eris* Genes. cap. 3. Et ad Colos. cap. 3. *Mulieres subditae estote viris, sicut oportet, in Domino*. Quare uxor debet viro non solum praestare obsequium, sed et obedientiam circa ea, quae spectant bonos mores, et familiae gubernationem, ita ut, si notabiliter virum spreverit; vel ei inobediens fuerit, graviter peccabit. Salmanticenses.

Q. Quae alia obsequia uxor praestare debet viro?

R. Tenetur inservire marito: nam non est solum viri socia, sed et aliquo modo ministra. Item debet familiae ministeria exercere, prout ejus conditio patitur per se, aliter curare debet, ut exerceantur per aliam personam. Item tenetur domestica negotia curare, et res familiares conservare, et eas non injuste distrahere, et dissipare. Concina.

Q. Uxor teneturne sequi virum, si alio discedat?

R. Maxime, quia Conjuges tenentur sibi mutua officia praestare. Hoc autem fieri non potest, nisi conjuges simul sint, et cohabitent. Excipe tamen 1. Si uxor in comitando virum, exponeretur mortis periculo, aut committendi peccatum. 2. Si vir sine causa de loco ad locum discedere vellet, et vagari. Salmant., Collet. Concina.

Q. Sed quid, si vir discedat viribus Praeturae compulsus ob delictum commissum?

R. Adhuc, probabilius sentiendo, tenetur uxor sequi virum, quia ex Leg. *Si cum dotem*. §. *sin autem* ff. soluto matrimon., uxor debet sequi infortunium viri; ergo et illum comitari tenetur, dum cogitur exulare. Quod autem dictum est de uxore, dic etiam de viro, uxor necessitate compulsa domicilium mutare cogatur, quia uterque aequalem habet obligationem cohabitandi simul. Salmant., Concina. Quae spectant matrimonii usum dicentur in Tract. ejusdem.

Q. Quid vicissim sibi debent servi, et Domini?

R. Servi debent Dominis suis 1. Honorem, et reverentiam. 2. Obedientia quoad ea, quae honesta, et rationabilia sunt. 3. Praesidium suarum personarum, et suorum bonorum conservationem. 4. In omni necessitate sive spirituali, sive temporali subsidium.

Domini autem debent 1. suorum servorum curam habere spiritualem; unde debent eos bonis moribus informare, et ad fidem Catholicam, quoad ejus fieri possit pertrahere, si infideles sint, et rudimenta Fidei docere, si nesciant. 2. Debent eis alimenta praestare. 3. Debent eos corrigere si errant, et si opus est, prudenter, et discrete punire, et ratio horum omnium officiorum est, quia domini sunt veluti Patres servorum.

Q. Servi possuntne licite fugere a potestate Dominorum?

R. Si servi facti sunt ex bello injusto, uti sunt Christiani capti a Mauris, et Saracenis; vel servi sunt justo bello capti, sed impelluntur a Dominis ad peccata, vel inique tractantur, et tunc licite possunt fugere, quia injuste detinentur, et proinde possunt dominorum tyrannidem declinare.

Si autem servi sponte suam vendiderunt libertatem Dominis, aut venditi fuerunt a patre justa de causa, vel servi dominis fidem juratam dederunt non fugiendi, vel servi facti sunt per Judicis sententiam, ob aliquod commissum crimen, fugere non possunt, quia domini juste eos possident, et servi fugiendo eis injuriam inferunt

Si vero servi facti sunt justo bello, vel nativitate ex matre justo bello capta, litgium est inter DD., probabilius tamen censent Salmanticenses cum plurimis, posse fugere, et ratio est, praeter alias, quia eodem jure, quo introducta est servitus per bellum justum, est etiam introductum, quod servi ad suos fugere possint. Salmanticenses.

Q. Quid sibi promiscue debent famuli, et Domini?

R. Famuli, sive servi conductitii debent Dominis 1. Honorem, reverentiam. 2. Obsequium, et famulatum, sive operas suas praestare, prout locaverunt eas. 3. Custodire res Dominorum suorum ne auferantur, aut damnum patiantur. Et haec omnia naturali jure ex contractu locationis operum descendunt.

Domini autem tenentur prospicere saluti tum spirituali, tum temporali famulorum, et salarium, ac omne aliud, quod conventum, et promissum est, reddere eis.

Q. Estne famulis tradenda sua merces, sive salarium, pro illis diebus, quibus aegrotant, et famulari non possunt?

R. Litigium est inter DD. Verum aequitati magis consonum videtur, ut eis merces tradatur praesertim si ad aliquos dies, v. g. quindecim, vel viginti aegrotent; per eos enim non stat, si non famulantur. Salmantic. Concina.

Q. Suntne honore afficiendi senes?

R. Maxime; quia veniunt etiam sub nomine parentum, et senes se habent etiam ad juniores, sicuti Magistri ad discipulos. Hinc Levit. cap. 19. v. 32. *Coram capite cano consurge, et honora personam senis.* Quare, quae debent sibi mutuo discipuli, et Magistri; debent etiam sibi juvenes, et senes. Salmantic.

CAPUT VI.

De quinto Decalogi Praecepto; Non occides

Q. Quid hoc Praecepto prohibetur, et quid praecipitur?

R. Prohibetur 1. Homicidium, et quidem non solum manu committen-

dum, sed etiam corde, si scilicet optetur, vel lingua, si mandetur, vel suadeatur consilio, precibus etc.

2. Prohibetur omne id, quod nocere potest vitae humanae;quare prohibetur etiam injusta verberatio, mutilatio, incarceratio, et quaevis alia injusta violentia, qua corpus, et vita Proximi laeditur.

3. Prohibetur detractio, contumelia, ira, odium, invidia, rancor, indignatio, et quilibet animi motus ad Proximi laesionem impellens. Hinc ep. 1. Joan. cap. 3 *Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est.* Et ex Augustino in canon. 28. *Homicidium* de Poenit., dist. 1.: *Homicidium lege vetitum putabatur, non aliud est, nisi corporis peremptio: Aperuit ergo Dominus, omnem iniquum motum ad nocendum fratri in homicidii genere deputari.* Besombes de V. Decal. Praec., Concina., lib. 7. in Decal. f. 210.

Imperatur autem hoc praecepto mansuetudo, clementia, comitas, patientia, et injuriarum condonatio, ut concordi amicitia, et charitate non solum amicos, sed et inimicos prosequamur, et cum omnibus pacem habeamus. Ita ex Catechismo Romano de V. Decal. Praec. §. 2.

Quare hoc Decalogi praeceptum quoad primam partem est negativum; quoad secundam est affirmativum.

Q. Quid est homicidium?

R. Est *injusta hominis occisio deliberate facta.*

Dicitur *injusta*, hoc est culpabilis, quia si occisio inculpabilis est, homicidium non dicitur, sed necessariae, et inculpatae defensionis, vel legitimae, et justae poenae, vel casus mere fortuiti nomen assumit.

Injusta autem potest esse hominis occisio, quando haec directe fit 1. Si occiditur innocens 2. Si occiditur nocens, sed auctoritate privata, aut non servato ordine juris. Si autem indirecte accidat occisio, haec erit injusta, vel quia non remota fuit homicidii causa, quae poterat, et debebat removeri, vel quia debita diligentia in agendo adhibita non fuit. Besombes de homic.

Dicitur *Hominis*, sive sui ipsius occisoris, sive alterius. Quare pro plantis, et brutis hoc praeceptum non stat, ut Manichaei somniabant. Verum tamen est, quod nimia, et irrationabilis adversus bruta crudelitas truculenti animi indicium est, et quoddam contra homines saevitiae tyrocinium, quod peccatum veniale non effugit ex illo Proverb. cap. 12. *Novit justus jumentorum suorum Animas, viscera autem impiorum crudelia.* Antoine t. 3. f. 344.

Dicitur *deliberate facta;* quia si casu mere fortuito fiat, culpa vacat, et homicidium non dicitur nisi improprie Danes.

Q. Quale peccatum est homicidium?

R. Gravissimum, quia per illud destruitur imago Dei; quae in homine reperitur; unde Dei Majestas in sua imagine quodammodo violatur Insuper homicidio adimitur homini vita, quae inter temporalia est maximum, et incomparabile bonum. Quare homicidium opponitur justitiae commutativae, et legali, quia laeditur jus, quod habet homo ad vitam suam, et laeditur jus Reipublicae,quae habet ad vitam Civis. Licet opponi potest etiam aliis virtutibus, juxta circumstantias, quae homicidio adhaerent. Antoine de just. t. 3 f. 344.

Q. Quotuplex est homicidium?

R. Multiplex, nam 1. Vel *simplex* est, vel *qualificatum*. *Simplex* est illud, quod continet solam injustitiae malitiam. *Qualificatum* est, quod vel ex parte occisi, vel ex modo occidendi aliqua circumstantia sociatur, quae praeter injustitiam, aliam contrahit malitiam, quae est in confessione explicanda. Hujusmodi est parricidium, nempe homicidium patris, matris, filiorum, conjugis, fratrum et etiam aliorum propinquorum usque ad quartum gradum, quod, praeter injustitiam, continet etiam impietatem. Item homicidium personae sacrae, quod continet injustitiam, et sacrilegium. Similiter latrocinium, quod est homicidium cum furto conjunctum, et duplicem continet injustitiam, realem scilicet, et personalem. Assassinium etiam, quod est homicidium commissum per personam pretio conductam ad occidendum. Denique proditorium, hoc est homicidium commissum per fictam amicitiam, vel per insidias; unde sibi cavere non potuit occisus. Quae postrema homicidia continent etiam specialem malitiam ratione modi; quia in eis adimitur aggresso modus se defendendi. Cunil. de Praec Decal. f. 414.

Nulla qualificatio Theologica tamen habetur ratione modi, sed tantum juridica ob diversas poenas. Nam semper sola justitia laeditur, et licet defensio tollatur per abortum proditorium etc. haec etiam ad eamdem justitiam pertinet. In latrocinio qualificato tantum adest ob furtum, et homicidium, injustitia realis, et personalis.

2. Homicidium vel est *voluntarium*, vel *casuale*, vel *necessarium*; de quibus distinctis paragraphis agendum. Collet de Irregul. f. 537, Concina f. 210. n. 9.

§. I. *De homicidio voluntario.*

Q. Quid est homicidium voluntarium?

R. Est illud homicidium, *quod ex voluntate occidendi procedit*. Quod dupliciter dici potest voluntarium, *directe* nempe, *et indirecte*.

Directe voluntarium dicitur homicidium, quando directe, et expresse volitum est, quod fit, cum quis ad homicidium patrandum directe ordinat actionem sive physicam, uti esset veneni propinatio, vulneratio etc. sive moralem, uti mandatum, consilium etc. Aut cum ponit causam ita morti proximam, ut mors suapte natura illam sequi soleat, ut si quis alium feriat punctim circa praecordia, vel caesim circa caput, licet sine directa occidendi voluntate, aut cum quis ex justitia tenetur impedire homicidium, et facile potest, et nullum tamen conatum adhibet ad impediendum; tunc enim adesse censetur dolus, et directa voluntas homicidii. Layman lib. 3. de Justit. f. 323 Besombes.

Indirecte voluntarium dicitur homicidium, cum non est volitum in se, et directe, sed in sua causa; quod fit, cum quis ad impediendum homicidium, quod praevidit, et tenebatur, ex justitia impedire, non omnem, quem poterat, et tenebatur, adhibuit conatum, vel cum quis causam posuit homicidii praevidens, vel praevidere potens ex ea homicidium oriri posse, et tamen non impedivit, cum poterat, et debebat impedire vel non ponendo causam, vel cautius agendo. Et hoc homicidium dici etiam solet *virtualiter*, *et interpretative* voluntarium. Layman ibidem.

Q. Potestne quis licite seipsum occidere?

Notandum ante responsionem, quod duplici modo potest quis seipsum occidere. *Directe*, aut *positive*, et *indirecte*, seu *negative*. Occiditur *directe*, et *positive*, cum actionem ponit ex proposito se occidendi, v. g. ebibit venenum, ut moriatur. *Indirecte* vere et *negative* occiditur cum propriam mortem permittit, vitam suam periculis exponendo, vel media omittendo, quibus vitam posset servare. Collet. Hoc notato:

R. Suicidium directe patratum est per se illicitum, ac Lege naturali, et Divina prohibitum, ac nemini quacumque ex causa permissum. Siquidem Praecepto *Non occides* quemadmodum vetitum est alterum occidere, ita et semetipsum; nam sicut non habet homo dominium vitae alterius, ita nec suae; sed totum dominium humanae vitae penes Deum est, ut ex Sapient. cap. 16. et Deut. cap. 32 clare patet (1).

Neque obstat, quod aliqui sancti viri sibi mortem intulerunt directe, uti Sampson, qui voluit simul cum Philistiim morte occumbere (Judic. cap. 16) Eleazarus, qui elephante casuro se supposuit, ut ipsius mole opprimeretur. (1. Machab. cap. 6). S. Apollonia, plurimaeque sacrae virgines, quae sponte morti se dedere; nam respondetur, hos aliosque hujusmodi sibi conscivisse mortem ex motu interno Spiritus Sancti, ut testatur D. Augustinus lib. 1. de civit. Dei cap. 26. Collet. Cunil., Antoine.

Suicidium indirecte volitum, regulariter loquendo, etiam illicitum est ex eadem ratione, quia homo non habet suae vitae dominium; imo tenetur eam custodire, ac servare, unde non potest eam periculis exponere, uti probat D. Thomas 2. 2. quaest. 64. art. 5. ad 5.

Quare dicendum quod laethaliter peccat, qui non vult cibum sumere, vel remedia, ex proposito moriendi. Qui esculentis, et poculentis, vel luxuriae, aut aliis excessibus dat operam, praevidens, vel praevidere potens, quod inde sibi inferat mortalem morbum. Qui evidenti periculo exponitur mortis, mutilationis, vel gravis vulneris, ut lucretur, uti et funambulus, taurorum agitator, vel alius hujusmodi, vel qui sinit a vipera morderi, et venenum ab ea suscipere, ad experientiam suae Theriacae: etc. et ratio est, quia indirecte procuratur Suicidium, quod illicitum est, atque prohibitum.

Dixi *regulariter loquendo illicitum* esse *Suicidium indirecte volitum*; quia si concurrat justa, ac gravissima causa, qualis est ex D. Thoma 2. 2. quaest. 64. art. 5. verae virtutis exercitium, vel fuga alicujus peccati, potest quis vitam suam periculo mortis objicere, vel quaedam omittere remedia quibus vitam conservare posset, quia non est prohibitum homini absolute, ne vitam suam periculis exponat, nec eidem absolute praeceptum est, ut semper conetur vitam positive conservare, quantum potest, sed ei solum prohibitum est, ne absque justa, ac gravissima causa exponat, quando concurrit justa ac gravissima causa exponendi periculo vitam suam, quis non peccat, quia non vult Suicidium, sed virtutis exercitium; quod potest laudabiliter exequi, Besombes, Antoine loc. cit. f. 347.

(1) Regio diplomate sub die 1. Octob. an. 1829. agnitum fuit ad Parochos pertinere jus decernendi secundum canones quibusnam eorum, qui mortem sibi conscivérint, ecclesiastica sepultura deneganda sit. Quamobrem Civilis Potestas locum profanum designat, quo illorum cadavera absque funerariis ritibus efferenda sint. Dioecesani vero Episcopi controversias exorientes intra mensem cognoscent, ac definient.

.. Quare non peccat qui deservit peste infectis cum evidenti periculo vitae suae, quia maximam exercet charitatem. Non peccat miles, qui servat stationem, et non fugit, advenientibus hostibus, a quibus certo occidendus erit, quia exercet actum justitiae, cum teneatur ex officio non deserere stationem. Non peccat, qui ob bonum Religionis, vel Reipublicae, committit se periculo mortis, quia tenetur praeferre bonum commune bono privato vitae suae. Non peccat puella, quae periculo mortis exponitur clamando, vel fugiendo, ne violetur ab iniquo aggressore: quia exercet actum fortitudinis, et castitatis. Non peccat reus morti proximus, si apertis portis carcerum, ex eis non fugit, vel si collum extendit ad laqueum, vel scalas patibuli conscendit, quia exercet actum obedientiae. Non peccat qui ad vitandam mortem certam utitur aliquo remedio periculoso mortis, quia exercet actum charitatis erga seipsum, et sequendo naturae instinctum exercet actum prudentiae. Cuniliati. (1).

Q. Ille qui laethali morbo laborat, teneturne remedia a medico praescripta adhibere?

R. Si remedia sunt communia, ac ordinaria, et facile comparabilia tenetur, quia illa respuere, idem est ac mortem velle sibi indirecte procurare. Si vero sunt remedia extraordinaria, vel difficilia, ita ut gravissimum incommodum, vel graves sumptus, aut gravem ruborem secum afferant, non tenetur, quia cum praeceptum servandi vitam affirmativum sit, non obligat omni tempore, et modo. Layman, Cuniliati, Collet, Concina.

Q. Praeter eos, qui se, vel alios directe, vel indirecte occidunt; quinam alii homicidii malitiam contrahunt?

R. Plures alii et 1. Mandans homicidium, nam qui per alium facit, per seipsum facere videtur: quare mandans causa moralis directa homicidii dicitur. Advertendum tamen hic, quod si mandatum sufficienti ratione expresse, vel aequivalenter fuit revocatum ante executionem, et revocatio inno-

(1) Indirecte aliquando ex justa caussa licet exponi periculo; ut communiter docent DD. Hinc dicunt licere in casu incendii se praecipitem dare ex foenestra, semper ac apparet spes mortem imminentem evadendi, Ita *Laym. Less. Lug. Salmant.* etc. Dicunt *Bonac. Lugo, Less.* etc. licere navi ignem applicare etiam cum periculo vitae evidenti, ne cum damno communi in manus inimicorum veniat. Dicunt *Laym. Busem; et Mazzotta*, quod licet aliqua virgo non possit se ipsam occidere, posse tamen se exponere mortis periculo, ne violetur, et hoc non videtur improbabile tum ob amorem, qui castitati debetur, tum ob periculum peccati, quod semper adest in tali occasione. Licitum est, immo laudabilis Certosinis a carnibus abstinere, etiam cum periculo vitae, ut probabilius dicunt *Sanch, Besomb. Salmant.* etc. Sed si comederent in tali periculo (modo saltem probabili), non peccarent, ut dicunt *Azor, Med., et Vict.* Immo si nullum alium cibum haberent, quam carnem, ea vesci tenentur. Dicunt licere poenitentiis; et jejuniis virtutis amore se mortificare, licet vita per multos annos imminuenda foret, modo poenitentiae non sint immoderatae. Insuper dicunt communiter *Sotus, Bonac. Salmant.* neminem teneri vitam servare (nisi necessaria esset bono communi) mediis extraordinariis, et valde doloriferis. v. g. tibiam sibi incidendi permittere. Ita etiam dicunt *Less. Sanch. Turrian. Salmant.* etc. non teneri virginem aegrotantem manus Chirurgi in verendis subire, ut suae infirmitati occurratur: potest tamen id sinere. Tenetur autem permittere, ut curetur ab alia foemina. *S. Ligorius homo apost. Tract. VIII. de V. Praecept. Dec. §. 1. et seq.*

tuit mandatario, tota malitia homicidii, si sequatur, mandatario est adscribenda. Collet.

Q. Quid si quis Petrum ex mandato ipsius Petri occidat?

R. Occisor homicidii reus est, quia occisus non poterat talem tribuere facultatem, cum vitae suae dominus non esset: quare peccavit tum mandans occisus, tum mandatarius occisor, atque jure optimo David (lib. II. Reg. cap. 1.) Amalecitam morte punivit, qui Saulem, licet oboixe rogantem, interfecit. Layman, Aotoine fol. 346.

Q. Diciturne directe voluntarium committere homicidium, qui non expressum, sed tacitum dedit mandatum ad occidendum?

R. Maxime: quia ex vi illius mandati commissum est homicidium, unde auctor homicidii mandans censetur. Hinc si Petrus iniuriis affectus dicat amico, vel fratri, vel servo: utinam et aliquis esset, qui hunc iniquum injuriosum e vivis tolleret, vel aliquod simile eructet, et amicus, vel frater, vel servus injuriosum occidit, Petrus homicidium commisisse censetur. Item si coram Petro aliquis serio affirmaverit se occisurum Petri inimicum in gratiam ejus, et Petrus credens illum suum propositum posse exequi, non contradicat, et non impediat, cum possit, si revera homicidium accidat, Petrus auctor homicidii judicandus est, quia tacite consensisse, et mandasse censetur. Similiter ex eadem ratione, si Petro rixante cum aliquo, amicus Petri superveniat, et a Petro non prohibitus, aut repulsus inimicum Petri rixantem occidit, Petrus homicidii directe voluntarii reus est. Collet. Layman de Justit. tract. 3. cap. 4. f. 325.

2. Malitiam homicidii contrahit ille, qui efficaciter praebet consilium homicidii. Hic namque, sicut in homicidium efficaciter influit, ita et homicidii causa moralis censetur. Cap. *Sicut dignum*, de homicid., cap. *Si quis viduam* dist. 50. Leg. *Saepe* ff. de verbor. signif. Ubi nota, quod si consulens iniquum consilium suum, quo sua sit necessitatem, vel modum, vel tempus vel locum homicidii committendi, postea revocavit, adhuc homicidii reus est, si homicida ex suasione consulentis motus est ad homicidium committendum; quia homicidii causa censetur consuleos, licet revocaverit suum consilium; intellectus enim semel instructus difficillime removetur ab instructione concepta; quare quamdiu subsistunt motiva consilii, consilium ipsum videtur subsistere.

At si consulens ex errore juris, vel facti consilium praebuit homicidii, si revocet consilium postea, ac consulto sufficientibus rationibus significavit, ex ignorantia, et errore suum dedisse consilium, ab homicidii culpa immunis est: quia tota vis consilii ablata est, quare si homicidium sequatur, ejus malitia occisori tota adscribenda erit. Collet de Irreg. f. 548.

Q. Quid si quis alteri mandet, vel suadeat verberationem alicujus, et expresse prohibeat, illum occidere, at in verberando sequitur homicidium verberati aut verberantis?

R. Mandans, vel consulens reus est homicidii indirecte voluntarii, quia censetur indirecta homicidii causa, utpote qui verberantem, vel verberatum exposuit periculo mortis, poterat namque, et debebat praevidere, posse ex verberatione sequi alterutrius, vel utriusque homicidium, et proinde debebat a mandato, vel consilio verberationis abstinere. Cap. final. de homicin 6., Layman.

2. Reus est homicidii ille, qui cooperatur homicidio, vel in homicidium consentit; hic enim etiam causa moralis homicidii censetur. Sic qui falso accusat aliquem, vel contra eum testificatur, unde accusatus morti traditur: Judex item, qui injuste morti adjudicat aliquem, vel legitimam defensionem alicui injuste accusato denegat, et ex hoc capite plectitur. Similiter qui injuste aggresso occultat arma, quibus se defendat, ut sic occidatur, qui etiam aliquem paratum ex caritate ad succurrendum homini vita periclitanti, retrahit per vim, metum, aut dolum, unde homo ille revera occiditur, peccato homicidii tenentur isti, tanquam cooperatores, et in homicidium consentientes. Collet de Irreg. f. 548. (1)

§. II. *De homicidio casuali*

Q. Quid est homicidium casuale, et quotuplex?

R. Homicidium casuale est illud, *quod praeter intentionem agentis accidit:* quod duplex esse potest, *Pure casuale, et casuale mixtum.*

Pure casuale est illud quod praeter omnem intentionem agentis sequitur ex actione, ex qua nec praevidit agens, nec praevidere potuit homicidium esse sequuturum. Collet de Irreg. f. 546.

Casuale mixtum (scilicet ex voluntario indirecto, et casu, et proinde per aliquos confunditur cum homicidio voluntario indirecto, seu in causa) est illud, quod quis nec indendit, nec praevidit, praevidere tamen poterat, ac debebat ex sua actione posse sequi, et ideo tenebatur illud impedire, sive majorem adhibendo diligentiam, sive abstinendo ab opere periculoso. D. Thomas 2. 2. quaest. 54., Cuniliati de homic. f. 327., Concina f. 255., Collet de Irreg. f. 546.

Hic tamen advertendum, quod tunc dicitur quis posse, et debere praevidere homicidium ex sua actione sequuturum, cum actio, quam ponit, talis est, quae saepe ad homicidium tendat, vel ex qua aliquando homicidium secutum sit. Iidem DD.

Q. Homicidium casuale estne peccatum?

R. Si sit pure casuale peccatum non est, quia commissum sine ullo voluntatis concursu, quod autem voluntarium non est, peccato adscribi non potest: quare minus proprie hujusmodi hominis occisio dicitur homicidium.

(1) Jure ecclesiastico Dioecesis Neap. patrantes *homicidia, vel mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, Coemeteriis, aut Sacristiis, aut publicis Oratoriis* incidunt in excommunicationem Ordinario reservatam, ut in casu XI. in Tabella.

Insuper incidunt in casum Ordinario reservatum, cum excommunicatione omnes *conficientes cujuscumque generis venena in hominum perniciem: eadem scienter dantes, apponentes, vel quomodolibet cooperantes, vel consulentes, etiam non secuto effectu.*

Jure autem Civili cod. LL. Crim. art 352. et seq. sancitum 1. capite plectendos qui impias manus in hominum sanguine polluant.

2. Parricidam supremo supplicio damnandum cum tertio gradu publici exempli: scilicet ut reus nudis pedibus, atra veste indutus, vultu nigro velo obducto, ad extremum supplicium trahatur.

3. Veneficum gladio puniendum cum primo gradu publici exempli, idest ut reus loco patrati facinoris, aut propinquiori poenam capitis subeat.

Si autem est casuale mixtum, quia voluntarium aliquod adjunctum habet, est peccatum grave, ejusque gravitas major, vel minor est, prout plus, vel minus volantas ad illud concurrit.

Hinc mortaliter peccavit qui foeminam praegnantem quovis modo percussit, vel perterrefecit, et ex hoc illa abortum passa fuit: item Medicus, vel Chirurgus, qui ex imperitia, vel negligentia sua, caussa fuit, ut aegrotus moreretur. Similiter parentes,qui infantes valde teneros in proprio lecto dormientes retinendo, praeter intentionem suffocarunt, Advocatus etiam, si ex ejus imperitia, vel desidia cliens innocens morti traditus fuit: Princeps item, et magistratus, qui non expulit, cum poterit, latrones, et viarum grassatores, qui deinde occidunt, et expoliant cives, et viatores. Isti enim homicidii mixte casualis rei censentur. Cuniliati fol. 327., Antoine t. 3. f. 361.

Q. Quid de eo, qui homicidium secutum poterat, et debebat impedire, et non impedivit?

R. Si tenebatur ex sola charitate impedire homicidium, quod secutuum est, licet graviter peccavit contra charitatem, non est tamen reus homicidii proprie dicti; homicidium enim stricte sumptum illud dicitur, quod contra justitiam fuit; quare nec etiam ad restitutionem tenetur, si exinde damna orta sunt, quia justitiam commutativam non laesit.

Si autem teuebatur ex justitia obsistere, et non obstitit, quantum poterat ad homicidim impediendum, homicidii malitiam contraxit; quia homicidium fuit sibi voluntarium in causa, nempe, in omissione impedimenti, quod ex justitia debebat ponere; quae omissio laesit tum jus illud quod habebat occisus, ut impediretur mors sua; tum illud quod habebat Respublica, ut impediretur mors civis sui, et proinde ad restitutionem tenetur damnorum, quae ex homicidio fortasse obvenerunt. Collet. f. 548. Antoine f. 361.

Hinc hujusmodi homicidii reus est Gubernator, Judex, vel alius Superior, qui injustae mortis sententiam non impedivit, cum potuerit. Item custos animalis feri, qui sciens, illud solere in homines ferocire, non caute custodivit, et proinde aliquem sibi obvium occidit. Ille pariter, qui puellae, quam defloravit, abortum proponenti non contradixit etc. Hi enim tenebantur ex justitia homicidium impedire. Collet de Irreg. fol. 548. Layman. de Just. fol. 326.

Q. Estne homicidii reus censendus, qui dans operam rei licitae, hominem casu occidit?

R. Si iste debitam praemisit diligentiam, ne aliquem occideret, homicidii reus non est censendus, si ex ejus facto homicidium ortum sit: quia hujusmodi homicidium neque voluntarium fuit, quia agens debitam adhibuit diligentiam ad praecavendum illud, neque culpabile, quia culpa obnoxius non fit, qui aliquod licitum agit. Quod si in agendo, etsi licite, debitam non praemisit diligentiam, homicidii censendus est reus; quia cum poterat, et debebat illud vitare, debitam diligentiam praemittendo, quam non praemisit, illud sibi voluntarium fuisse reputatur in causa, scilicet in debitae diligentiae omissione. Collet de Irreg. fol. 549., Antoine de Justit. fol. 360.

Q. Quid si quis dat operam rei illicitae, et ex tali opere casu homicidium sequitur?

R. Cum duplici ex caussa aliqua res possit nunc dici illicita, scilicet vel quia adversatur alicui virtuti, sive praecepto, vel quia continet aliquod mortis periculum, seu quia potens est aliquando inferre mortem; hinc si quis dat operam rei illicitae non periculosae, sed solum alicui praecepto adversae, moralem, ac debitam adhibet diligentiam ad praecavendum homicidium, licet peccet contra illam virtutem, quam laedit, non est tamen homicidii reus, quia homicidium non fuit sibi voluntarium neque directe, neque indirecte.

Hinc si Clericus venationi non clamorosae aliquorum animalium vacet, et moralem vigilantiam ac diligentiam adhibet ad evitandum homicidii periculum etiam remotum, reus erit quidem praecepti Ecclesiastici prohibentis Clerico venationem, non vero homicidii. Concina. t. 4. de Homicid. f. 255.

Si vero dat operam rei, quae illicita est, quatenus periculosa, et per se ad mortem tendens, licet omnem adhibuerit diligentiam, homicidii tamen mixte casualis reus putandus est, quia, cum voluerit causam mortis periculosam, effectum inde secutum, scilicet mortem voluisse censetur. Nec praesumitur sufficientem adhibuisse diligentiam: quia alia diligentia non adest, nisi abstinentia ab opere periculoso; nulla enim est diligentia, quae rei naturam mutare potest. et efficere, ut res, quae per se periculosa est, periculosa non sit. Collet, Antoine.

Q. Quid si quis in ebrietate hominem occidat?

R. Si ebrietas, in qua hominem occidit, fuit omnino involuntaria, et inculpata, reus homicidii non est occisor, quia ubi nulla voluntas, nullum peccatum adest, quod etiam dicendum de infante, amente, dormiente, qui casu hominem occidit. Si vero ebrietas voluntaria fuit, et culpabilis, distinguendum est. Si animi sui propensionem, et rixandi in ebrietate consuetudinem suam perspectam habuit, adeoque homicidii periculum praevidit, vel praevidere potuit, dupliciter peccavit, contra temperantiam, quia se inebrievit, et contra justitiam, quia homicidium voluntarium in causa commisit. Si vero neque ex animi sui propensione, neque ex consuetudine suae ebrietatis, neque ex aliqua alia circumstantia periculum homicidii praevidit, aut praevidere potuit, tunc, licet contra temperantiam peccaverit se inebriando; non tamen homicidii reus censendus est; quia homicidium neque in se, neque in causa voluntarium fuit, cum nulla fuerit homicidii praevisio actualis, vel virtualis. Layman lib. 3. de Just. fol. 342.

§. III. *De Homicidio necessario*

Q. Quod homicidium hic necessarium dicitur?

R. Illud homicidium, ad quod committendum quis quasi obstrictus videtur vel ratione officii sui, ut cum Judex nocentem morti adjudicat, vel ratione defensionis, ut cum quis alium occidit ad vitam suam, vel honorem, vel bona defendenda, et conservanda. Collet de Irregul. fol. 546.

Q. Estne licitum Principibus, vel iis, qui suprema pollent potestate, occidere, seu morti adjudicare nocentes?

R. Etsi hoc licitum esse negaverint Valdenses; certum tamen est, quod licitum sit, et patet ex Exodi cap. 22. *Maleficos non patieris vivere. Qui coierit cum jumento morte moriatur.* Item ex Levit. cap. 20., ubi juben-

tur interfici filii, qui maledixerint parentibus, et ii etiam, qui declinaverint ad Magos, vel cum Nuru, aut Noverca peccaverint. Item ex D. Paulo ad Romanos cap. 13.

Nota tamen ex D. Thoma 2. 2. q. 64. art. 4. quod Clericis jurisdictione temporali gaudentibus non licet jus sanguinis exercere in facinorosos sibi subditos, eo quod Clericis committitur ministerium novae legis, in qua non determinatur poena occisionis, vel mutilationis corporalis, et ideo, ut sint idonei Ministri Novi Testamenti, debent a talibus abstinere. Quarę Episcopi, et Praelati Ecclesiastici, qui dominium temporale alicujus Provinciae, vel Civitatis habent, debent Judices saeculares eligere, eisque jus sanguinis conferre ad facinorosorum vindictam.

Q. Possuntne Principes, eorumque Ministri, ac Judices morti, vel mutilationi adjudicare facinorosos, non servato ordine juris?

R. Minime, nam jure naturali cuique defensio sui ipsius debetur, et nemo damnandus, nisi ejus delictum probatum fuerit, et de eo convictus, reus proclamatus sit, quae fieri quidem non possunt, nisi servato ordine juris. Praeterea vetitum reperitur Deuter., cap. 19., ne aliqnis morte damnetur ob unius tantum testimonium, unde damnari non potest facinorosus ob insufficientem delicti probationem, qualis est testimonium unius, a fortiori non potest damnari, si desit ordo juris, nempe accusatio, vel inquisitio, aut denunciatio, examen, convictio, et defensionis locus.

Excipe tamen, si ex dilatione poenae sonti inferendae, periculum aliquod rebellionis, vel fugae facinorosi, vel aliquod aliud malum, vel damnum Reipublicae timeatur; tunc enim, si certo constet fuisse delictum a facinoroso commissum, ordo juris potest omitti.

Ubi notandum, quod semper concedendum reo ad mortem damnato tempus recipiendi Sacramentum Poenitentiae, et Eucharistiae, quia urget praeceptum Divinum. Verum si reus morti tradendus Sacramenta recipere nolit, non tenetur ex hoc Judex ei mortis poenam remittere, vel diu differre. Concina f. 312. et seq., Collet, f. 378.

Q. Princeps potestne licite concedere cuicumque facultatem occidendi banditos?

R. Maxime: si juris ordine servato banditi fuerunt. Principis enim est curare bonum commune, suosque populos ab insultibus facinorosorum immunes reddere. Haec autem exequi non potest facile Princeps, nisi hac potestate utatur. Facinorosi namque publicam tranquillitatem perturbare consueti audacissimique, pene omnes eludunt vias incidendi in satellitum manus, adeoque difficillime vivi capiuntur. Quare si inauditi moriuntur, indefensi, inpoenitentes, sibi imputent.

Unde inferas 1. Quod non licet banditis, se defendere occidendo, vulnerando aggressores auctoritate publica munitos, quia eis injuriam inferrent, et publicae potestati resisterent; non enim est permissa defendendi facultas, ubi offendendi data est libertas, ajunt communiter. DD. in L. 1. C. quando licet cuique. Permittitur ergo bandito solum fugere.

2. Omnibus, quibus talis cura demandata est, licet occidere banditos, quia ex voluntate Principis Ministri facti sunt justitiae, dummodo occidant intra territorium ejusdem, et omnis vindictae animus longe ab eis sit. Concina loc. cit., Cuniliati f. 314. Layman. f. 321.

Excipiendi sunt parentes, liberi, uxor, frater etc., quia non solum non possunt eos occidere, sed etiam tenentur alere: qui jus Civile naturale jus tollere non potest, dummodo banditi non sint actuales Regni hostes. Ita laudati Auctores loc. cit.

Q. Potestne licite Princeps occidere innocentem?

R. *Directe* et *per se* nunquam licite potest. Ait enim Dominus Exod. cap. 23. *Insontem, et justum non occides.* Princeps namque, et respublica a Deo habet potestatem occidendi eos, qui bono communi noxii sunt. Innocentes autem bono communi non nocent, sed illud promovent, et proinde nullo modo directe occidere eos licet. D. Thomas 2. 2. quaest. 64. art. 6., Concina, Antoine.

Hinc non potest mandare, ut infantes, vel foeminae in bello etiam justo captae occidantur, ad hoc ut Civitas obsessa ad filios, et mulieres liberandas, se libentius det. Non licet rabiosum suffocare, ne alius noceat, sed debet in aliquo loco concludi, vel ligari. Quod si forte rabiosus aliquem aggrediatur, ut mordeat, aggressus potest vim vi repellere cum moderamine inculpatae tutelae. Antoine fol. 348.

Indirecte autem, *et per accidens* potest Princeps permittere innocentis occisionem, si necessitas urgeat, et id bonum commune exigat, quia bonum commune praevalet bono privato. Cuniliati f. 315. Antoine f. 348.

Quare si tyrannus velit igne, et gladio subjugare Civitatem, nisi ei tradatur occidendus aliquis civis innocens, licet non possit Dominus Civitatis tradere illum innocentem, ut occidatur, potest tamen innocenti praecipere, ut sponte sua tyrannum adeat, licet praevideat, fore occidendum. Sicut enim cives tenentur naturali jure bono communi consulere, etiam cum vitae suae detrimento, ita et Dominus potest ei praecipere, ut de facto bono communi consulant, tyrannum adeundo, ne civitas tota pereat. Quod si innocens obedire recusat, nocens esse incipit, unde uti transgressor justi praecepti capi potest, et tyranno tradi. Layman. fol. 319. Antoine loc. cit., Cuniliati, Collet. fol. 380.

Si puella tamen petatur a tyranno ob stuprum, suprema potestas eam cogere nequit, licet ille excidium minetur, quia cogere idem est ac in luxuriam consentire, adestque Animae periculum, quod bono publico praevalet.

Ita etiam militiae dux in bello justo praecipere potest, ut explodantur bombardae contra necem hostium, licet praevideat quod etiam infantes, foeminae, et alii innocentes ibi pereant: eorum enim mors non est directe volita, sed tantum permissa ob bonum commune, et ille, qui in necessitate constitutus utitur jure suo, non debet ad culpam imputari effectus praeter intentionem secutus. Antoine loc. cit. Cuniliati f. 315.

Q. Licetne Judici aliquem, quem, certo scit innocentem, morti tradere, eo, quia juxta alligata, et probata apparet nocens?

R. Si Judex suprema potestate praeditus est, dispensando juri: *de judicando juxta alligata, et probata*, debet absolute innocentem liberare. Si talem facultatem non habeat Judex omnem debet adhibere diligentiam, ac studium, ut innocentem liberet, rigorosiorem instituendo informationem; v. g. curando, si fieri potest sine scandalo, ut innocens fugiat, vel ad aliud Tribunal causam deferat, ut in eo Judex iste testimonium illius innocen-

tiae proferat. Si denique per haec nec etiam innocentem liberare valeat: ait D. Thom. 2. 2. quaest. 67. art. 2. quod tenetur eum morti adjudicare secundum alligata, et probata; quia Judex cum publicam exerceat auctoritatem, judicare debet non secundum id, quod ut privata persona novit, sed secundum id, quod sibi innotescit tamquam personae publicae, hoc est secundum id quod ex processu apparet. Non desunt tamen contrariam sententiam defendentes. Concina fol. 218. Cunil. f. 316. Vide Collet de obligat. Judicum in Tract. de Peccatis. Antoine de obligationibus Personar. judicialium cap. V. tom. IV. §. 1. de Judic. qui optime tuentur potius dimittendum officium Judicis, quam damnare innocentem, quia esset occidere innocentem directe.

Praeterea finis legis *judicandi secundum alligata et probata* est, ut veritas habeatur; quare si veritas, quae una est, aliunde habetur, judex non tenetur secundum illam judicare, quia cessat finis legis. Immo cum lex humana non excipiat omnes casus excipiendos, nec potestas ulla super terram sit, cui liceat innocentem uti reum occidere, Judex contra legem ipsam ageret si ullum morti adjudicaret. Nec valet, quod per hoc via injustitiis aperiretur; cum haec sententia casum illum dumtaxat respiciat, quo quis *certe* est innocens.

Q. Estne licitum privata auctoritate viro uxorem, vel Patri filiam simul cum complice in turpi commercio deprehensam occidere?

R. Minime, quia neque maritus est legitimus judex uxoris; neque Pater Filiae, ejusque complicis, neque Deus potestatem utrique dedit occidendi uxorem: vel filiam quantumvis improbam cum complice, sed facultatem occidendi facinorosos. servato ordine juris, supremae Potestati humanae dumtaxat concessit. Merito igitur Alexander VII. hanc damnavit Propositionem: *Non peccat maritus occidens propriam uxorem in adulterio deprehensam.*

Ubi nota, quod licet leges aliquae Civiles, vel Canonicae videantur permittere viro, vel Patri uxoris, vel Filiae turpiter agentis occisionem simul cum complice, dicendum tamen quod non proprie permittant, seu approbent hujusmodi internecionem, sed negative se ferant, quatenus non puniunt illam in foro exteriori, ex praesumptione quod coeca passione impellente, et rationem praevenieute homicidium illud sequutum sit. Collet fol. 379, Concina fol. 221, Layman f. 321.

Q. Licetne homini privato occidere Principem tyrannum?

R. Minime, quia, ut ait D. Thomas, vel quisquis sit Auctor Opuscul. XX. de regimine Princ. lib. 1. cap. 6. esset hoc multitudini periculosum, et ejus Rectoribus, si privata praesumptione aliqui attentarent praesidentium necem, etiam Tyrannorum. Proinde patienter est a subditis sustinendus Tyrannus, et iisdem dolendum potius de peccatis, propter quae permittitur a Deo Tyrannus illos vexare, atque tollenda culpa, ut cesset Tyrannorum plaga. Eadem veritas definita videtur in Concilio Costantiensi sess. 15, in qua damnatus fuit Joannes Hus, qui docebat: *Quilibet Tyrannus licite potest a quocumque subdito interfici.* Cunil. fol. 341. (1).

(1) Dicimus privatis hominibus semper esse illicitum interficere Tyrannum tam primae, quam secundae speciei (idest in *Titulo* et in *Regimine*). Ratio est, quia

Q. Estne licitum occidere injustum aggressorem ob conservationem propriae vitae?

R. Si injuste aggressus vult parcere vitae iniqui aggressoris, ne iste aeternam subeat damnationem, potest equidem, et actum perfectae caritatis exercet dummodo tamen aggressus sistat in gratia Dei, vel non sit persona Reipublicae valde utilis aut necessaria: in his enim casibus tenetur se defendere.

Si autem nolit parcere vitae illius, sed vult se defendere, potest etiam defensione occisiva, dummodo occidatur injustus aggressor cum moderamine inculpatae tutelae, quia non intenditur alterius occisio, sed propriae vitae defensio, licet per accidens sequatur occisio aggressoris. Probatur ex verbis Alexandri III. cap. 3. de sententia excomm. ibi.: *Si Clericum vim sibi inferentem vi quis repellat, vel laedat, non debet propter hoc ad Apostolicam Sedem transmi tti, si in continenti vim vi repellat: cum vim vi repellere omnes leges omniaque jura permittant.* Idemque apparet ex Clement. unic. de Homicid. Quare D. Thomas 2. 2. quaest. 64. 7. ait: *Non est necessarium ad salutem, ut homo actum moderatae tutelae praetermittat ad vitandam occisionem alterius, quia plus tenetur homo suae vitae providere, quam vitae alienae*, et Catechismus Romanus parte III. de Quinto decal. Praec. num. 8. *Si quis salutis suae defendendae causa, omni adhibita cautione, alterum interemerit, hac lege: non occides, non teneri satis apparet.* Cunil. 319. Collet f. 388.

subditi ex divino praecepto venerari, et obedire tenentur suis Dominantibus, quamvis injustis, et perversis, prout docet S. Petrus: *Servi subditi estote in omni timore Dominis, non tantum bonis, et modestis, sed etiam discolis 1. Petr. 2. 18.* Unde D. Augustinus scripsit *Dominum dare Regnum terrenum piis, et impiis, sicut ei placet....* Falsum autem omnino est in Communitate subditorum quamdam adesse auctoritatem superiorem, et a Principe independentem, ita ut casu, quo Princeps perverse Regnum gubernet tota Communitas eum Regno, et vita expoliare possit... Principium (inquam) non tantum falsum, sed perniciosissimum: nam hoc modo duae in Regno essent Supremae Potestates, unde enormissima evenirent schismata, Regnique desolatio. S. Thomas aliam non recognoscit auctoritatem supremam, nisi illam, quam habent Principes, quibus cura communis boni tribuitur: *Cura communis boni commissa est Principibus habentibus publicam auctoritatem. Quapropter etsi Princeps perversus, ac populus gravosus esset, tenetur tamen populus obsequium, obedientiamque illi praestare, cum subditi numquam jus habere possint de rebus gestis Principis judicare, et tanto minus eum damnare ad vitam, aut Regnum amittendum.*

Praeterea perpendi debet quod si hujusmodi casus accideret, quod Princeps a suis subditis trucidaretur caussa mali regiminis, quodnam malum esset majus, illud nempe, quod Princeps patrabat, aut illud, quod ejus mors inferret, quae tali modo eveniret? Postquam subditi sic temere contra eorum Principem concitati fuissent, atque impie manus suas in ejus sanguine inquinassent, quot rixae, schismata, et civilia bella statim insurgere inter eos ipsos inspicerentur? insuper quot rapinae, quot sacrilegia, quotque strages? sublato enim a populo subjectionis froeno, et reverentia erga Regem, omnes illi, qui pravo animo sunt affecti, quibusnam flagitiis seipsos non traderent, abscisso jam timore publicae justitiae? idque dicere voluit S. Thomas (*opusc. XX. de Regim. Princ. l. 1. c. 6.*), ubi scripsit: *Esse hoc multitudini periculosum, et ejus Rectoribus, si privata praesumptione aliqui attentarent Praesidentium necem etiam tyrannorum. S. Ligorius homo apost. Tract. VIII. de V. Praec. Cap. II. §. 13.*

Q. Quid requiritur, ut occisio injusti aggressoris vitae alterius dicatur patrata cum moderamine inculpatae tutelae, et non sit peccaminosa?

R. Requiritur 1. Ut aggressio sit injusta, unde lictores, aut carnifices a Reo licite occidi, mutilari vel vulnerari non possunt, quia non sunt injusti aggressores, sed ministri justitiae, quibus subditus est aggressus.

2. Ut aggressus non possit alio modo suam vitam defendere, nisi vim vi repellendo.

3. Ut nullo modo aggressus intendat mortem aggressoris, sed tantum propriae vitae defensionem.

4. Ut defensio sit actualis, hoc est in actu injustae aggressionis. Hinc occisionem ejus, qui minatur injuste aggressurum vitam tuam, et occisurum, non licet praevenire, nisi quando aggressio moraliter incoepta est: v. g. si inimicus videns te admovit manum sclopo, ut te occidat, et tu ictum ejus praeveniens eum occides. Item non licet persequi injustum aggressorem, qui te vulneravit, et fugit, ne occidatur, vel mutiletur.

5. Ut non utatur majori violentia, quam necesse sit ad defendendam vitam propriam; quare si aggressus potest se liberare inflicto vulnere non laethali non potest occidere, sed solum vulnerare, aut si possit se liberare clamando, fugiendo, vel verberando, id debet exequi, non autem occidere.

6. Ut defensio non sit conjuncta cum odio, vel animo se vindicandi.

7. Ut aggressor non sit persona Reipublicae necessaria, vel valde utilis, uti Princeps, dux exercitus, etc., quia tunc bonum commune praevalet bono privato. Cuniliati f. 320., Collet. f. 387., Antoine f. 532.

Nota hic, quod aliqui, etiam sub his conditionibus, absolute negant, licitum esse occidere injustum aggressorem vitae, et ratio eorum est, quia Proximo in necessitate spirituali extrema versanti succurrendum est, etiam cum periculo propriae vitae; quare cum aggressor sit in extrema necessitate spirituali, quatenus, si occidatur in illo actu, in aeternum peribit, tenetur aggressus parcere ei, etiam cum dispendio vitae suae temporalis. Hinc sibi adducunt aliquos textus sanctorum Augustini, Cypriani, et Ambrosii. Sed respondetur, quod hi textus intelligendi sunt de occisione directa, non vero indirecta. Item respondetur quod qui alteri vitam injuste eripere vult, non est in extrema necessitate spirituali, sed in libera iniquae suae voluntatis executione, a qua si cessabit, statim evanescet ejus necessitas. Ergo moritur, et in aeternum perit, quia ab injusta aggressione non desistit. Unde moritur ex iniqua sua voluntate, non antem ex necessitate. Collet. fol. 388.

Q. Quid si sit amens, ebrius ille, qui injuste aggreditur, num aggressus ad suae vitae defensionem eum occidere possit, etiam sub relatis supra conditionibus?

R. Quamplures absolute affirmant, quia vim vi repellere omnes leges, omniaque jura permittunt. Sed quia in hoc casu verificatur extrema spiritualis necessitas tum amentis, supponatur non esse in statu gratiae, tum ebrii, dicendum probabilius, quod solum in duobus casibus licita sit hujusmodi aggressoris occisio. 1. Si aggressus sibi conscius sit de aliquo peccato laethali, quia licet possit sibi per actum contritionis perfectae consulere, et subire mortem, et sic parcere damnationi aeternae aggressoris, quia tamen in illo instanti difficillimum est contritionem perfectam elicere, ex or-

dine caritatis, tenetur potius consulere saluti suae spirituali securiori modo: quod potest, per Sacramentum poenitentiae, quam providere saluti spirituali alterius. 2. Si aggressus est persona admodum utilis, vel necessaria Reipublicae, vel bono communi, quia debitum publicae communitatis ipsum obstringit ad defendendam vitam suam, licet indirecte mors alterius sequatur. Cunil. f. 316., Collet. f. 388.

Q. Quid si aggressus non potest se defendere ab injusto aggressore, nisi cum periculo innocentis. v. g. infans, vel alius innocens objicitur aggresso, ut ita aggressor tuto occidat aggressum: vel infans, aut innocens jacet in via strictiori, et impedimento est, quominus aggressus fugiens equitando ab hoste liberetur, nisi eum conterat pedibus, et occidat?

R. Aliqui absolute dicunt, non licere occidere illum innocentem, quia licet Jus naturale permittat, ut quisque vitam suam servet, at non sinit, ut eam cum evidenti periculo innocentis tueatur. Ita Collet loc. cit. Alii autem dicunt licere, semper ac aggressus, quoad ejus fieri poterit, diligentiam adhibeat ad mortem innocentis vitandam, quia tunc aggressus principaliter, et directe intendit vitae suae defensionem, et peraccidens, et indirecte permittit potius, quam efficit occisionem innocentis. Ita Salmant. tract. 25. de V. Decal. Praec. cap. 1. p. 3., Laym. de matrim. cap. 1. num. 6. §. Cur autem.

Q. Potestne quis occidere injustum aggressorem vitae alterius?

R. Maxime, concurrentibus tamen conditionibus supra relatis. Quisque enim tenetur Proximum suum, sicut seipsum diligere; quare si potest injustum sui aggressorem occidere, potest etiam injustum sui Proximi invasorem. Insuper vita innocentis praeferri debet vitae nocentis aggressoris; unde lex caritatis suadet, ut in aggressione innocentis ejus vita de facto praeferatur. An autem quis teneatur, dicendum, quod tenetur quis defendere vitam, honorem, et bona Proximi innocentis ab injusto aggressore, dummodo defensio fieri possit absque suo gravi incommodo, et sine periculo vitae, et bonorum suorum, et absque occisione aggressoris; quia tunc urget lex caritatis, imo et lex justitiae pro supremis potestatibus, et superioribus, et his etiam, sub quorum tutela, ac patrocinio Proximus positus est. An autem teneatur quis defendere defensione occisiva vitam alterius, litigium est inter DD., excepto casu eorum, qui a legitima potestate positi sunt ad defendendam vitam alterius etiam defensione occisiva.

Q. Quid si quis per se posuit causam, ut injuste aggrederetur, puta, quia uxorem aggressoris violabat?

R. Potest adhuc, servatis conditionibus supradictis, occidere injustum aggressorem; quia iste semper injustus dicitur, quatenus injuste auctoritate privata illum aggreditur ad suam repellendam injuriam, ac proinde invasus non amisit jus se defendendi. Cunil fol. 320. . Licet alii negativam tueantur sententiam.

Q. Potestne quis praecavere occisione falsos testes, accusatores, iniquum Judicem, a quibus certo imminet iniqua mortis sententia, vel mutilationis?

R. Minime: tum quia accusatus potest vitae suae consulere alio modo; tum quia aggressio non est actualis. Quare hanc propositionem damnavit

Alexander VII. n. 18.: *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, a quo certo imminet, iniqua sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.* Cunil. fol. 320.

Q. Licetne aliquem occidere ob defensionem honoris, vel famae?

R. Minime, quia plures suppetunt viae, quibus honor, et fama conservari, vel recuperari potest. Praeterea haec bona, quae inferioris ordinis dicuntur, non possunt, nec debent compensari, vel conservari ademptione vitae alterius, quae inter temporalia bona, supremum dicitur bonum. Denique honoris, et famae amissio vel secuta est, vel sequenda: si secuta, ad honorem, et famam recuperandam nihil proderit occisio; si sequenda, amissio illa aliis modis impedire potest, ideoque occisio est vindicta, et moderamen inculpatae tutelae deest (1).

Q. Num saltem licet ab hujusmodi invasore honoris se defendere, falsum crimen ei imponendo, vel aliquo alio illicito modo?

R. Minime: tum quia utitur medio intrinsece malo: tum quia haec non esset defensio, sed vindicta (2).

Q. Estne licitum occidere invasorem suae pudicitiae?

R. Litigium est inter DD. Plerique cum D. Antonino 2. part. tit. 7. Cap. 8., et 3. part. tit. 4. cap. 3. tenent licere, dummodo persona invasa, sive mas sit, sive foemina non intendat invasoris mortem, sed suae pudicitiae defensionem, et alia via non suppetit defendendi pudicitiam, tum quia pudicitiae jactura morti aequiparatur a D. Ambrosio lib. 3. Officiorum, tum quia persona aggressa est in evidenti, ac proximo periculo mortis spiritualis, in actum turpem forsan consentiendo. Aliqui autem dicunt, non licere, quia pudicitia uti virtus non in corpore, sed in Anima sita est; quare amitti non potest, nisi persona aggressa libere consentiat in actum turpem, et semper ac persona aggressa modis omnibus obsistat, uti tenetur, exterius, et interius dissentiat, pudicitia illaesa permanebit, *invasori adimitur poenitentiae locus.* Praeterea periculum consentiendi in actum turpem ab homicidio non excusat; quia sicuti non licet occidere seipsum ob tale periculum; ut omnes fatentur, et sicut non licet occidere tyrannum ob periculum incidendi in idololatriam,ita nec licet occidere pudicitiae invasorem ob periculum consensus; peccata enim non sunt evitanda per alia peccata. Quare D. Augustinus lib. de Civit. Dei cap. 25. ait. *Quis enim ita desipiat, ut dicat jam nunc peccamus, ne forte postea peccemus; jam nunc perpetre-*

(1) Damnata fuit ab Alexandro VII. Propositio haec num. 17.: *Est licitum Clerico, vel Religioso calumniatore gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minitantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit ut suppetere non videtur, calumniator sit paratus vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publice, et coram gravissimis viris praedicta impingere.* Et proposito 30. damnata ab Innocentio XI.: *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre; si aliter haec ignominia vitari nequeat. Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, et post impactam alapam, vel ictum fustis, fugiat.*

(2) Damnata fuit ab Innoc. XI. Propositio 43. *Quid ni, non nisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?* et Propositio 44. *Probabile est, non peccare, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, et honorem defendat; et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.*

mus homicidium, ne forte postea incidamus in adulterium. Cunil. fol. 322., Collet. f. 390. Stampò de Restit. f. 233.

Juxta omnes Theologos aggressa potest invasori vitam condonare, si desit periculum consensus et divina gratia se roboratam sentiat. Tenetur vero semper et interius, et exterius quantum potest resistere, clamando, advocando, repellendo etc., quia aliter videtur consentire. Hinc Deuteron. cap. 22. jubetur lapidibus obrui puella, quae non clamavit, dum poterat.

Q. Numne licitum est occidere injustum invasorem bonorum fortunae; quando alia via ea conservari, vel recuperari non possunt?

R. Licet non desint plerique DD., qui dicunt licere, quando sunt bona magni momenti, vel necessaria ad conservationem status juste acquisiti; dicendum tamen est quod illicitum sit semper: et ratio est quia nulla proportio adest inter vitam hominis, quae est inter temporalia supremum bonum, et bona fortunae, quae sunt infimi ordinis: unde iniquum est privata auctoritate praeferre bona inferioris ordinis bono superioris nempe vitae furis. Item ordo caritatis exigit, ut non praeferantur bona temporalia saluti eternae Proximi, quae certo erit amittenda, si fur in actu furti occidatur, et si leges videntur permittere occisionem furis nocturni, id sinunt ob defensionem vitae, non autem bonorum, licet magni momenti. Lege Cuniliati pag. 324. Hinc recte Propositio 31. damnata fuit ab Innoc. XI. *Regulariter possum occidere furem pro conservatione unius auri.* Cunil. fol. 324. n. 1.

Ex quo magis probatur, quod non licet etiam eadem occisiva defensione tueri, vel defendere ea, ad quae habetur tantum jus inchoatum (1).

At si bona temporalia ita sint necessaria ad vitam conservandam: ut iis ablatis vita ipsa abripiatur, licitum est ea occisiva defensione tueri, uti ex communi Canonistarum sententia docet Fagnanus; et hoc sensu secundum *Vivam* damnata fuit prop. 31. ab *Innocent.* XI., scilicet dummodo illud aureum non sit necessarium ad vitam conservandam; quia dicit *Regulariter.*

§. IV. *De Bello, et Duello*

Q. Quid est Bellum, et quotuplex?

R. Bellum est *publica armorum assumptio pro Reipublicae injuria repellenda, aut vindicanda.* Duplex, *Defensivum*, et est illud, quo vis ab aggressore illata per vim propulsatur, *et offensivum*, illud nempe, quo hostis hostem aggreditur, ut ab eo ob illatum sibi damnum sive in honore sive in bonis, satisfactionem obtineat.

Q. Estne licitum bellum?

R. Habitis conditionibus licitum est. Patet, nam in lege veteri antiqui

(1) Damnata est ab eodem Innoc. XI. Propositio 32. *Non solum licitum est defendere defensione occisiva ea quae actu possidemus, sed etiam ea, ad quae jus inchoatum habemus, et quae nos possessuros speramus.* et Propositio 33. *Licitum est tam heredi, quam legatario contra injuste impedientem; ne vel hereditas adeatur; vel legata solvantur, se taliter defendere, sicuti et jus habentes in cathedram, vel praebendam contra eorum possessionem injuste impedientem.*

Patriarchae ex Dei consilio sancte, et pie bella gesserunt, uti Abraham, Moyses, David etc. Item in Lege nova bellum non fuit interdictum, imo et tacite confirmatum. Joannes enim Baptista militibus interrogantibus, quod sibi faciendum esset ad vitam aeternam obtinendam, Lucae cap. 3. v. 14. non praecepit eis, ut militiam desererent, sed ut neminem concuterent, neque calumniam facerent, et contenti essent stipendiis suis. Item Christus Centurionis sub se milites habentis fidem laudavit; nec militiae disertionem praecepit. Matth. cap. 8. Denique Actor. cap. 10. Alius Centurio vir militaris commendatur, ut vir justus, et timens Deum. Probatur, ut vir justus, et timens Deum, Probatur etiam ratione: quia omnia jura, ac leges permittunt, ut vis contraria vi repellatur; quare si vis Reipublicae, vel Principi infertur, Respublica, vel princeps illam vi armorum repellere potest. Collet.

Q. Quaenam conditiones requiruntur, ut bellum sit justum?

R. Istae quas nunc recensemus 1. Ut bellum auctoritate publica fiat, quia bellum est actus justitiae vindicativae. Justitiam autem vindicativam exercere spectat ad auctoritate publica gaudentem.

2. Ut adsit justa, et gravis causa: belli enim incommoda non sunt populo inferenda, nisi ex justa causa.

3. Ut suscipiatur bellum ex recta intentione; scilicet vel acquirendae pacis, vel bonorum, ac jurium Regni servandorum.

4. Ut bellum cum justa moderatione fiat; unde in bello vitanda sunt latrocinia, crudelitates populorum, gravamina indebita. Parcendum item innocentibus, v. g. pueris, foeminis, Clericis, senibus etc., dummodo tamen isti se bello non immisceant. Collet.

Q. Quid si dubitetur de justitia belli?

R. Si Princeps, vel Respublica dubitet, tenetur a bello abstinere, quia injuria dubia non est certa hominum strage, et innumeris populorum incommodis vindicanda. Si vero alii Milites, Cives etc. dubitent, praesumere debent pro justitia belli: nam praesumendum, quod Princeps, vel Respublica, nonnisi post diligentem justitiae inquisitionem, bellum indixerunt. Collet.

Q. Licetne in bello insidiis, et stratagematibus uti?

R. Maxime, quia haec in bello tamquam arma habentur; et ex utraque parte supponuntur; unde si exercitus adversus circumveniatur, id culpa sua accidit.

Q. Quid est Duellum?

R. Duellum (quod graece *Monomachia* dicitur) est *Pugna singularis duorum, vel paucorum ab utraque parte ex condicto accepta, privata auctoritate cum periculo occisionis, aut gravis vulneris, statuto tempore, et loco.*

Dicitur *singularis pugna*, ut discriminetur a bello, quod fit inter plures, et etiam numero inaequales. Haec autem pugna, non est necesse, ut fiat ense, sed sufficit, si fiat aliis armis, aut quovis alio instrumento, quo mors, vel mutilatio, vel grave vulnus inferri possit, hinc fieri potest lignis, ensibus, cultellis, lapidibus, ballistis, etc.

Dicitur *ab utraque parte ex condicto accepta;* nempe unius provocatione, et alterius acceptatione.

Dicitur *cum periculo occisionis*, quia si hoc periculum non adsit, non dicitur proprie duellum, sed vocatur lucta, aut gladiatura.

Dicitur denique *statuto tempore, ac loco*, quia si haec determinatio non habeatur, duellum non est, sed pugna vaga. Salmanticenses, Collet fol. 350.

Hinc inferas, quod ad duellum proprie dictum requiritur 1. Ut pugna sit singularis, seu inter duos, vel saltem paucos. 2. Ut sit ex condicto, nempe uno indicente, altero acceptante. Ut sit conjuncta cum periculo mortis, vel mutilationis, aut gravis vulneris. 4. Ut habeatur simul determinatio temporis, et loci, uti ait. Greg. XIII. In Constit. ad *Tollendum statuto tempore, et in loco convento*.

Q. Quotuplex est duellum?

R. Duplex: *solemne*, scilicet, et *privatum*, sive *simplex*. *Solemne* est illud, quod fit servata quadam forma, sive solemnitate, scilicet praeter designationem temporis, et loci, adhibitis testibus, sive patrinis, literis provocatoriis, aut eorum loco, nuntiis, et affixis carthulis. *Simplex* vero est illud, quod fit sine ulla ex dictis solemnitatibus, sed solum ex condicto, statutoque tempore, et loco designato ab ipsis pugnantibus. Praeterea duellum aliud est, quod fit auctoritate privata, aliud quod fit auctoritate publica. Primum est illud, quod ex propria voluntate committitur, secundum est illud, quod ex voluntate superioris patratur.

Q. Duellum estne licitum?

R. Duellum auctoritate privata initum est intrinsece malum, et caritati graviter adversum, proinde peccatum grave est. Quare semper illicitum est sive offeratur, sive acceptetur, sive committatur; quia per illud vita corporis, et aeterna Animae salus pugnantium morali proximo periculo jacturae exponuntur, ut ait Tridentinum sess. 25. cap. 19. de Reform. *Detestabilem duellorum usum fabricante diabolo introductum, ut cruenta corporum morte, Animarum etiam perniciem lucretur* (1).

Q. Estne licitum duellum publica auctoritate initum?

R. Licitum est, si illud exigat bonum commune, quia si ob bonum com-

(1) Jure merito reperiuntur proscriptae hae Propositiones, una num. 2. damnata ab Alexandro VII; *Vir equestris ad duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.*

Item et aliae quinque a Benedicto XVI. in Constitutione quae incipit: *Detestabilem*, quarum prima est: *Vir militaris, qui, nisi offerat, vel acceptet duellum, tamquam formidoloeus, timidus, abjectue, et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio suo, quo ee, suosque sustentat, privaretur, vel promotionis alias sibi debitae, ac promerita spe perpetuo carere deberet, culpa vacaret, et poena, sive offerat, sive acceptet duellum.*

II. *Excusari possunt etiam, honorie tuendi, vel humanae vilipensionie vitandae gratia, duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt, pugnam non eese secuturam, utpote ab aliis impediendam.*

III. *Non incurrit Ecclesiaeticas poenas ab Ecclesia contra duellantes latas Dux, vel Officialis militiae acceptans duellum ex gravi metu amissionis famae et officii.*

IV. *Licitum est in statu hominie naturali acceptare, et offerre duellum ad eervandas cum honore fortunae, quando alio remedio eorum jactura propulsari nequit.*

V. *Asserta licentia pro statu naturae applicari poteet etiam etatui Civitatis male ordinatae, in qua nimirum vel negligentia, vel malitia Magistratus justitia aperte denegatur.*

mune in bello justo, ut DD. communiter sentiunt, licet pugna inter multos, a fortiori inter paucos, vel duos, ut procuretur bonum commune, puta vel belli exitus, vel hostium debilitatio animi. Sic David auctoritate Regis Saulis rite pugnavit cum Goliath. Praeter boni communis exigentiam, illicitum est duellum, etiam Principis auctoritate initum, quia suprema Potestas non habet dominium supra vitam suorum subditorum, nisi in ordine ad bonum commune. Hoc patet ex Constitutione *Illius vices* Clementis VIII.

Q. Estne licitum provocato hora condicta accedere ad locum certaminis, non ex animo duellandi, sed solum se defendendi, si a provocante aggrediatur?

R. Minime: quia accedendo exponitur periculo proximo mortis alterutrius. Item hoc est proprie accedere ad duellum, ac adversario occasionem praebere aggressionis, et novi peccati.

Q. Licetne alicui inire duellum ad terminandam litem, vel ad probandam innocentiam, aut veritatem?

R. Minime: hoc enim esset medium intrinsece malum, ideoque ex quocumque fine bono minime assumendum. Praeterea vel exitus bonus in casu speraretur a Deo, et duellum inire esset Dei tentatio, vel speraretur a daemone, et esset superstitio, scilicet divinatio, ideoque semper peccatum esset, et quidem grave. Collet.

Q. Quid si duo rixari coeperint in aliquo incongruo loco, et proinde alteri dicat: eamus foras, vel accedamus ad locum magis idoneum; vel decertabimus, ubi primum alter alteri sine comitatu occurrerit?

R. Dicendum, quod sit duellum proprie dictum, quia est pugna singularis ex condicto accepta in loco sufficienter determinato. Collet.

Q. Quid si duo duellum inire statuant solo animo defendendi honorem, evitandi timiditatis notam; sed cum pacto vel eminus decertandi, vel penitus non se offendendi; et de hoc moraliter certi accedunt ad statutum locum, statuto tempore?

R. Licet isti graviter peccent ratione scandali, et in foro exteriori tanquam duellantes reputentur, poenas tamen Canonicas non incurrunt in foro conscientiae, quia tale certamen duellum proprie dictum non est, sed simulatio duelli. Neque dicas, quod hic casus idem sit, ac ille, qui reprobatur in II. Propositione damnata a Benedicto XIV., ibi enim agitur de iis, qui revera acceptant vel provocant ad duellum; licet certo sciant, pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam, hic autem agitur de iis, quorum alter ficte duellum indicit, et alter ficte duellum acceptat ex communi conventione, et si pugna ab ipsomet impeditur ex pacto, non vero ab aliis. Collet.

Q. Quid si aliqui conveniant decertare statuto loco, et tempore, cum pacto tamen, quod a certando cessent, cum primum alteruter vulneratus fuerit, vel certus ictuum numerus illatus fuerit?

R. Isti verum duellum committere dicuntur, ideoque praeter peccatum grave, incidunt in poenas contra duellantes latas: ita ex Constitutione *Illius vices* Clementis VIII.

Q. In quas poenas incidunt committentes duellum vel duello se immiscentes?

R. I. Duelli poenae variae fuerunt: nam Concilium Tridentinum sess.

25. cap. 19. de Reformat. excommunicationem latae sententiae nemini reservatam statuit contra committentes duellum solemne, et eorum patrinos. Item poenam infamiae, et proscriptionis bonorum, et si duellantes in conflictu morerentur, privationem Ecclesiasticae sepulturae. Contra Dominos temporales, qui locum pro duello concedunt, ac contra consulentes, suadentes, spectatores hujusmodi duelli eamdem excommunicationem statuit. Sayrus in suo Thesauro lib. III. cap. 31.

II. Pius IV. anno 1560. in Constitutione: *Ea quae*, confirmavit Tridentini Decretum; et excommunicationem nemini reservatam jam Apostolicae Sedi reservavit; eamque extendit ad Principes, ac Dominos temporales in territoriis duellum solemne permittentes; ac territoria illa Interdicto Pontifici reservato supposuit. Item eamdem excommunicationem extendit ad invitantes ad duellum, ad diffidantes, ad procurantes, auxilium, consilium, vel favorem dantes, adstantes, interessentes. Et, si Clerici essent, praeter excommunicationem, privationem adjunxit dignitatum; beneficiorum et officiorum Ecclesiasticorum, et ad illa in posterum obtinenda inhabilitatem. Sayrus ibid.

III. Gregorius XIII. in Constitutione: *Ad tollendum*, anno 1582. Poenas supradictas Tridentini, ac Pii IV., quae pro duello solemni inflictae erant, extendit ad duella privata, ac statuit, excommunicationem Papae reservatam ipso facto incurrere. 1. Duellum ex condicto committentes, etiamsi privatim, et sine patrinis, ac sociis, et sine ulla loci securitate et sine litteris, sive manifestis invitatoriis, aut provocatoriis. 2. Dominos temporales in suis territoriis duellum permittentes, vel illud non impedientes, cum potuerint impedire. 3. Ex composito spectatores duelli, vel duellantium socios; Item mandantes, instigantes, auxilium, consilium, vel favorem, quomodocumque praestantes scienter, etiamsi duellum non fuerit sequutum; dummodo per ipsos, non steterit, quominus illa (scilicet pugna) non committatur. Sayrus ibid.

IV. Clemens VIII. in Constitutione: *Illius vices*, anno 1592, omnia et singula supradicta decreta; censuras, ac poenas confirmans statuit illa locum habere, ac valere ubique gentium, et terrarum, ac quascumque personas afficere. Item excommunicationis poenas contra Dominos temporales duellum permittentes, vel illud non impedientes latam, extendit ad Magistratus, Praesides, Locumtenentes, Militum Duces, Capitaneos in Castris, vel extra, et ubique degentes, permittentes, vel non impedientes duellum, vel post admissum, impunitatem, vel veniam concedentes. Praeterea hujusmodi excommunicationem extendit etiam ad accedentes ad locum duelli, licet duellum non sequatur; item ad provocantes tantummodo, et acceptantes duellum, etiamsi pugna postea non fiat. Sayrus ibid.

Extendit, etiam eamdem excommunicationem ad omnes, et singulos, qui suo, vel alieno nomine scripta, vel libellos, carthulas, vel manifesta, quae vel expresse provocant ad duellum, vel ad duellum sunt quodammodo incitamenta, scribunt, dictant, componunt, mittunt, deferunt, divulgant, affigunt, exemplant, typis imprimunt, subscribunt, intimant; vel etiam verbo denuntiant, attestantur. Et etiam mandantes, consulentes, et suadentes supradictarum carthularum, vel libellorum, manifestorum etc. Compositio-

nem, scripturam, divulgationem, vel alio quovis modo ad divulgationem se immiscentes, etiamsi pugna aliqua postea non sequatur, aut ad locum statutum accessus; nec habeatur expressa, et aperta provocatio, et etiamsi manifesta, seu carthae provocatoriae non publicentur, aut alicui intimentur, dummodo per eos non steterit, quominus denunciatio, vel intimatio, vel publicatio fiat.

Praeterea eadem excommunicatione ligari statuit omnes et singulos cooperantes ad duellum, vel duello se immiscentes mandato, consilio, auxilio, favore, vel alio quovis modo, etiam duello non secuto, dummodo per eos non steterit, quominus duellum secutum fuerit.

V. Denique Benedictus XIV. in Constitutione: *Detestabilem*, anno 1752. edita, Constitutiones supradictas singulas confirmando, atque poenas in eis contentas, Ecclesiasticae sepulturae privationem a Tridentino indictam contra morientes in actu duelli, extendit ad eos etiam, qui moriuntur extra locum duelli, et extra tempus conflictus, sed ex vulnere in conflictu accepto, etiamsi dederint signa poenitentiae, et a peccatis, et censuris absolutionem obtinuerint.

Ex supradictis ergo Constitutionibus ratione duelli tum solemnis, tum privati (cum tale discrimen ablatum fuerit per Constitutionem Gregorii XIII.) incidunt in poenas.

1. Committentes duellum. Hi contrahunt excommunicationem ipso facto Papae reservatam, item infamiam, et proscriptionem bonorum; et si in conflictu decedunt, aut extra conflictum, sed ex vulnere accepto in conflictu; privantur Ecclesiastica sepultura, ex Tridentino, et ex Gregorii Constitutione, et Benedicti XIV.

In eamdem excommunicationem incidunt etiam.

2. Accedentes ad locum duelli pugnaturi, etsi duellum non sequatur. Ita ex Clementis Constitutione.

3. Provocantes tantummodo ad duellum, vel duellum acceptantes, etiam duello non secuto. ex citata Clementis Constitutione.

4. Patrini, et duellantium socii: ex Tridentino et Gregorii Constitutione.

5. Spectatores, et interessentes duello ex industria: ex Gregorii Constitutione.

6. Consulentes, mandantes, suadentes, procurantes duellum fieri, intimari, acceptari, vel ad haec auxilium, favorem, aut cooperationem quomodocumque praestantes, etiamsi duellum non sequatur, vel intimetur, dummodo per eos non steterit, quominus duellum, aut intimatio, vel acceptatio fiat. Ex Tridentino, ex Gregorii, et Clementis Constitutionibus.

7. Domini temporales, quicumque sint, concedentes locum pro duello committendo: Ex Tridentino: iidemque permittentes duellum, et non impedientes: ex Gregorii Constitutione. Magistratus, Praesides, Locumtenentes, Militum Duces, Capitanei, aliique Superiores permittentes duellum, vel illud non prohibentes, vel pro admisso duello impunitatem, vel veniam concedentes. Ex Clementis Constitutione.

8. Publicantes, affigentes, vel intimantes libellos provocatorios, sive carthulas, seu manifesta (vulgo *avvisi*) pro duello committendo. Ex Clementis Constitutione.

9. Carthulas, libellos, manifesta, aut quaevis alia scripta, aut narratio-

nes directe, vel indirecte ad duellum provocatorias facientes, componentes, scribentes, dictantes, typis tradentes etc. Sicut etiam mandantes, consulentes, suadentes vel alio quovis modo cooperantes, ut hujusmodi carthulae, libelli, manifesta, narrationes etc. componantur, scribantur, dictentur, typis mandentur, divulgentur, etiamsi pugna aliqua postea non sequatur, neque accessus ad locum duelli fiat, neque expressa et aperta provocatio: et etiamsi libelli, carthulae, manifesta etc. non publicentur, vel alicui intimentur, dummodo per eos non steterit, quominus intimatio, denuntiatio, vel publicatio fiat. Ita ex Clementis Constitutione.

10. Clerici committentes duellum, vel ad duellum quovis modo cooperantes, praeter excommunicationem supradictam, ceterasque poenas per Tridentinum impositas, incidunt in privationem omnium dignitatum, et beneficiorum, et officiorum Ecclesiasticorum, et in inhabilitatem ad illa, et alia in posterum obtinenda ex Pii IV. Constitutione. Et ex Cap. de Clericis pugnantibus, incidunt in poenam depositionis.

Civitates, oppida, castra, ceteraque loca, in quibus duellum committitur, permittentibus expresse, vel tacite eorum Dominis, Senatu, Magistratu etc. incidunt in interdictum Summo Pontifici reservatum ipso facto; ex Pii IV. Constitutione.

Si ex duello sequitur homicidium, vel mutilatio incurritur ab occisore, et cooperantibus, aliter in illam incurrunt solum duellantes ob infamiam ex tali delicto ortam, modo sit publicum.

Q. Quinam veniunt nomine Patrinorum, sociorum, ac spectatorum?

R. Veniunt nomine Patrinorum illi, qui tanquam testes, ac Judices duelli constituuntur. Nomine sociorum veniunt, qui comitantur duellantes, causa eos juvandi, vel instigandi ad pugnam, vel animum excitandi. Spectatorum denique nomine veniunt illi, qui ex industria ad duelli locum accesserunt, causa illud aspiciendi, vel illic sistunt, ut duellum aspiciant. Quare si quis obiter duellum aspiciat, vel si ibi, ubi fit duellum, sistat, ut duellum dirimat, vel accessit ad locum duelli, ac duellum sequutum non est, et proinde illud non aspexit, spectatoris nomine non notatur.

Q. Excommunicatio pro Duellantibus, vel pro duello se immiscentibus lata, quandonam incurritur?

R. Antequam directe respondeatur, notandum, quod ex actionibus per praefatas Bullas prohibitis, aliquae principaliter, et absolute prohibitae sunt; uti pugnare in duello, provocare ad duellum, et consequenter illud acceptare (acceptatio enim est actus proximus ad pugnam, et correlativus provocationi, unde etiam absolute et principaliter prohibetur, sicuti provocatio; correlativorum enim idem est judicium, et dispositio). Item publicare, affigere, vel intimare libellum provocatorium duelli, et denique accedere ad locum duelli. Ceterae autem actiones minus principaliter interdictae sunt, et sub illa conditione: *Si per eos non steterit.* Hujusmodi sunt: consulere, mandare, suadere duellum, parare arma; libellos, carthulas provocatorias etc. componere, scribere etc., mandare, consulere, procurare etc. Hoc notato:

Excommunicatio Papae reservata incurritur statim, ac ponitur aliqua actio ex illis principaliter; et absolute prohibitis in Constitutionibus Apostolicis supra relatis, quia tunc ponitur delictum absolute prohitum v. g. sta-

tim ac quis provocat ad duellum, vel acceptat illud, statim excommunicationem incurrit. Pro ceteris autem actionibus non incurritur statim excommunicatio, sed tunc cum sequitur, aut sequi debuisset actio illa principaliter, et absolute probibita, ad quam quis sua actione, v. g. consilio, mandato, auxilio etc. cooperatus est, tunc enim verificatur conditio, et vere dici potest: *Per eum non stetisse;* quominus illa actio secuta fuerit. Bonacina.

Hinc qui consilium praebuit, vel mandatum ad provocandum aliquem ad duellum, incurrit excommunicationem statim, ac sequitur, vel sequi debuisset, nisi aliunde impedimentum positum fuisset. Item, si quis commodavit arma Titio pro duello, tunc excommunicationem incurrit, cum duellum fit; vel fieri debebat, nisi alius impedivisset. Similiter si quis mandavit, suasit, ut carthulae provocatoriae scriberentur, componerentur etc. tunc incidit, cum intimantur, affiguntur, vel denuntiantur etc. Et si hoc non fiat ex alieno impedimento, incidit in excommunicationem quando intimatio, affixio, vel denuntiatio sequi debuisset. Vide Bonacinam.

Contra, qui carthulas, sive libellos provocatorios ad duellum, composuit, scripsit, typis mandavit etc. sed neque per se, neque per alium affixit, intimavit, divulgavit etc. non incurrit excommunicationem; quia *per ipsum stetit*, quominus publicatio, affixio, intimatio, divulgatio fieret. Secus tamen si jam affixit, vel publicavit, intimavit etc. sed impedivit postea, ne duellum fieret, nam publicatio, affixio, intimatio probibita, secuta est, et provocatio absolute prohibita jam est posita. Similiter si quis mandavit, vel consilium dedit pro duello indicendo, vel acceptando, et secuta duelli intimatione, vel acceptatione, impedit ne duellum sequatur, incidit in poenas; quia influxit in provocationem, vel acceptationem, et *per ipsum stetit*, quominus provocatio, vel acceptatio sequeretur. Bonacina.

Q. Permittentes duellum inter duos infideles incidunlne in poenas ?

R. Minime, quia Tridentinum, et Summi Pontifices de duello inter fideles locuti sint. At si qui duellum inter fidelem, et infidelem permitteret, incideret in poenas; quia verificaretur quod permitteretur duellum fideli, et patet ex ipsamet Clementis VIII. Constitutione superius citata.

Q. Pugnantes in duello, et in ipso conflictu, vel alibi sed ex vulnere accepto in conflictu morientes, privantur ecclesiastica sepultura ante ne, vel post Judicis sententiam ?

R. Ante Judicis sententiam, si duellum notorium fuit, etiamsi dederint signa non dubia poenitentiae, et a censuris fuerint absoluti, quia privatio Ecclesiasticae sepulturae indicta est distincta ab excommunicatione in destinationem criminis, et in aliorum exemplum et per modum justitiae vindicativae. Si autem fuerit occultum, Parochus rem defert Ordinario loci; quia pubblicae poenae pro publicis criminibus, et auctoritate publica sunt imponendae. Antoine.

Q. Quinam potest absolvere ab excommunicatione ob duellum contracta ?

R. Summus Pontifex. Nam Gregorius XIII., et Clemens VIII., ut supra traditum est, censuras pro duello inflictas Sanctae Sedi reservarunt. Verum si duellum occultum fuit, neque ad forum contentiosum deductum, poterit Episcopus ab hujusmodi excommunicatione absolvere ex facultate Capituli *Liceat* Concilii Tridentini, quae per praedictos Pontifices derogata non

fuit, ut cum plurimos tenet Bonacina de excom. in particul. disp. 2. q. 3. pun. 48.

Q. Potestne excommunicatio ista absolvi ab eo, qui gaudet facultate generali absolvendi a censuris Papae reservatis?

R. Minime potest in omni casu duelli; nam in casibus duelli in decreto Tridentini, et in Constitutione Gregorii XIII. contentis, requiritur extra Urbem, et intra Italiam specialis facultas absolvendi, uti patet ex decreto Sacrae Congregationis edito de mandato Clementis VIII., quod incipit *Sacra Congregatio.*

In nostro Regno potest absolvi ex vi Bullae Cruciatae: ex Declaratione Cardinalis Capycii Zurlo, qui utpote ejusdem Bullae Commissarius Generalis authentica interpretandi facultate gaudebat, quique declaravit, Confessarios ex vi dictae Bullae a casibus extra urbem, et intra Italiam absolvere posse excepta Simonia in Ordinibus.

Hinc per eos, qui habent facultatem generalem absolvendi a casibus Pontifici reservatis, absolvi non possunt ab excommunicatione ob duellum contracta,

1. Committentes duellum.
2. Patrini, et duellantium socii.
3. Spectatores, et interessentes ex industria duello.
4. Consulentes, mandantes, suadentes, et procurantes duellum.
5. Domini temporales concedentes locum ad duellum committendum, vel permittentes et non impedientes duellum. Hi enim casus continentur in Tridentini, et Gregorii XIII. Constitutionibus.

§. V. *De Abortu*

Q. Quid est abortus?

R. Est immatura foetus animati, vel inanimati, quem mulier gestat, ejectio. Hinc seminis expulsio ex mulieris utero, statim post cupulam, aut propinatio, vel sumptio potionis, vel veneni sterilitatem facientis, vel alterius impedimenti appositio, quominus foemina post copulam concipiat, abortus non est, quia hic supponit aliquam saltem incoeptam foetus conceptionem. Haec tamen crimina habent malitiam homicidii, quia ut ait Tertullianus in Apolog. cap. 9., *Homicidii festinatio est prohibere nasci; nec refert, natam quis eripit Animam, aut disturbet nascentem. Homo est, qui futurus est, nam fructus in semine est.* Et ex Cap. 5. *Si aliquis* de Homicid. habetur, eum qui fecerit, ut mulier non possit concipere, vel generare, vel ut proles non possit nasci, ut homicidam tenendum. Salmantic. tom. III. f. 160.

Q. Quo tempore animatur foetus?

R. Certum est, quod animetur foetus in utero matris, et patet ex Lucae cap. 1. ubi de Joanne Baptista sic dixit Angelus Zachariae: *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suae;* et paulo post de eodem Joanne habetur: *Exultavit Infans in utero ejus.* Repleri autem Spiritu Sancto non potest, nec exultare, qui Anima rationali caret.

Hinc merito Propositio 35. ab Innocentio XI. damnata fuit (1):

Quando autem animetur foetus in utero matris, satis incertum est, praesertim apud recentiores DD., qui inter paucos dies animari foetum pro certo tenent Theologi tamen fere omnes Glossam sequentes, quoad poenas incurrendas, volunt masculum accipere Animam rationalem quadragesima die a conceptione; foeminam vero octogesima die, et hanc praxim sequi Sacram Poenitentiariam, testatur Navarrus apud Sylvium, Stampò, Layman, Collet.

Q. Estne aliquando licitum procurare abortum?

R. Ante responsionem notandum, quod abortus; potest duplici modo procurari. 1. *Per se*, et *directe* quando scilicet aliquid agitur eo fine, sive intentione, ut conceptus foetus ejiciatur ex utero matris, sic directe procuratur abortus, si mulier accipiat medicinam, vel sarcinam ponderosam sumat ferendam ea intentione, ut abortus sequatur. Per *accidens* et *indirecte*, quando scilicet actio fiat non ad expellendum foetum, sed ad aliquod aliud obtinendum, licet cum periculo abortus, sic abortus indirecte procuratur, si mulier accipiat medicamen ad removendam febrim, cum periculo tamen abortus, quem tamen revera non intendit Collet.

Hoc notato, dicendum, quod semper illicitum est, et mortale directe, et per se procurare abortum, sive foetus animatus sit, sive non, cum hoc sit intrinsece malum; nam vel foetus animatus est, si revera procuratur homicidium, vel foetus est inanimatus, et revera intenditur ingens crimen, quod bono propagationis humanae adversatur, et naturalem finem seminis humani, scilicet generationem, et speciei humanae conservationem, frustratum reddit. Quare licet homicidium proprie dictum non sit, continet tamen malitiam homicidii. Hinc ait D. Basilius in Epistol. ad Amphiloc. *Quae de industria foetum corrumpit, caedis poenas luat, formati autem, vel informis subtilitas a nobis non attenditur.* Item dicitur in Concilio Eliberitano, Ancyrano, Moguntino, atque *in cap.* 5. *de homicidio.* Antoine *tract. de Justit.* fol. 349.

Quare inferas. 1. Quod graviter peccat ille, qui procurat abortum ante animationem foetus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur, ut constat ex propositione in terminis damnata ab Innocentio XI. num. 34.

2. Mortaliter peccat, qui potionem propinat, vel aliud medium adhibet ad efficiendum abortum, aut occasionem praebet abortus, sive foetus animatus sit, sive non.

3. Mortaliter peccat mulier, quae uterum gestans, potionem sumit, vel aliud medium adhibet, ut abortus sequatur, aut occasionem praebet abortus etiam praeter ejus intentionem, dando operam rei illicitae v. g. lascivis actibus, saltationibus, choreis, ebrietati etc. aut debitam cautionem omittendo, dando operam rei licitae, puta laboribus familiaribus gravibus itineri etc. *vel non degustando quod ipsa vehementer concupiscit, et praecipue si hoc negligat ob verecundiam valde damnabilem.* Antoine.

Q. Si Mater praegnans morbo laborat, licetne ei medicamina sumere, vel licetne medico praescribere medicamina eidem cum periculo abortus?

(1) *Videtur probabile, omnem foetum, quamdiu in utero est, carere Anima rationali, et tunc primum incipere eamdem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum; in nullo abortu homicidium committi.*

R. Si morbus matris ex judicio medicorum non tendit ad mortem, minime licet matri aegrotanti sumere, et medico praescribere medicamina cum periculo abortus; quia pluris facienda est Anima foetus, imo et sola procreatio hominis jam inchoata, quam valetudo, et incommodum matris.

Si autem Matris morbus lethalis est, et Mater certo moritura, nisi talia sumat medicamina, potest mater sumere, et medicus praescribere medicamen cum periculo abortus, si foetus nondum est animatus, et medicamina, per se et directe non tendant ad abortum efficiendum, sed solum adhibeantur ad matris salutem; quia tunc abortus non directe intenditur, sed solum permittitur tum ad bonum matris, tum ad bonum ipsius foetus, nam pereunte matre foetus certo peribit; at si sana fiet mater, fortasse, et ipse foetus salvabitur.

Quod si foetus animatus sit, sed certo constat, quod simul cum matre moritura sit proles sine baptismo, et nunc etiam medicus potest uti medicaminibus, et mater ea sumere potest etiam cum periculo abortus, quia cum nulla salus spiritualis proli speretur, matre mortua, bonum est, si matris saluti consulatur, quoniam sic consulitur quodammodo etiam saluti spirituali prolis, fieri cum poterit, quod mater sine abortu sanitatem recuperet, et salvabitur etiam ipsa proles. Et ex eadem ratione, si matrem praegnantem invadat fera, vel inimicus, vel incendium etc. ex quibus mater certo occidenda erit: haec poterit fugere etiam cum probabili periculo abortus.

Denique si spes effulgeat, quod mortua matre proles vel naturali modo vel medicae artis ope, possit in lucem prodire, et baptizari, non licet medico praescribere medicamina, nec matri sumere cum periculo abortus; cum magis procuranda sit vita spiritualis prolis, quam vita temporalis matris Collet.

Q. Quaenam sunt poenae contra procurantes abortum statutae?

R. Xystus V. in Bulla, qua incipit *Effraenatam*: Contra procurantes quocumque modo sive per se, sive per alios abortum foetus sive animati, sive inanimati, effectu non secuto, statuit excommunicationem Papae reservatam, plenamque irregularitatem, quas poenas extendit etiam contra scienter cooperantes quovis modo, vel adjuvantes. Et si Clerici essent, praeter excommunicationem, et irregularitatem, statuit contra eos privationem omnium officiorum, et beneficiorum, ac dignitatum Ecclesiasticarum, ac privilegii clericalis, et inhabilitatem perpetuam ad ea; voluitque tradendos esse Curiae saeculari, ut punirentur.

At Gregorius XIV. Constitutionem Xistinam moderando, per suam constitutionem quae incipit: *Sedes Apostolica pia Mater*, statuit, quod incidant in has poenas procurantes abortum, et abortui quovis modo cooperantes, quando foetus animati jam secutus est abortus, et excommunicationem commisit absolvendam Episcopis, vel Confessariis ad talem absolutionem concedendam specialiter deputatis ab Episcopo. Hinc juxta Salmanticenses, Cuniliati, aliosque plures, ad excommunicationem absolvendam requiritur specialis facultas ab Episcopo concessa, et non sufficit facultas generalis; licet Bonacina contrarium sentiat (1).

(1) Jure ecclesiastico Dioecesis Neap. scelus istud patrantes incidunt in excommu-

§. VI. *De Mutilatione*

Q. Quid est mutilatio?

R. *Est abscissio alicujus membri a proprio corpore.* Nomine autem *membri* intelligitur aliqua corporis pars principalis, specialem in corpore functionem obtinens, uti manus tangendi, pes ambulandi, oculus videndi etc.

Q. Num licitum est mutilare se?

R. Minime, quia homo sicuti non est dominus vitae suae, nec ita dominus est suorum membrorum, quae ad vitae integritatem pertinent. Hinc graviter peccat, qui sibi aliquod membrum ex suo corpore recidit, etiamsi pars digiti sit. Excipe tamen casum necessitatis, nam si necessitas, etc. urget resecandi aliquod membrum male affectum ad conservandam totius corporis salutem licitum est resecare, quia major ratio habenda est de toto, quam de parte totius. Hinc licet membrum putridum resecare, vel amputare sibi manum, si ea ligatus non potest fugere, et aliquod grave malum vitare, v. g. incendium, fabbricae ruinam etc. Collet, Concina.

Q. Licetne, se vel alium castrare ad castitatem servandam vel ad vocis suavitatem comparandam?

R. Minime. Si enim agitur de castitate servanda, genitalium abscissio nullo modo necessaria est, cum custodiatur castitas oratione, sensuum custodia, et carnis maceratione. Praeterea per hujusmodi abscissionem concupiscentia non minuitur, sed molestior fit, et augetur, ut ait D. Chrysostomus, et D. Thomas. Neque obstat illud Matth. cap. 19. *Sunt Eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum Coelorum:* Nam explicat Chrysostomus: *Qui seipsos castraverunt non per membrorum abscissionem, sed malarum cogitationum interemtionem.*

Multo minus licet sui, vel alii castratio ad vocis suavitatem comparandam; quia Deus, qui vitae, corporis, et membrorum nostrorum dominus est, tunc solum nobis alicujus membri abscissionem concedit, cum haec ad salutem ceterorum membrorum necessaria censetur, non autem ad aliquod aliud commodum assequendum. Antoine tom. III. f. 547.

Pleraque alia hic de mutilatione essent quaerenda, sed omittuntur, cum facillime ex eis, quae dicta sunt de homicidio, intelligi possunt.

Item agendum esset hic de occisione civili quae fit per detractionem, et contumeliam, sed de hac sermo fit in tractatu de Restitutione. Similiter de occisione spirituali, quae fit per scandalum, sed de ea agitur in Tractatu de Peccatis. Pariter quaerendum esset de iis, quae ad homicidium extimulant, atque inducunt, scilicet ira, et invidia, sed de his dictum est in Tractatu de Peccatis in specie: item de odio Proximi, et de hoc quaeretur in Tractatu de Vitiis charitati oppositis.

nicationem Ordinario reservatam, si foetus sit animatus, et abortus procuretur per pharmacum, etiam effectu non sequuto: qua poena mulctantur quoque cooperantes, consulentes etc. ut in casu XII. in Tabella.

Jure Civili Cod. LL. Crim. art. 395. et seq. cautum relegatione mulctandum qui mulieri praegnanti potiones, medicamina dederit, aut vim intulerit, ut abortus sequeretur: qua poena mulier etiam, quae hisce illicitis mediis usa fuerit, coercenda.

CAPUT VII.

De sexto, et nono Decalogi Praecepto remissive

Q. Quomodo proponitur sextum Decalogi Praeceptum, et quomodo Nonum, et quid his praeceptis prohibetur?

R. Sextum praeceptum proponitur his verbis: *Non moechaberis*: Nonum vero: *Non concupisces uxorem proximi tui*, Exod. cap. 20.

Prohibetur autem Sexto praecepto primario Adulterium, deinde quaevis alia fornicatio, omnisque impura libido externo opere consummata. Item omnes, et singuli actus exteriores, qui luxuriam, carnisque illecebras illicitas irritare, vel eas fovere nati sunt, uti sermones turpes, picturae, et imagines obscoenae, libri turpes, spectacula inhonesta; choreae dissolutae, cantilenae impudicae, aspectus, gestus, ac tactus obscoeni, et alia hujusmodi. Danes.

Nono autem prohibetur desiderium eorum quae Sexto praecepto interdicuntur. Hoc praeceptum vero ideo sexto additum fuit a Deo, ne putaret homo solum exteriores luxuriae actus illicitos esse, sibique prohibitos, non autem interiores.

At quoniam ea, quae hic quaerenda essent, disquisita sunt in Tractatu de Peccatis in genere, agendo de peccatis internis, et in specie agendo de luxuria, ideo ne actum agatur videantur ibi.

CAPUT VIII.

De septimo, et decimo Decalogi Praecepto etiam remissive

Q. Quomodo nobis exhibentur haec duo praecepta, et quaenam est iis subjecta sententia?

R. Septimum praeceptum exhibetur his verbis: *Non furtum facies*. Duas partes ipsum continet, quarum altera aperte prohibetur furtum, usurpatio, ac detentio rei alienae. Altera vero implicite benignitas, et liberalitas in Proximum nobis indicitur. Ita Catechismus Romanus de VII. Decal. Praec.

Quae ad primam attinent hujus praecepti partem, satis discussa inveniuntur in Tractatibus de Restitutione, et Contractibus. Quae vero ad secundam partem pertinent, in Tractatu de caritate erga Proximum: quapropter illi Tractatus legantur.

Decimum praeceptum his verbis concluditur: *Non concupisces domum proximi tui, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia, quae illius sunt.* Quibus verbis vetatur iniquum desiderium adquirendi, vel retinendi rem alienam injuste, et domino rationabiliter invito, seu prohibetur interna cupiditas omnis injustitiae adversus temporalia Proximi bona, cujus actus exteriores septimo praecepto interdicuntur.

Hinc in istud praeceptum praecipue offendunt.

1. Qui in emendo, vendendo, permutando etc. simplicitatem, ignorantiam, imperitiam in proximo optant, ut abutantur, et lucrum majus faciant.
2. Qui debita exigere differunt, vel nimis dure exigunt, ut rem debitoris

puta domum mercem etc. suam faciant. 3. Qui ludis etiam licitis immoderate utuntur ad lucrandum. 4. Qui famulum, vel colonum domino suo bene inservientem, curant verbis, spe, donis, corrumpere, ut illo relicto, sibi inserviat. 5. Miles, qui bellum expetit, ut furta committat, vel alio iniquo modo lucretur 6. Medicus, qui morbos; vel Causidicus, qui lites optat, ad lucrum faciendum 7. Artifices, et alii hujusmodi, qui quaestus avidi, omnium, quae ad victum, cultum, vel usum populi pertinent, penuriam exoptant, ut inde plurimum lucri faciant. Denique ii. qui alienam laudem ac gloriam appetunt non sine aliqua famae alterius obtrectatione. Catechismus Romanus de IX., et X. Praec. Collet. ibi.

Pro coronide tandem hic nota, quod concupiscentia generice sumpta est commotio quaedam, ac vis animi, qua impulsi homines, quas non habent, res jucundas appetunt. Sic Catechismus Romanus ex Aristotile et D. Thom. *loc. cit.*

Concupiscentia alia est *Recta*, et alia *Inordinata*. *Recta* est illa, quae spiritualia appetit, aut sensibilia, sed juxta Dei beneplacitum, ac rationis limites. *Inordinata* dicitur illa, quae in appetendo rationis modum non servat, neque continetur intra fines a Deo constitutos.

Concupiscentia recta hoc praecepto non prohibetur; nam si sermo sit de spiritualibus non solum eorum desiderium nobis non interdicitur; verum etiam ipse sapiens (Sap. cap. 6.) ad spiritualia optanda nos extimulat: *Concupiscite sermones meos*. Si autem sermo sit de sensibilibus, etiam licet ea appetere, quae nobis necessaria sunt: nam pro eis Deum orare Christus nos docuit. Ex eod. Catechismo *loc. cit.*

Prohibetur ergo nobis inordinata cupiditas, quae carnis concupiscentia ab Apostolo vocatur (ad *Galat.* cap. 5.), seu nobis vetantur illi concupiscentiae motus, et carnales affectus, qui nullum rationis modum servant, neque finibus a Deo constitutis continetur, atque peccati malitiam induunt, cum homo illis libere consentit per desiderium sive efficax, sive inefficax, vel per delectationem morosam. Vide etiam quae dicta sunt de peccatis internis in Tractatu de peccatis.

CAPUT IX.

De octavo Decalogi Praecepto remissive

Q. Quomodo proponitur octavum Decalogi praeceptum, et quid eo prohibetur, vel praecipitur?

R. Hoc praeceptum proponitur. *Exod. cap.* 20. ita; *Non loquaris contra Proximum tuum falsum testimonium.*

Prohibetur ergo falsum testimonium contra Proximum, sive hoc perhibeatur mente, sive ore. Mente perhibetur, si falsa de Proximo concipiatur opinio, et interiori sententia injuste illum malitiae damnetur, quod fit judicio temerario, opinione temeraria, suspicione temeraria, et dubio temerario. Ore autem falsum perhibetur testimonium in judicio, dum quis jurando, falsum testatur coram Judice, contra Proximum aut dum injuste, et non secundum leges judicia exercentur: item extra judicium, mendacio, assentatione, detractione, contumelia, susurratione, derisione, maledictione, revelatione secreti, et libello famoso.

Praecipitur vero, ut simulatione fallaciisque detractis, dicta et facta nostra simplici veritate metiamur. Vide Catechismum Romanum de hoc praecep., Concin. de hoc praecep. *cap.* 3.

At quoniam de falso testimonio, quod contra Proximum mente concipitur, et de falso testimonio, quod ore perhibetur contra eumdem extra judicium, mendacio, detractione etc. in Tractatu de restitutione disquiritur: item, quia de perjurio tam in judicio, quam extra agitur in tractatu de Religione: ideo ad supradicta respective loca Lectores remittimus. Et quia ut ait Catechismus Romanus *loc. cit.* ad vim, et rationem hujus praecepti pertinet etiam, ut juste, et secundum leges forense judicium exerceatur; ideo de hoc in praesentiarum agemus.

§. I. *De Judice*

Q. Quinam dicitur Judex, et quotuplex?

R. Judex ille dicitur, qui *publica fungitur potestate, et auctoritate cognoscendi, judicandi, ac definiendi eorum, qui sibi subditi sunt crimina, vel controversias.* Barbosa in tom. tract. varior. de appellat. ver. *Judex.*

Multiplex est: nam alius est Ecclesiasticus; qui scilicet, de causis Ecclesiasticis agit, alius Civilis qui de civilibus judicat, sive de saecularibus. Item alius est supremus, ille nempe a cujus sententia appellari non potest, alius est inferior, a quo ad alium appellari licet. Insuper alius est ordinarius, et est ille, qui judicandi munere fungitur, cum jurisdictione ad universalem caussarum cognitionem ex jure, vel ex consuetudine, vel praescriptione, vel ex electione ejus, qui jus sive privilegium eligendi habet. Alius est delegatus, cui scilicet causa judicanda committitur a Judice ordinario, vel ab alio habente potestatem creandi Judicem ordinarium. Hinc ordinarius dicitur habere proprietatem jurisdictionis; delegatus vero usum jurisdictionis. Salmantic. 4. de officiis ad judicium cap. 1., Collet de obligat. Judic.

Q. Quid requiritur, ut Judex recte judicet?

R. Ex D. Thoma 2. 2. qu. 60. art. 2. Tria requiruntur, nempe, ut judicet ex inclinatione justitiae: ut in judicando procedat ex auctoritate, et ut judicet secundum rectam rationem. Si primum desit, judicium perversum erit: secundum si deficiat, judicium erit usurpatum, si tertium denique non habebitur, judicium temerarium erit.

Ratione igitur primae conditionis Judex in judicando non debet moveri ab amore, ab odio, a timore partium, vel a cupiditate lucrandi, haec enim, ut ait Isidorus lib. de summo Bono cap. 58, judicium reddunt perversum. Debet proinde suo esse contentus stipendio, cavere debet ab acceptione personarum ab avaritia, et studio munerum: debet removere injustas dilationes, et animo constans, ac firmus, irrumpere debet iniquitates, et non extimescere faciem potentis, uti habetur Eccles. cap. 7., et Levit. cap. 19. Debet item plenam habere cognitionem eorum, de quibus judicat, ac scientiam juris Caesaris, ac illius Regni, et Regionis, ubi Judicis munus exercet. Debet esse denique bonis indutus moribus; nam aliter justus non erit; quia justitia aggregatio virtutum est.

Quare inferas, quod graviter peccat, et ad damni secuti reparationem tenetur Judex, qui ex ignorantia etiam levi sententiam injustam protulit;

Item qui suae imperitiae, vel pusillanimitatis conscius, judicis sibi procurat, vel acceptat munus, vel eam advertens in exercitio sui muneris, defectum suum emendare non curat.

Item qui stante judicio, dona, vel munera, vel aliam pensionem accipit ab eis, quibus jus dicit; hic enim Judex tacite vendit justitiam, uti apparet ex proverb. cap. 17., et Canon. 66. causa 11. qu. 3.

Item si non bene discussa causa, sententiam profert, vel differt indebite causam discutere vel injuste differt causam bene discussam definire Collet, Antoine.

Ratione secundae conditionis Judex in judicando debet procedere ex auctoritate, scilicet ex sibi competente jurisdictione, et juris regula.

Judex autem jurisdictionem habere potest 1. Ratione dignitatis, vel officii, quo fungitur, et cui vel ex jure, vel consuetudine, vel praescriptione jurisdictio adnexa est. 2. Ratione delegationis, vel subdelegationis. 3. Ratione delicti commissi, quatenus Judex acquirit jurisdictionem contra delinquentem in suo Territorio. 4. Ex consensu partium, quatenus partes litigantes alicui, uti Judici, et arbitro compromittunt, se stare.

Judicis sententia sine jurisdictione prolata, nulla est. D. Thomas. 2. 2. quaest. 67. art. 1., quia Judicis sententia est quaedam lex particularis, nulla autem est lex, si sine jurisdictione feratur. Hinc Capit. *Si Clerici*; de Judic. habetur: *Sententia a non suo Judice lata non tenet*; imo est graviter illicita, quia alienam usurpat jurisdictionem..

Excipe, si quis ex errore communi, et titulo colorato verus Judex credatur, cum talis non sit quia tunc ex Leg. *Barbarius Philippus* ff. de offic. Praetor. ejus sententia valida est; jus namque supplet in eo casu jurisdictionem, quae deest, regulariter loquendo. Dixi *regulariter loquendo*, quia si adest aliquod impedimentum juris Divini, quo jurisdictio illa removetur, tunc jus humanum illam supplere non potest, v. g. si Judex mente captus sit quamvis errore communi sanae mentis credatur, vel si foemina habita uti vir ad Episcopatum assumatur. Salmantic. loc. cit.

Hinc inferas graviter peccare Judicem, et ad damni secuti restitutionem teneri, si aliquem suae jurisdictioni non subjectum judicavit; quia justitiam graviter laesit. Collet.

Ratione tertiae conditionis Judex judicium proferens recta ratione prudentiae inniti debet, seu tenetur judicare juxta allegata, et probata, secundum leges, et ordinem a legibus praescriptum; accepit enim judicandi auctoritatem non ex proprio arbitrio, sed ex legum praescripto, quare D. Ambrosius in Psalm. 119. serm., 20. ait: *Bonus Judex nihil ex arbitrio suo facit, sed juxta leges, et jura pronuntiat, scitis juris obtemperat; non indulget propriae voluntati, sicut audit, ita judicat, et sicut se habet negotii natura, decernit, obsequitur legibus, non adversatur, examinat causae merita, non mutat.* Item asserit D. Thomas. 2. 2. quaest. 67. art. 1. Salmanticenses loco cit.

Q. Tenetur Judex reo poenam imponere?

R. Facta sufficienti probatione, tenetur quidem imponere delinquenti poenam congruentem, et ejus executionem est curare, ut leges poenales serventur ad bonum commune, quod certo laeditur, si delicta impunita remaneant. Quod verum est, etiamsi sit supremus Legislator; hic enim tene-

tur etiam maximopere curare criminum punitionem, ne occasio praebeatur per impunitatem, ut crimina grassentur. Antoine.

Q. Num potest Judex miseratione commotus minorem reo poenam imponere, quam quae legibus constituta est?

R. Minime, sic ait expresse D. Thomas 2. 2. qu. 47. art. 4. ad. 1. *Misericordia Judicis habet quidem locum in his, quae arbitrio Judicis relinquuntur, in quibus boni viri est, ut sit diminutivus poenarum . . . . In his autem, quae sunt determinata secundum legem Divinam, vel humanam, non est suum misericordiam facere sed solum Principis* (quoad legem humanam),*cui est plenarie potestas publica commissa, et quem decet legum rigori detrahere.*

Nota hic tamen 1. Quod si supremus Legislator seu Princeps judicium exercet,potest delinquenti ex aliqua circumstantia poenam diminuere; imo si pars laesa injuriam remisit, potest etiam reum absolvere, dummodo publicae utilitati noverit non esse nocivum. Collet, Salmantic.

2. Potest Judex pro temporis,et loci,ac personae circumstantiis spiritum legis potius, quam verba spectare unde si quis crimen triremibus dignum commisit, et senex est, potest Judex in aliam poenam triremes commutare. Collet.

3. Sicut non licet minuere poenam, sic et non licet poenam a lege statutam augere, alioquin reo injuria infertur, et damna inde secuta sunt compensanda. Antoine.

An autem possit Judex uti opinione probabili in judicando, vide in *Tractatu de actibus humanis.*

An possit Judex tradere morti reum, qui ex alligatis, et probatis reus videtur, attamen sibi constat, innocentem esse, vide in *Tractatu de homicidio innocentis.*

Q. Potestne Judex in aliquem jus dicere sine Actore?

R. In causis civilibus Judex procedere non potest, nisi postulatus, et tunc etiam operam dare debet, ut, si fieri possit, partes ad concordiam revocentur. In causis autem criminalibus, sine accusatore Judex procedere non potest, et constat ex illo Actorum cap. 35. ubi Festus dixit: *Non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, priusquam is, qui accusatur, praesentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina:* Et ex D. Ambrosio relato in Cap. *Si quis potestatem* 31. quaest. 4. habetur: *Judicis non est sine accusatore damnare.* Idem ait D. Thomas 2. 2. qu. 67. art. 3., ratio est, quia Judicium non constituitur, nisi a Judice, accusatore et reo.

Verum nota, quod accusator non semper requiritur, ut sit expressus, verus,et formalis: sed sufficit fictus, et virtualis quis habetur cum instat Fisci patronus, et Judex infamia praecedente, per viam inquisitionis procedit.

Q. Quid est inquisitio, et quotuplex?

R. Inquisitio est *criminis, vel criminosi per Judicem legitime facta indagatio.*

Triplex est: *Generalis, Specialis,* et *Mixta.* Prima habetur, quando incerto delicto, et delinquente Judex absolute inquirit, et in genere, an aliquis delictum commiserit. Secunda habetur, cum de certa persona, et de certo crimine inquiritur. Tertia habetur cum delictum in inquisitione expri-

mitur, persona vero inquiritur in communi, ut si invento furto, et ignorato fure inquiratur quisnam fuerit fur.

Q. Estne licitum Judici inquirere?

R. Si loquimur de inquisitione generali, licitum est inquirere, etiam infamia non praecedente, quia talis inquisitio plerumque necessaria est ad purgandam Civitatem, vel Dioecesim, vel Communitatem a criminibus et vitiis, neque per illam alicui fit injuria. Antoine, Salmanticenses.

Si loquamur de inquisitione mixta, etiam licet, quia etiam id exigit bonum commune, ut criminis publici inveniatur auctor, et puniatur ad exemplum aliorum, ne crimina ob impunitatem multiplicentur. Salmanticenses, Antoine.

Si denique loquamur de inquisitione speciali non licet Judici contra aliquem facere hujusmodi inquisitionem, quae tendit ad punitionem, nisi praecesserit infamia publica, quando scilicet duo, vel tres probati testes judicialiter testantur de illa infamia, sive de voce, et rumore totius populi talis delicti commissi, vel adsunt indicia gravia, et manifesta, vel adest notorietas, et evidentia facti, vel delictum est commissum coram ipso Judice, et aliis, qui de illo crimine testimonium ferre possunt, vel delictum est contra bonum publicum, uti rebellio, haeresis, falsatio monetarum, vel adest aliqua justa causa ex illis, quas referunt Salmanticenses in Tract. 29, de offic. ad judicium spectant. tom. 6. cap. 1. punct. 10. §. 2. Et ratio est ex D. Thoma loc. cit., quia Judex est custos justitiae; justitia autem exigit; quod judicium sit inter duos, inter quos Judex mediet: ergo nisi sint duo, nempe reus, et accusator, si non formalis, virtualis saltem, qualis est infamia, etc. Judex non potest juridice procedere. Idem colligitur ex Cap. *Cum oporteat* de accusationibus, ex Cap. *Inquisitionis*, eod. tit., Salmanticenses.

Q. Quid, et quotuplex est indicium?

R. Indicium est *signum quoddam informans animum Judicis ad suspicandum*, sive ut ait Baldus: Est *conjectura ex probabilibus orta, a quibus potest abesse veritas, non autem verisimilitudo.*

Triplex est: *leve, grave*, sive *probabile*, et *violentum*, seu *plenum*. Primum, sive *leve*, est illud cui communiter, contingit abesse veritas, et proinde si alia non adjiciatur ei, repellendum est. Secundum, sive *grave*, est illud, cui uti plurimum contingit habere veritatem, et vehementer movet animum ad credendum, et dicitur etiam *testimonium semiplenum*, quia semiplene probat. Tertium, sive *violentum* est illud, cui frequentissime veritas contingit adesse, et hoc facit probationem.

Indicia gravia, et violenta vel sunt occulta, illa scilicet, quae particularibus personis nota sunt, et infamiam non pariunt: vel sunt manifesta, illa scilicet, quae nota sunt populo, vel majori parti ejus et infamiam inducunt. Salmantic. loc. cit.

Q. Num peccat Judex, si reum condemnet ex cognitione injuste extorta?

R. Maxime; sicut enim peccavit contra justitiam tum legalem, tum commutativam, extorquendo injuste notitiam seu probationem contra reum, ita et peccat contra justitiam utendo tali probatione contra eumdem. Quare si inde damna secuta sunt, tenetur ea Judex compensare per restitutionem. Antoine tom. 4. f. 314.

Q. Quandonam confessio criminis injuste extorquetur?

R. Quando judex 1. reum interrogat, nulla praecedente saltem semiprobatione, vel infamia, vel indiciis competentibus. 2. Si dolo, vel fraude, aut promissione impunitatis fuit extorta confessio. 3. Si vi tormentorum, vel eorum metu Judex extorsit confessionem, cum nulla aderant indicia ad torturam. Neque refert si postridie fuerit ratificata illa confessio: quia cum nulla fuerit a principio, nulla est etiam ejus ratificatio. 4. Si aderant indicia, sed persona vi tormentorum delictum est confessa, cum tamen erat a tormentis immunis ob aliquod privilegium, dignitatem, infirmitatem, vel aetatem. Antoine loc. cit.

Q. Quid de delinquentis, seu rei tortura?

R. Judex debet abstinere a tortura illa, quam reo moraliter impossibile est, spectata ejus aetate, ac viribus, sufferre. Item ante torturam omnem debet adhibere modum, ut veritatem alia ratione assequatur: unde tortura ultimum sit inveniendae veritatis remedium; quare si haec negligat, injuste procedit Judex, et graviter contra justitiam peccat, et ex confessione sic exorta procedere non potest.

Ut tortura dari possit, requiritur, ut delictum probatum aliunde sit, vel saltem gravia indicia de criminis commissione praecesserint, ita ut nihil aliud requiratur ad plenam probationem, nisi confessio delinquentis. Denique ut persona, possit torqueri: nam aliquae personae, nisi agatur de criminibus exceptis, v. g. delicto laesae Majestatis, haeresis etc. torqueri non possunt cujusmodi sunt personae in magna dignitate constitutae, doctores, senes, impuberes, mulieres praegnantes etc.

Reus si jam torturam sustinuit, et nihil confessus est, non potest denuo torqueri, nisi alia nova et gravia indicia supervenerint. Antoine.

Q. Num Judicis sententia obligat in foro interno?

R. Si justa est per se obligat in conscientia; quia est praeceptum legitimum Superioris, atque usus legitimae potestatis. Dixi, *si justa est*, quia si certo injusta est, quatenus nixa est falsae praesumptioni, vel falsis testibus, aut essentialis ordo judicii non est servatus, non obligat in conscientia, nisi quando aliter adesset scandalum, vel sequerentur incommoda graviora. Antoine ibid.

§. II. *De Accusatore, et Denuntiatore*

Q. Quid est accusatio, et quid denuntiatio?

R. Accusatio est *delatio delinquentis de crimine commisso, facta in libello accusatorio coram Judice competente, ad vindictam ob bonum commune, cum obligatione probandi. Denunciatio vero est manifestatio criminis, vel criminosi, vel utriusque, facta Superiori, ut remedium, aut correctionem, vel poenam ex officio adhibeat.* Salmant. loc. cit.

Hinc differt accusatio a denuntiatione, quia in accusatione intenditur, et petitur punitio delinquentis. In denunciatione vero nulla punitio per Judicem exigitur sed tantum in ejus arbitrio relinquitur a denunciatore. Accusatio facienda est in scriptis, secus vero denunciatio. Accusatio exigit ab accusatore probationem delicti, et delinquentis; non vero denuntiatio. Salmanticenses.

Q. Daturne aliquando obligatio accusandi?

R. Maxime datur: 1. Quando delictum est committendum, aut si sit commissum, periculum adest, quod denuo committatur in damnum commune Religionis, vel Reipublicae, uti est, haeresis, proditio Civitatis, falsatio monetae, crimen laesae Majestatis, publicum latrocinium etc., et ratio est, quia viget bonum commune, quod quisque procurare debet, etiam cum proprio incommodo. Ita D. Thomas 2. 2. qu. 68. art. 1. in corp.

2. Quando accusatio est necessaria ad impediendum grave malum innocentis, et sine gravi incommodo accusatio fieri potest, quia bonum innocentis praevalet bono nocentis: 3. Si persona accusare tenetur ex officio, in quo casu non urget solum caritas ad accusandum, sed etiam justitia. Hinc Fiscalis a Republica constitutus, aut agrorum custos, vineae, vectigalium etc. pretio conductus nisi accusat, non solum peccat contra justitiam, sed etiam tenetur ad restitutionem damnorum, quae sequuntur ex suo silentio, quia inter Fiscalem, et Rempublicam, inter custodem, et dominum vineae, agri, vectigalium, etc. fuit contractus formalis, vel virtualis saltem de impediendo damno, qui contractus tacendo laeditur, Salmanticenses.

Nota tamen hic, quod si in his casibus crimen probari non potest, licet cesset obligatio accusandi, remanet tamen adhuc obligatio denuntiandi criminis legitimo Superiori, vel alteri qui damnum imminens removere potest. Hinc recte damnata fuit Propositio 5. ab Alexandro VII.: *Quamvis tibi evidenter constet, Petrum esse haereticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.* Salmanticenses.

Q. Num potest quis accusare delinquentem de injuria sibi illata?

R. Maxime potest, dummodo id faciat absque ullo odio, et animo vindictae, sed solum, ut injuria sive in honore, et fama, sive in bonis, sive in corpore, sibi illata reparetur, et dummodo alia via ejus reparatio obtineri non possit, nam vindicare tali modo injuriam, medio Judice, est actus justitiae, ut docent Salmanticenses ex D. Thoma 2. 2. q. 68. art. 1. Imo, si non accusando habeatur grave damnum tertii, v. g. familiae, filiorum, vel alterius, tenetur laesus ex justitia accusare laedentem; quia nemo potest suo juri cedere cum gravi damno Proximi, Salmanticenses loc. cit. Cum vero non adest damnum tertii, si offensus non utitur accusatione apud Judicem, melius se gerit; quia audit Evangelium de dilectione inimicorum, persequentium, et calumniantium.

Q. Num accusationi praemittenda est fraterna correctio?

R. Si crimen est notorium, et adest infamia de crimine commisso, vel si delictum commissum fuit coram pluribus, non est praemittenda correctio; quia accusatio tendit ad delinquentis punitionem, et ad scandalum removendum. Si vero crimen est publicum, quatenus probari potest per duos testes, vel tres (nisi delictum sit de illis, quae in perniciem Religionis, Reipublicae, vel damnum tertii cedunt) tunc ante accusationem, praemittenda est correctio, si ex ista spes habeatur emendationis, quia cum non adsit scandalum, quod debeat removeri, intenditur tunc emendatio delinquentis; haec autem obtinetur per correctionem; correctio igitur facienda est, et accusationi parcendum.

Dixi, *nisi delictum cedat in damnum Religionis, Reipublicae, vel tertiae personae*, quia si delictum tale sit, non est praemittenda correctio;

nam, cum in his casibus valde difficilis sit emendatio, attendi debet potius Reipublicae, ac tertiae personae bonum, quam bonum delinquentis. Salmanticenses.

Q. Quinam possunt accusare, et quinam non?

R. Si delictum fuit commissum contra Religionem, Rempublicam, vel bonum commune, quisque et potest, et debet accusare; quia quisque bonum commune procurare debet. Item ille accusare potest, quando delictum fuit commissum contra particularem personam, quae injuriam recepit, et ejus reparationem nanciscitur, et non aliunde accipere potest, nisi accusando uti supra dictum est.

Non possunt autem accusare, quia a jure prohibitae sunt hae personae, nempe Excommunicati notorii, infames, concubinarii publici, notorii usurarii, Pagani, Haeretici, et accusati de majoribus criminibus, v. g. lesae Majestatis, et falsationis monetarum; nisi prius innoxios se esse demostrent.

Item filii non possunt accusare parentes, et contra, Laici Clericos, nisi in casibus a Jure permissis, Clerici in causa sanguinis etc. Quare Judex istorum accusationes repellere tenetur. Salmanticenses eod. tit.

Q. Quotuplex est denuntiatio?

R. Duplex. Altera quae fit Praelato, vel Superiori tanquam Patri, non ad punitionem publicam delicti, sed ad emendationem delinquentis, et haec dicitur *denuntiatio Ecclesiastica*, et fieri debet juxta regulas Evangelii pro correctione fraterna traditas, hoc est postquam criminosus fuit secreto monitus, et non resipuit, et Praelatus, cui hujusmodi denuntiatio facta est, tenetur ad secretum, et non ultra uti denuntiatione, nisi ad secretam delinquentis emendationem.

Altera, quae fit Superiori, vel Praelato tanquam Judici, ut criminosus publice puniatur, vel ut damnum illatum resarciatur, vel ut indignus ab officio, vel beneficio, vel Ordine, vel Matrimonio repellatur, et *Judicialis* dicitur, quae si fiat Judici Laico, dicitur *denuntiatio Civilis*; si vero fiat Judici Ecclesiastico, dicitur *Canonica*. Collet, Salmanticenses.

Q. Num denuntiationi praemittenda est correctio fraterna?

R. Si loquamur de denuntiatione evangelica, certum est, quod praemittenda est correctio fraterna; id enim exigit Christi Domini mandatum (Matth. cap. 18.) *Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum etc.* Si autem loquamur de denuntiatione judiciali, non requiritur secreta monitio, cum per hanc denuntiationem non solum intenditur emendatio delinquentis, sed etiam ejus punitio ob bonum publicum, vel ob bonum tertiae personae. Collet, Salmanticenses.

Q. Quinam tenetur ad denuntiationem judicialem?

R. Omnes ii, qui tenentur accusare; nam ut aiunt Salmanticenses cap. 2. de Denuntiatore, et Accusatore, pun. 3. §. 1. n. 52. Denuntiatio judicialis loco accusationis succedit. Hinc tenentur ad denuntiandum omnes illi, qui a legitimo Superiore destinati sunt ad tale munus, vel stipendium accipiunt. Item privati homines, quando agitur de crimine commisso, vel committendo in damnum Reipublicae, Fidei, Religionis, etc., vel in damnum innocentis. Denique, quando adest Superioris edictum, sive monitorium, de denuntiatione facienda alicujus delicti famosi, vel notorii, et denuntiatio fieri potest sine gravi damno, vel incommodo denuntiatoris.

Q. Num denuntianda sunt ea, quae non sciuntur ex visu, vel auditu immediato, sed quia auditae sunt ab aliis?

R. Si audivit a viris fide dignis, de quibus nulla subest suspicio mendacii, denuntianda sunt, si vera supponuntur, si secus, cessat obligatio denuntiationis. Salmanticenses.

§. III. *De Testibus in judicio requisitis.*

Q. Quinam dicitur Testis in judicio?

R. Dicitur ille, qui, ut *legitimus probator super statum causae alterius. ad Judicem adducitur.* Salmanticenses.

Q. Quinam a testificando in Judicio repelluntur?

R. Plures: nempe infames, perjuri, socii criminis, mulieres in criminali de jure Canonico, non vero de jure Civili, minores viginti annis in causa criminali, et in causa civili impuberes, inimici, consanguinei, et domestici delinquentis, exceptis quibusdam causis, personae viles, et inopes, servi, Judaei, Infideles, semifatui, delirantes, somniantes etc.

Nota tamen, quod, exceptis semifatuis, delirantibus, et somniantibus, ceteri superius adducti, admittuntur uti testes in Judicio pro quibusdam criminibus in Jure exceptis, v. g. pro haeresi, crimine laesae Majestatis, furto famoso, vel qualificato, maleficio, sodomia, assassinio etc. Vel quando delictum est commissum eo tempore, vel in eo loco, ubi copia testium haberi nequit, ut in loco v. g. deserto, in cubiculo, nocturno tempore etc.

Q. Quot testes requiruntur ad faciendam plenam probationem?

R. Causa, sive sit civilis, sive criminalis, exigit saltem duos testes, qui idem testentur, seu sint contestes, et id, quod testantur, juramento firment, et sint testes oculati, seu de visu, si sint crimina visibilia, uti furtum, homicidium: vel de auditu, si sunt crimina, quae audiuntur, uti contumeliae, blasphemiae, et reddant denique causam scientiae. Probatur ex *Deuteron:* cap. 17. *In ore duorum, aut trium testium peribit qui interficietur. Nemo occidatur, uno contra se dicente testimonium.* Et cap. 19. vers. 15. idem enunciatur. Ita D. Thomas 2. 2. q. 70. art. 2., et Juristae omnes. Salmanticenses.

Nota tamen, quod ad impediendum matrimonium contrahendum, unus sufficit probatus testis ex cap. 25. de Sponsalibus. Sicut etiam unus sufficit ad probandum delictum, quod levem poenam inducit. Antoine.

Q. Quandonam dicitur Judex legitime, et juridice interrogare?

R. Quando adest notorietas facti, vel reus est publice de crimine infamatus, vel dantur indicia evidentia, vel Judex procedit per modum accusationis, et accusator se offert ac pollicetur, per testes sufficientes, et idoneos probaturum delictum, vel quando adest semiplena delinquentis probatio.

Q. Quandonam dicitur haberi semiplena probatio?

R. Habetur, quando in rebus facti, et quae visu percipiuntur, adest unus testis oculatus, seu de visu, vel iis, quae solum audiuntur, uti blasphemiae, contumeliae, adest unus testis de auditu proprio, fide dignus, ut omni exceptione major, seu qui a jure non excluditur a testificando. Ita communis sententia.

Q. Tenetur testis Judici legitime interroganti respondere, ac veritatem fateri?

R. Semper ac Judex legitime, seu juridice interrogat, testis tenetur respondere, ac ei manifestare omnia, quae scit circa substantiam, et circumstantias facti, de quo interrogatur, quia Judex in eo casu habet a jure legitimam potestatem interrogandi, proindeque testis a jure compellitur ei obedire respondendo, et veritatem negotii manifestando, ut sic locum habeat justitia legalis, ac commutativa: Salmanticenses.

Q. Quandonam tenetur quis testificari?

R. Testificari tenetur quis, et quidem sub gravi 1: Quando suum testimonium requiritur ad removendum grave imminens malum spirituale, vel temporale, tum publicum, tum privatum innocentis, etiamsi illud testimonium a Judice non requiratur, quia si in hoc casu quis denuntiare tenetur, ut dictum est, a fortiori tenetur testimonium ferre; caritas enim graviter obligat ad eruendum Proximum a malo ei injuste illato, et ad impediendum injustum ejus damnum. D. Thomas 2. 2. qu. 70. art. 2.

2. Quando Superior, vel Judex legitime testimonium ferendum jubet; praeceptum enim Superioris, vel Judicis, cum justum est, obligat in conscientia, praesertim quando tendit ad bonum commune. Bonum autem commune exigit, ut revelentur crimina, ne impunita remaneant, et ut justitia administretur sine ullo Communitatis, vel particularis personae indebito detrimento. Antoine.

Q. Danturne aliqui casus in quibus testis judici praecipienti testimonium, non tenetur obedire?

R. Maxime, et sunt 1. Si testis ea, de quibus est interrogatus, sciat ex confessione Sacramentali; nam tunc major est obligatio custodiendi sigillum Sacramentale, quam obligatio obediendi Judici.

2. Si sciat ex secreto naturali, auxilii, vel consilii petendi causa, ut Advocatus, Theologus, Medicus, Obstetrix etc. Nam viget ob bonum commune, obligatio custodiendi secretum introductum a jure naturae, ne homines absterreantur a petendo consilio, vel auxilio, quando opus est, quod jus praevalet Superioris, vel Judicis praecepto.

Excipe tamen ab hoc casu 1. Quando testimonium necessarium est ad removendum imminens grave damnum Communitatis vel privati innocentis; tunc enim tenetur testimonium ferre testis, etiam de re sub secreto naturali etiam jurato cognita, cum nec secretum, nec juramentum obliget in eo casu, cum sit de re illicita. Excipe 2. Si quis delictum viderit, vel ab aliis audiverit, et postea juravit, non revelaturum; tunc enim tenetur obedire praecepto Judicis, etiamsi de damno alterius removendo non agatur. Et ratio est, quia sicuti teneretur Judici obedire sine juramento, ita tenetur in casu praedicto, etiam accedente juramento, quod nullum est quatenus de re illicita, cum sit contra Superioris praeceptum.

3. Non tenetur quis testari, si rem accepit a personis fide non dignis; nam hujusmodi attestatio in judicio nullam meretur fidem.

4. Si delictum, de quo ferendum est testimonium ad culpam mortalem non pertingit; nam intentio Superioris est interrogare, et notitiam habere de delicto mortaliter culpabili. Vel si testimonium exigatur unice ad emendationem delinquentis, et iste jam emendatus est, quia cessat intentio Ju-

dicis, nisi Judex, sive culpa sit mortalis, sive venialis, sive emendatus sit reus, sive non, jubeat testimonium.

5. Si testificando grave immineat damnum testi, vel suis, quia lex hominis regulariter non obligat cum gravi incommodo. Excipe tamen, si agatur de bono publico, vel de damno tertii longe majori impediendo.

6. Pater, Filius, Maritus, Uxor, Frater, Soror, Consanguineus, vel Affinis, saltem usque ad secundum gradum, et juxta aliquos etiam usque ad quartum. Excipe tamen si agatur de delicto contra bonum commune commissum, uti esset haeresis, delictum laesae Majestatis etc. An etiam eximantur a testimonio ferendo contra Dominum famuli, et domestici, litigium est inter DD.; unde standum est praxi illius Tribunalis, in quo agitur causa.

7. Si ipse Testis est, auctor, vel complex criminis: quia in Cap. *poenitentia*, dist. 1. ex D. Chrysostomo habetur; *Non dico tibi, ut te prodas in publicum, neque apud alios te accuses.*

8. Si crimen per injuriam, v. g. per metum gravem injuste incussum, per vim, dolum, litterarum apertionem etc. cognovit: quia nullum jus ex injuria oritur. Antoine, Salmanticenses.

Q. Quid si quis a judice legitime requisitus ad testimonium ferendum coram se, ipse, ne illud ferat, aufugit, vel absconditur, vel dolo, aut fraude ejus forum declinat, vel veritatem reticet?

R. Peccat graviter contra justitiam commutativam, et legalem, et si damna obveniant, ad restitutionem tenetur. Judex enim ob bonum publicum per juridicam citationem jure imponit ei onus se praesentandi, ac officium testificandi, atque constituit eum quodammodo personam publicam ad testimonium ferendum, unde testis Superiori legitime praecipienti obligationem contrahit obediendi, et ille, qui ejus testimonio indiget, jus acquirit ad testimonium habendum: quare, si veritas injuste quomodocumque tegatur, injuriam ei facit, ac proinde, si damna sequantur, tenetur compensare, quod dicendum est etiam in his casibus.

1. Quando quis injuste abstrahit, celat, lacerat, vel tradere non vult scripturas alteri profuturas ad suum jus obtinendum, ut aperte colligitur, ex cap. 12. *Si quis* q. 2. et hoc verum est, etiamsi scriptura sit in favorem Adversarii, ut ex cap. 4. de testi. cogend. Antoine.

2. Quando quis affirmat uti verum, et certum id, quod ipse non certo cognovit.

3. Quando pro veritate dicenda coram Judice, pecuniam, vel aliquod aliud pretio aestimabile extorquet.

4. Si falsum testatur, vel falsum instrumentum, syngrapham, aut aliam scripturam conficit, vel vitiat in damnum alterius, etiamsi hoc faciat ad retundendam alterius injustitiam vel falsitatem, vel ad jus suum consequendum: v. g. quia amisit scripturam veram, novam similem conficit. In quibus casibus adest semper peccatum ex genere suo grave contra justitiam legalem, et contra justitiam commutativam etiam quando damnum Proximi inde sequitur. Antoine loc. cit.

§. IV. *De Advocato, Procuratore, ceterisque ad judicium concurrentibus.*

Q. Quaenam personae arcentur ab officio Advocati?

R. Plures, quos refert D. Thomas 2. 2. q. 71. art. 2, et 1. Illi qui interius impotentes sunt uti amentes, furiosi, et qui sana non gaudent mente. Item et qui impotentes sunt exterius, uti surdi, muti, ignari, caeterique, qui neque per alium, ut par est, officium suum adimplere valent.

2. Haeretici, Infideles, et Excommunicati, uti constat ex cap. *Nemo*, de Poenit. distin. 1. cap. 7. ex cap. *Excommunicatus* 1. de haeret., et leg. 18. *Nemo* C. de postulando, ita ut si in judicio isti admittantur, graviter peccat Superior, et judex, qui eos admittit.

3. Servi, foeminae, infames, damnati crimine capitali, vel calumnia publica judicii.

4. Monachi, sive Religiosi, et Sacerdotes saeculares, et Clerici in Sacris, vel in minoribus sed beneficiati; quia indecens est, quod qui Deo, et Ecclesiae inservire debet, forensibus curis a proprio munere avocentur. Excipe tamen pro Religiosis si utilitas, vel necessitas Monasterii id requirat, et expressa Superioris licentia habeatur: pro sacerdotibus autem, et Clericis saecularibus excipe, si advocati officium exerceatur in causa propria, vel Ecclesiae, vel consanguineorum usque ad quartum gradum, vel miserabilium personarum: at coram Judice laico solum pro causis civilibus, non autem criminalibus, coram autem Judice Ecclesiastico pro utrisque. Salmanticenses.

Q. Num Advocatus tenetur gratis defendere pauperem?

R. Maxime tenetur, quia patrocinium pauperis est actus charitatis, et opus misericordiae, ad quod tenetur etiam Advocatus, praesertim si pauper graviter indigeat ejus patrocinio, et Advocatus sine gravi suo incommodo illud praestare potest: imo cum gravi suo incommodo tenetur, quando pauper est in gravissima necessitate: urget enim caritatis praeceptum. ut posthabito suo gravi incommodo, prospiciat pauperi gravissime indigenti patrocinio suo. Salmanticenses.

Q. Quid dicendum de Advocato, qui cognoscens causam sui Clientis injustam, illam suscipit defendendam?

R. Hic advocatus mortaliter peccat, et ad restitutionem damni sequuti tenetur; cooperatur enim iniquae concertationi, et proinde jura partis innocentis offendit. Imo et damna Clienti suo illata resarcire debet, si hunc non admonuit de injustitia causae suae, quia ejus jura etiam violavit non admonendo: si enim admoneret, forsan a lite desisteret, et litis impensas non sustineret. Quod si admonuit de causae injustitia, et nihilominus Cliens voluit litem promovere, tunc ad damna Clientis non tenetur, quia ejus jura non violavit: nam volenti, et consentienti nulla fit injuria. Tenetur autem tum ipse, quam Cliens in solidum omnia damna parti innocenti compensare propter injuriam ei illatam, cooperando ejus injustae vexationi, ac damno. D. Thom. 2. 2. q. 71. art. 3.

Idem dic si ex ignorantia vincibili injustitiam causae non agnovit, et proinde Clienti illam non manifestavit.

Q. Quam scientiam, et prudentiam habere debet Advocatus?

R. Debet scire leges, et praxim Fori, et jura circa res, de quibus quaestio est. Debet Auctores, qui de iis agunt evolvere, ut sufficienter valeat meritum, et justitiam causae secundum jura cognoscere; alioquin, quia culpa ejus lata est, graviter peccabit, at ad omnia damna, quae ex sua ignorantia, vel culpa oriuntur, tenebitur resarcire tum Clienti, tum parti adversae, ceterisque damnum patientibus.

Ad prudentiam vero quod attinet, non debet esse praeceps in consulendo, et in causis defendendis: nam non debet recipere causas injustas, aut sophisticas patrocinandas, atque illam diligentiam, et cautionem pro causae patrocinio adhibere debet, quam diligentiores Advocati adhibere solent, alias tenebitur ad damna compensanda, non solum ex culpa lata, sed etiam levi, si forte Clienti adveniant ex sua negligentia. Debet denique cavillationes, et injustas dilationes, et falsas scripturas, vel testes removere; aliter graviter peccabit, et ad restitutionem damnorum tenebitur.

Num advocatus suscipere possit defendendam caussam probabilem vide in *Tractatu de Conscientia.*

Q. Potestne Advocatus pretium laborum suorum percipere a suo Cliente?

R. Maxime, quia dignus est Operarius mercede sua: debet tamen moderate accipere, conditione personarum perpensa, negotiorum, et laboris, et consuetudine Patriae. Ita D. Thomas. 2. 2. q. 7. art. 4, et advertit Lugo *de Obligatione Advocati*, quod, ut cesset omne hallucinationis periculum, Advocatus arbitrio Advocatorum prudentium suos remittat aestimandos labores, si enim immoderate exiget, peccabit contra justitiam commutativam et restitutioni obnoxius erit.

Q. Potestne licite Advocatus pacisci de quota determinata litis, v. g. de tertia parte, aut de certa quantitate pecuniae si causam vicerit?

R. Minime, nam id a Jure prohibitum est, Leg. *Si quis* C. de postuland. Leg. *Sumptus*, ff. de Pactis. Et hoc statutum est, ne Advocatus per fas, et nefas victoriam litis obtinere conetur, et sic fraudibus utatur. Dixi sub conditione *si causam vicerit*; quia si certum stipendium statuatur, sive vicerit, sive non, licitum est; quia cessat periculum fraudis. Salmanticenses.

Q. Quid de Procuratore Caussae?

R. Caussae Procurator dicitur ille, qui in litis defensione adjutor est advocati, pro patrocinio Clientis.

Procurator scientiam, et peritiam habere debet suo muneri congruam. Debet in causa procuranda illam adhibere diligentiam, quam solent in rebus propriis diligentiores homines adhibere. Hinc omnia solerter, et tempore proprio expedire tenetur, prout munus suum exigit, aliter si ex sua negligentia damnum Clienti adveniat, peccat contra justitiam, et damnum secutum compensare tenetur. Debet etiam in litis decursu servare veritatem, et justitiam, quare peccat, si injustam litem suadeat, procurandam suscipiat, si suadeat veritatem negandam, vel falsitatem testandam, vel compositionem indebitam faciendam, vel si litem indebite protrahat. Et quoniam Procurator juxta Glossam in Leg. *Solarium*, ff. *Mandati* dicitur *Advocatus Secundus*, quidquid proinde dictum est de Advocato; dic, proportione servata, de Procuratore.

Q. Quid de notario, aliisque ad judicium concurrentibus?

R. Notarius, sive Tabellio, vel Scriba, dicitur ille, qui efformat processum, sive acta, ceterasque scripturas. Hic debet habere peritiam non modicam, nec summam, sed sufficientem ad ea, quae pertractare debet, et justitiam, ac fidelitatem servare in munere exercendo. Quare peccat ex genere suo graviter, si processum, vel alias scripturas non recte conficiat ex sua ignorantia. Item si juramentum, vel secretum violet: si in testimoniis testium quoad dicta, vel facta, aliquid accrescat, minuat, vel mutet, vel cetera omnia non fideliter describat: si ignoranti, aut non fideli amanuensi committat scripturas transcribendas: si scripturas negligenter custodiat: Si causae expeditionem ex negligentia, vel malitia impediat: si exigat mercedem ultra taxam: si falso testes, aut scripturas admittat, vel processui inserat: si denique scripturas quae tradi possunt, petenti injuste deneget, vel tradat, cum forte tradendae non sint. In quibus casibus habetur grave peccatum, et obligatio restituendi, si forte damna sequantur.

Haec eadem dic de Secretario, de Referente, et Apparitore, proportione servata. Hi enim omnes, et singuli tenentur diligenter, et fideliter munus suum exequi, aliter ex genere suo peccabunt contra justitiam legalem, et contra justitiam commutativam, si damna ex eorum negligentia, ignorantia, vel malitia oriantur, et proinde ad restitutionem tenebuntur. Salmanticenses, Antoine.

§. V. *De Reo*

Q. Quinam dicitur Reus?

R. Reus ille dicitur a quo in judicio civili Creditor debitum exigit; et in judicio criminali ille, qui crimen commisit, et contra quem procedit accusatio, denuntiatio, vel inquisitio.

Q. Judici legitime interroganti debetne reus criminalis veritatem fateri?

R. Maxime, et quidem sub gravi, etiamsi agatur de crimine, quod reum ad mortem perducere possit, et ratio est, quia sicut Judex in eo casu jus habet interrogandi et exigendi veritatem ob bonum publicum, ita et reus strictam habet obligationem veritatem fatendi. Item quisque tenetur sub gravi obedire Superiori legitime praecipienti aliquid grave, at in casu Judex est legitimus superior, ac legitime praecipit sub gravi veritatis confessionem, quae gravis res est, tenetur ergo reus obedire, et veritatem fateri.

Neque dicas, quod reo adest periculum vitae, et proinde Lex hominis non obligat cum tali, ac tanto incommodo; nam respondetur, quod reus in casu vel deberet tacere, vel deberet mentiri. Tacere non potest, quia habet obligationem respondendi ad interrogata: unde Catechismus Romanus de octavo Praecepto ait: *De reis autem, et sontibus, vult eos Deus verum confiteri, cum ex judicii formula interrogantur.* Non potest mentiri; quia mendacium est intrinsece malum, et nullo modo cohonestari potest etiam ex periculo vitae; quare respondere debet fatendo veritatem.

2. Praeceptum humanum, quando tendit ab bonum commune, obligat etiam cum periculo vitae; quia bonum commune, bono particulari privatorum praevalet: tale autem est praeceptum Judicis legitime interrogantis: nam bonum commune vult, ut crimina puniantur, et proinde exigit, ut reus

legitime interrogatus respondeat, et veritatem fateatur, aliter maxima ex parte delicta impunita remanerent cum maximo communitatis detrimento. D. Thomas 2. 2. q. 69. art. 1. Salmanticenses, aliique.

Neque denuo urgeas, quod sicut testis a Judice legitime interrogatus, non tenetur revelare veritatem, si ex tali revelatione sibi, vel suis grave damnum oriatur, ita et reus. Nam respondetur, quod Judex non habet in tali casu jus interrogandi testem; quia iste cum innocens sit, jus habet vitam, et bona sua, et suorum conservandi: quod dicendum non est de reo, qui ob crimen commissum, et semiplene probatum, tale jus amisit. Tenetur ergo reus veritatem fateri, cum est a Judice legitime interrogatus, et absolvi non potest a Confessario, nisi intra tempus, quo durat judicium, huic suae obligationi jam satisfecerit.

Nota tamen hic, quod ut reus cognoscat, se legitime a Judice interrogari, debet Judex interrogans illum commonere de probationibus, quae sunt contra ipsum in processu, nisi aliunde sciat, aliter non tenetur respondere Salmanticenses.

Q. Reus interrogatus teneturne etiam complices sui delicti manifestare?

R. Maxime quando crimen natura sua committi non potest, nisi cum sociis, et scientia complicum necessaria, vel utilis est ad bonum commune, vel quando contra complices adest semiplena probatio, vel infamia, vel indicia sufficientia, vel quando in illo Tribunali consuetudo est interrogandi de complice. In his enim casibus, quoad complices etiam legitime interrogatur: imo si agatur de crimine excepto, quod tendit contra bonum commune, puta de haeresi, crimine laesae Majestatis, latrocinio famoso, falsatione monetae etc. sive commisso, sive committendo, vel agatur de delicto, quod tendat in damnum grave privatae personae, tenetur Reus etiam revelare complicem, qui non est emendatus, etiamsi non sit interrogatus; quia urget praeceptum charitatis ad id graviter obligans. Antoine,

Q. Quid si reus falsum crimen morte, vel mutilatione dignum, sibi imposuit ad vitanda atrociora tormenta?

R. Graviter peccavit, quia directe procuravit sibi mortem, vel mutilationem injustam cum falsa sui infamatione: unde absolvendus non est, nisi suum testimonium, seu judicalem confessionem revocet, etiam periculo majora tormenta sustinendi. Antoine.

Q. Reo sive civili, sive criminali, licetne appellare?

R. Licet, si prudentis viri judicio sua sententia videatur injusta, vel quia reus vere innocens est vel quoniam poena est delicto major, vel quoniam ordo juris in judicio non est servatus; in his enim casibus reo illata est injuria, quae per appellationem repelli potest: Cap. 53. de appellationibus. Si aliter se res habeat, appellatio est injusta, et illicita atque ad resarcienda damna, quae inde subsequuntur, obligat, quia Judicem arguit de injustitia, vel de ignorantia, et justitiae cursum impedit, ac damnum etiam infert parti adversae, cum obliget eam ad alias, et forte majores expensas. Unde ajebat D. Bernardus lib. 5. de Considerat. cap. 2. *Iniqua est omnis appellatio, ad quam justitiae inopia non coegit.* Antoine.

Q. Num licet reo imponere testibus, vel accusatori falsum crimen, aut delictum verum, sed occultum, ut sic se defendat?

R. Falsum crimen imponere testibus, vel accusatori illicitum omnino est ex quacumque causa, quia mendacium est intrinsece malum, praesertim mendacium perniciosum. Hinc recte damnata fuit Propositio 44. ab Innocentio XI. *Probabile est, non peccare mortaliter, qui imponit alteri falsum crimen, ut suam justitiam, et honorem defendat. Et si hoc non est probabile, vix erit opinio probabilis in Theologia.*

Imponere testibus, vel accusatori delictum verum, sed occultum, quod non prodest ad se defendendum, sed vertitur solum ad notabilem injuriam, vel damnum accusatoris, vel testium, nec etiam licet, et est peccatum grave contra justitiam, et caritatem; quia illa delicti revelatio ex animo vindictae procedit, et notabilem illis injuriam affert.

Si autem delicti veri, et occulti manifestatio prodest ad enervandam accusationem, vel testium depositionem, quae accusatio, et depositio augent delictum, et proinde poenam, licita est, si tanta vero sit, quanta requiritur ad sui defensionem, et non adsit alia via reo se defendendi, jura sua vel innocentiam suam; in hoc enim casu reus jure suo utitur, et proinde nec veritatem laedit, nec justitiam. Salmanticenses.

Q. Num reus, qui vere delictum commisit mortis, vel mutilationis, potest licite e carceribus fugere ad mortem vitandam, vel mutilationem?

R. Licite potest tum ante, tum post sententiam Judicis fugere, quia a natura hanc habet fugiendi insitam inclinationem: excipe tamen, si juramento, voto, vel promissione speciali se obligavit permanere, et non fugere, quia tunc ex speciali illa obligatione fugere non licet. Quare potest fugere, etiamsi praevideat, quod carcerum Custos aliquid mali, vel damni ex sua fuga patitur; ipse enim non intendit malum ejus, vel damnum sed suam libertatem. Item potest fugere, ne capiatur vel excutere se a satellitibus volentibus illum capere. Dixi *excutere* tantum, quia Reo non licet satellitibus, vel carcerum Custodibus vim inferre percutiendo, vulnerando, mutilando, inebriando, etc.; quia injuriam eis inferret; nam quod isti agunt, jure agunt. Antoine.

Q. Num licet reo ad vitandam mortem, vel mutilationem effringere carceres; et num licet aliis instrumenta suppeditare Reo ad carceres infringendos, vel ad fugiendum?

R. Ad reum quod attinet, litigium est inter DD., probabilius tamen dicendum, quod licet reo effringere carceres, quia si fuga est ei licita, licita est etiam carcerum effractio, quae medium est, et via ad fugiendum. Neque dicas, quod hoc a lege prohibitum est sub poena mortis; nam respondetur quod est haec lex poenalis contra eos, qui illata vi Ministris justitiae, et carcerum Custodibus, frangunt carceres, et effugiunt. Respondetur etiam per alios DD. quod haec poena sit injusta Antoine, Salmanticenses.

Quoad eos vero, qui instrumenta suppeditant Reo ad carceres infringendos, dicendum, quod illicitum sit; quia haec cooperatio est contra bonum commune exigens, ut custodia publica criminosorum, sive carceres, tuta sint. A fortiori illicitum est Officialibus, et ministris justitiae. quia agerent contra proprium officium, et violarent quasi contractum cum Republica initum de fideliter exercendo munus suum in custodiendis reis, et Judici, ac justitiae inserviendi. Antoine.

Q. Num licitum est Reo ad mortem, vel mutilationem juste damnato, resistere Judici, vel justitiae Ministris, ut poenam effugiat?

R. Minime, quia resisteret Deo, qui enim legitimae Potestati resistit, Deo resistit (ad Romanos cap. 13.). Praeterca Judex ejusque ministri jus habent puniendi reum: quare Reo obligatio inest subeundi poenam, ac proinde resistere eis ille non potest sine gravi injuria.

Si vero Reus innocens est, et tamen ex probatis uti nocens capite, vel mutilatione damnatus est, tenetur poenam patienter tolerare, utpote pro aliis suis peccatis a Deo juste inflictam, quando eam effugere non potest, nisi cum scandalo, vel populi perturbatione, vel resistentia publica Ministris justitiae illata; et ratio est, quia in foro exteriori justa est sententia sua, et proinde ei exterius resisti non potest. D.Thomas. 2. 2. q. 69. art. 4. Antoine, Salmanticenses.

Hinc Reus juste damnatus ad mortem, vel mutilationem, si hujusmodi poena fugiendo vitare non potest, tenetur in conscientia ad praescriptum locum accedere, et non resistere, manus porrigere Ministris justitiae, ut ligentur, conscendere scalas etc.; quia haec omnia ad justitiae executionem pertinent. Quod si sibi praecipiatur; ut manu propria se occidat, mutilet, venenum hauriat, se praecipitet e fenestra etc. non licet ei haec, vel alia hujusmodi exequi; nam hujus sententiae executio iniqua esset, cum esset directe occidere, vel mutilare semetipsum; quod iniquum est, et omni jure prohibitum. Antoine, Layman.

Q. Quid si reus juste ad poenas mitiores, v. g. Exilii, Triremium, Carceris, etc., damnatus sit, licetne ei effringere carceres, fugere, resistere?

R. Tametsi aliqui contrarium de triremibus, et carceribus valde molestis sentiant; tamen verius cum pluribus dicendum absolute, quod reus iste teneatur non resistere, sed ad locum exilii, ad triremes, ad carceres se conferre, ibique permanere, et Judici sententiae parere. Neque aliis licet suppeditare, vel docere media, quibus fugiat, vel resistat; quia hae poenae nec injustitiam sapiunt, nec crudelitatem; et bonum commune id exigit ad pubblicam Reipublicae tranquillitatem.

Idem dic de poena pecuniaria, quam statim Reus persolvere debet; si potest, et in decreto, seu sententia appositum est quod sine alia monitione solvatur. Quod si ante solutionem poenae pecuniariae moriatur Reus, tenentur heredes, quia isti sicut succedunt in bonis ejus, ita et in ejus realibus obligationibus. Antoine.

TRACTATUS VII.

DE PRAECEPTIS ECCLESIAE

Expositis Decalogi Praeceptis, juxta recentissima DD. methodum explicanda sequuntur Praecepta Ecclesiae, non omnia, quae sexcenta sunt in Sacris Canonibus expressa, sed praecipua, et cuivis Christiano scitu, atque adimpletu necessaria, quae communiter sequentibus verbis proponuntur.

I. Statutos Ecclesiae Festos celebrato.

II. Sacrum Missae Officium diebus festis reverenter audito.

III. Indicta certis diebus, temporibusque jejunia; et a quibusdam cibis abstinentiam observato.

IV. Peccata tua Sacerdoti proprio, aut alteri cum ejus facultate quotannis confitetor.

V. Sacrosanctam Eucharistiam ad minimum semel in anno, idque circa festum Paschae sumito.

Quae praecepta his versiculis comprehenduntur:

Festa colas, praesens Sacro, jejunia serves,
Annua sit saltem scelerum confessio, Paschae
Tempore percipiens Christi venerabile Corpus: Danes, Anacletus.

Q. Teneturne Christianus, praeter Decalogi Praecepta, observare etiam ista?

R. Maxime, et quidem sub gravi; nam Lex Ecclesiae (sicut et omnis alia lex humana) a Lege Dei aeterna ortum habet, et vim obligandi; unde ex vi legis aeternae Dei legem Ecclesiae observare tenetur Christianus. Quare aiebat Christus: Lucae cap. 10.: *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit.* Et ad Hebr. cap. 13. Apostolus: *Obedite Praepositis vestris, et subjacete eis.*

CAPUT I.

De primo, et secundo Ecclesiae Praecepto

Q. Quid praecipit primum Ecclesiae Praeceptum?

R. Ut statutos Ecclesiae Festos celebremus, scilicet, pie, et sancte transigamus non solum Dominicum, qui pro sabbato appositus est (1) sed et

(1) Quum aliqua pars temporis esse debeat, quae Deo colendo specialiter destinetur, Apostoli primum hebdomadae diem, veluti ceteris aptiorem Sabbati loco selegerunt, ipsumque diem *dominicum* appellarunt, cum dies *Solis* ab Ethnicis diceretur. Cujus diei celebritas jam Apostolorum aevo apud Christianos obtinebat. Illius enim praeter Evangelistam (*Apocalyps.* 1.) meminit Apostolus (1. *ad Corint.*): ubi Collectas ad sublevandum pauperes Christianos *per unam Sabbati* fieri jubet, idest prima hebdomadae die, qua scilicet sacri conventus Christianorum fiebant in ipsis Ecclesiae exordiis. *Ad frangendum panem*, idest ad Corpus Christi sumendum, ut testatur S. Lucas *Act.* XX. Videsis S. Justini apologiam 11. Rationes autem, ob quas dominicum diem Sabbato Ecclesia substituit, prae ceteris colligit *S. Leo epist.*

ceteros dies festos recolendis Fidei nostrae Mysteriis, vel Sanctorum memoriis celebrandis ab Ecclesia specialiter deputatos (1) cum abstinentia ab operibus servilibus, de quo praecepto mentio fit in Capit. *Nullus*, et se-

II. alias *LXXX.* ad *Dioscorum* Alexandrinum Episcopum cap. 1; ubi hac die, quam *diem resurrectionis dominicae* vocat, sacras Ordinationes celebrandas docet: *Quae tantis*, inquit, *divinarum dispositionum Mysteriis est consecrata, ut quidquid est a Domino insignius constitutum, in hujus diei dignitate sit gestum. In hac mundus sumpsit exordium. In hac Apostoli a Domino praedicandi omnibus Gentibus Evangelii tubam sumunt, inferendum universo mundo Sacramentorum Regenerationis accipiunt. In hac sicut Beatus Evangelista testatur, congregatis in unum Discipulis, januis clausis, cum ad eos Dominus introisset, insufflavit, et dixit*: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt (*Joan.* 20.). *In hac denique promissus a Domino Apostolis Spiritus Sanctus advenit: ut coelesti quadam regula insinuatum, et traditum noverimus, in illa die celebranda nobis esse Mysteria sacerdotalium benedictionum in quo collata sunt omnia dona gratiarum.*

(1) Quemadmodum populus Judaicus praeter Sabbatum alios festos habuit divina Lege constitutos, quibus maximorum beneficiorum memoria renovaretur, ita populus christianus alios, praeter Dominicam dies festos, et solemnes habet, ab Apostolis in ipso Ecclesiae exordio, et consecutis deinde temporibus ab Apostolorum successoribus institutos, ut pie, et sancte beneficiorum Dei memoriam colamus, ipsique grates rependamus.

Sic dies festos Passionis, Resurrectionis, Ascensionis Domini, et Pentecostes Apostolos instituisse prae ceteris testatur S. Augustinus (epist. LIV. alias CXVIII.) *ad Januarium* cap. 1. *Illa autem*, inquit, *quae non scripta, sed tradita custodimus, quae quidem toto terrarum orbe servantur, datur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel a plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata, atque statuta retineri, sicuti quod Domini Passio, et Resurrectio, et Ascensio in Coelum, et Adventus de Coelo Spiritus Sancti anniversaria solemnitate celebrantur et si quid aliud tale occurrit, quod servatur ab universa, quacumque se diffundit Ecclesia.*

Praeterea natales Martyrum dies primis Ærae Christianae temporibus solemnes extitisse luculentissime demonstrat Ecclesiae Smyrnensis epistola de martyrio *S. Polycarpi* apud *Eusebium* (*Lib. IV. Hist. Eccl. cap. XV.*). *Ossa illius*, inquiunt, *gemmis pretiosissimis, et quovis aureo puriora colligentes, ubi decebat, condidimus. Quo etiam in loco nobis, si fieri poterit, convenientibus, concedat Deus Natalem ipsius Martyris diem cum hilaritate, et gaudio celebrare; tum in memoriam eorum qui glorioso certamine perfuncti sunt; tum ad posteros hujusmodi exemplo instruendos et confirmandos.* Hinc passiones, et dies Martyrum anniversaria commemoratione celebrari S. Cyprianus quoque confirmat (epist. XXXIV.) et dies, quibus excedunt, annotari jubet (epist. XXXVII): *Ut commemoratione eorum*, inquit, *in memorias Martyrum celebrare possimus. Quamquam Tertullus fidelissimus, et devotissimus frater noster significet mihi dies, quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalitatem glorioso mortis exitu transeunt, et celebrentur hic a nobis Oblationes, et Sacrificia ob commemorationes eorum, quae cito vobiscum Domino protegente, celebrabimus.*

Demum instituti ratio vetat heic quamplurima Pontificum decreta, atque Conciliorum canones subtexere, quibus religiosus festorum cultus labentibus saeculis fuerit constitutus. Illud dumtaxat adferre placet quod Oecumenica Tridentina Synodus (*Sess. XXV. cap. XII.*) sanxit: *Ut dies festi, quos in Dioecesi sua servandos Episcopus praeceperit, ab Exemptis omnibus, etiam Regularibus serventur.*

quent. 15. quaest. 4 et Canon. I. et seq. de Consecrat. dist. 3. et toto tit. de feriis.

Quoniam vero hujus praecepti materies satis disquisita fuit cum de tertio Decalogi praecepto ageretur, ideo illuc lectorem remitto.

Q. Quid jubet secundum Ecclesiae Praeceptum?

R. Ut inter ceteras pias exercitationes, quibus dies festus sanctificandus est, justa Decalogi praeceptum, Fidelis quisque usu rationis praeditus devote, et attente integram Missam audiat, nisi forte nullo modo, vel saltem non sine valde gravi incommodo, possit Missae officio interesse: ita ex Canone *Missas*, et Can. *Cum ad Celebrandas* de Consecr. dist. 1.

Ubi adverte, quod licet ibi solum mentio fiat saecularium personarum; ex communi tamen consuetudine, quae optima legum interpres est, tali praecepto obnoxii censentur etiam Clerici, et Sacerdotes, ac Regulares dictis diebus non celebrantes. Et hoc desumitur ex Canone *Omnes Fideles;* de Consecrat. dist. 1.

Q. Hoc praeceptum obligatne sub gravi?

R. Maxime, quare si quis sine rationabili causa dictis diebus Missam non audit, vel notabilem Missae partem culpabiliter omittit, graviter peccat, quia violat praeceptum Ecclesiae de re gravi, quod immediate ex virtute Religionis descendit, quia ad supremum Dei cultum ordinatus.

Q. Qualis debet esse auditio Missae, ad hoc praeceptum adimplendum?

R. Debet esse attenta, et devota, non quatenus debeat Missae verba, vel Mysteria intelligere Fidelis, cum homines rudes, et mulieres hoc agere non valeant, nec quatenus debeat Sacerdotem celebrantem videre, vel audire, cum caeci, et surdi, nec etiam id exequi possunt. Quare esse debet attenta, et devota, quatenus Fidelis sit corpore physice, vel moraliter praesens Missae Sacrificio, et reverentur ei adsistat, atque mente Deo vacet per preces, pias animi affectiones, ac meditationes, cum intentione saltem virtuali, et implicita comunicandi per suam adsistentiam Oblationi, Sacrificio, et Orationibus, quae fiunt per Sacerdotem sacrificantem, et Deo supremos honores tribuentem, nam aliter non erit religiosa Missae auditio, qualis ab Ecclesia praecipitur. Danes, Antoine.

Quare si die festivo quis in audiendo Missam dormiat per notabile tempus, aut cum aliquo confabuletur, aut aliqua alia temporali actione sive licita, sive illicita voluntarie distrahatur, hoc praeceptum non adimplet, quia neque devota est hujusmodi auditio. Item qui sive simul, sive successive partem Missae ab uno celebrante audit, et aliam partem ab alio, hoc praeceptum non servat, quia non adsistit uni, eidemque Sacrificio, sicut Ecclesia praecipit, uti patet ex Canon. citat. *Missas*, et ex Propositione 53. ab Innocentio XI. damnata (1).

Q. Quaenam dicitur notabilis pars Missae, ita ut si omittatur, non satisfit praecepto, et graviter peccatur?

R. Secundum communem DD. sententiam est quarta pars. Hinc ex communi sensu omissio initii Missae sive Introitus Missae, ac reliquorum usque ad Evangelium inclusive, dicitur omissio notabilis. Verum notabilis omissio dicitur etiam, si quis abest a Missa tempore consecrationis; nam haec

(1) *Satisfacit praecepto Ecclesiae de audiendo Sacro, qui duas, ejus partes, imo quatuor simul a diversis Celebrantibus audit.*

est pars Missae essentialis. Idem dicendum juxta aliquos de Communione Sacerdotis, quia Communio vel essentialis pars Sacrificii est, vel saltem substantiale illius complementum.

Ex Suarez attendenda est non tam mora temporis quam dignitas rei omissae, necessariae vel ad essentiam, vel ad sacrificii dignitatem. Notabilis etiam pars aextimatur ab Offertorio ad Consecrationem, a Consecratione ad Communionem, a Communione non peracta ad finem usque: et ex *Salmanticensibus* a Consecratione peracta ad *Pater noster* exclusive, ob dignitatem ortam ex propinquitate ad Sacrificii essentiam. Haec culpa in eodem genere peccati est gravior, vel levior, prout pars omissa est principalior. Ita Sylvius. Levis pars communiter censetur ad Epistolam usque exclusive, et ubi adest consuetudo usque ad Evangelium exclusive, et a Sumptione ad finem.

Q. Quibus de causis potest quis excusari die festivo ab auditione Missae?

R. Potest excusari 1. Ex impotentia physica; v. g. si aegrotet: si in carceribus detineatur, si sit in mari navigans etc: 2. Ex impotentia morali, quatenus Missam audire non potest sine gravi damno suo, vel alterius, in bonis, vel in fama, vel in honore, vel salute sive spiritusli, sive temporali, vel sine gravi incommodo, scandalo, vel gravis damni periculo. Ex caritate, quando scilicet Missam non audit, ut charitatem erga Proximum indigentem exerceat, v. g. quia assistit infirmo, Moribundo etc.

Q. Num ille, qui totam Missam audire non potest tenetur ejus partem quam potest audire?

R. Qui non potest totam audire Missam, tenetur ad illam partem, quam potest, praesertim si pars illa essentialis est, et principalis, uti esset consecratio, oblatio etc.; qui enim totum non potest adimplere praeceptum, tenetur ad illam partem, quam potest, ut sic saltem voluntatem ostendat, quae ei erat, adimplendi totum praeceptum: Argum. Cap. *Cùm dilectus*, de dolo, et contumac.

Q. Num ille, qui Missam audire non potest die festivo, tenetur vacare orationibus, vel aliis pietatis operibus, puta meditationi, actibus virtutum Theologalium etc. per illud tempus, quod insumendum erat ad Missam audiendam?

R. Plurimi negant, quia Ecclesia praecipit Missae auditionem, non alios virtutis actus, unde si quis Missam audire non potest, non tenetur tempus auditioni Missae debitum applicare orationibus, ceterisque virtutum actibus. Conveniunt tamen DD. quod consultissimum erit, si per illud temporis vacet piis operibus, ac meditationibus, et in domo sua oret, et non negligat Deo solvere votum, ac reddere pensum servitutis, ut ait D. Augustinus Serm. 251: de tempore. Anacletus.

CAPUT II.

De tertio Ecclesiae Praecepto

Q. Quid tertium Ecclesiae Praeceptum imponit Fidelibus faciendum?

R. Praecipit, ut Fideles indicta certis diebus, temporibusque jejunia; et a quibusdam cibis abstinentiam observent, ex Canon. 60. *Apostolorum*, et ex cap. *Quadragesima*, de Consecrat. dist. 5. et sequent.

Q. Quotuplex est Jejunium?

R. Quatruplex; nempe *Spirituale*, est illud, quo a vitiis, et peccatis abstinemus, de quo D. Augustinus relatus in cap. *Jejunium* de Consecrat. dist. 5. *Jejunium magnum, et generale est abstinere ab iniquitatibus, et illicitis voluptatibus saeculi*, *quod est perfectum jejunium*. *Naturale*, et est abstinentia ab omni prorsus cibo, et potu etiam per modum medicinae. *Morale*, quod est parsimonia in cibi, ac potus sumptione juxta regulam temperantiae. Denique *Ecclesiasticum*: quod definitur: *Voluntaria abstinentia a pluribus refectionibus, et a quodam ciborum genere, juxta formam ab Ecclesia praescriptam.*

Dicitur *voluntaria abstinentia etc.*, quia jejunium est actus virtutis temperantiae, et consequenter debet esse liber; et voluntarius. Dicitur *abstinentia a pluribus refectionibus etc.*; quia in unica refectione, et in ciborum restrictione reposita est forma jejunii Ecclesiastici. Concina.

Ceteris jejuniis omissis, verba nunc solum facimus de jejunio Ecclesiastico, quod Fidelibus praecipit Sancta Mater Ecclesia.

Q. Daturne in Ecclesia Catholica potestas praecipiendi jejunium?

R. Maxime, et hoc non nisi haereticus negare potest; nam, ut ait D. Thomas 2. 2. q. 126. art. 3. *Sicuti ad saeculares Principes pertinet tradere praecepta legalia, quae pertinent ad utilitatem communem in temporalibus, ita ad Summum Pontificem, Praelatosque Ecclesiasticos pertinent ea, quae respiciunt communem utilitatem Fidelium in spiritualibus praecipere: cujusmodi est jejunium utile ad multa bona spiritualia.* Praeterea potuit Synagoga in lege veteri jejunia aliqua statuere uti patet ex lib. Esther cap. 9. et Zachar., cap. 8.; ergo a fortiori potest Ecclesia in lege nova, cum major sit potestas Ecclesiae Christi in lege nova, quam potestas Synagogae in lege veteri.

Quare de facto ex traditione Apostolica, ut ait S. Leo Magnus serm. 9. de Quadrag., statutum fuit jejunium quadragesimale, quod perdurat a prima die Cinerum usque ad Sabbatum Sanctum inclusive, exceptis tantummodo diebus Dominicis. Praecipitur etiam jejunium in Vigiliis, et constitutum reperitur iu Cap. *Consilium* de observatione jejuniorum; sicut et jejunium quatuor Temporum, quod innovatum reperitur a Callisto II. in cap. *Jejunium* dist. 76. At jejunium in vigiliis Pentecostes, S. Joannis Baptistae, S. Laurentii, et festivitatis omnium Sanctorum, cum non constet ex aliquo capite Juris Canonici, dicendum videtur, quod ex communi, et antiquissima consuetudine introductum sit.

Q. Num praeceptum jejunii obligat sub gravi?

R. Maxime. Ita enim sentiunt SS. PP. Basilius, Cyrillus, Hieronymus; item plura Concilia, et unanimis Doctorum consensus; et ratio est, quia

materia est gravis, cum jejunium quam maxime saluti Animae conducat. Hinc rite Propositio 23. ab Alexandro VIII. damnata fuit (2).

Quare, qui die jejunii carnem comedit sine necessitate, vel ovis, aut lacticiniis utitur, vel aliquod aliud comestibile extra unicam refectionem, et coenulam, suscipit comedendum, etiam interruptim, graviter peccat, nisi parvitas materiae excuset.

Parvitas autem materiae dicitur a Doctoribus, si quartam unciae carnis, vel casei non excedit, vel quartam ovi partem; vel aliorum comestibilium unciam, vel ad summum unam cum dimidio unciam; peccant tamen leviter qui absque justa causa in die jejunii sumunt hanc materiae parvitatem. Antoine, Collet.

Q. Num graviter peccat etiam qui cooperatur fractioni jejunii, uti Caupo, vel alius, qui cibos prohibitos offert, vel non prohibitos offert, vel praestat ei, qui jejunium frangit?

R. Maxime; etiamsi requisitus praestat, offerat, donet, vendat ei, quem sciat, vel prudenter dubitet, violaturum jejunium; quia cooperatur gravi illius peccato. Et ex eadem ratione graviter peccat etiam, qui hominem jejunio obnoxium invitat ad manducandum cibos prohibitos hora debita, vel cibos non prohibitos hora indebita. Et hoc verum est, etiam si ille paratus erat ad manducandum, quia illicitum semper est ad malum invitare, et peccato alterius formaliter cooperari.

Sed excipe, si fractio jejunii sine gravi damno temporali, vel spirituali averti non potest, quia tunc cooperatio non est nisi materialis. Quare non peccat Caupo, vel alius, qui vendit comestibilia, quibus frangitur jejunium, homini perdito, cui nisi vendat, vel donet, timet sibi incendium domus, necem, vulnera, jacturam notabilem bonorum etc., vel blasphemias, perjuria, aut alia hujusmodi mala. Item non peccat uxor, quae die jejunii parat cibos vetitos viro nebuloni petenti: qui aliter minitatur accessum ad meretricem. Non peccat servus, qui Domino suo jejunere nolenti parat, ex ejus jussu, cibos vetitos; vel non vetitos, sed extra debitum tempus, ne sibi malum notabile, quod timet, accidat. Verum, ut famulus rectius de sua aeterna salute agat, reperiat alium Dominum, relinquendo incredulum, et nebulonem. Collet, Concina.

Q. Quid requiritur ex praecepto Ecclesiae ad observandam jejunii Ecclesiastici formam?

R. Tria requiruntur: 1° Abstinentia a carnibus, at a quocumque, quod ex carne originem trahit: 2. Unica refectio: 3. Tempus refectioni determinatum. Ita ex cap. *De esu carnium* distin. 3. de consecr., et cap. *Denique* distint. 4.

Q. Quid venit nomime carnis?

R. Veniunt omnia, quae ex communi Fidelium usu, et Medicorum judicio, a piscibus, atque aliis hujusmodi cibis distincta sunt. Hinc venit tum illa pars animalium, quae a Medicis *Caro* dicitur; tum etiam sanguis, nervi, medulla exungia, pinguedo, sagimen, laridum, intestina, pedes, caput, etc. Item caseus, ova. Ita ex Canon. *Denique*, dist. 4. ibi: *Par autem est*, *ut*

(1) *Frangens jejunium Ecclesiae, ad quod tenetur, non peccat mortaliter nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subjicere praecepto.*

quibus diebus a carne animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quae sementinam carnis trahunt originem, jejunemus, a lacte scilicet, caseo. ovis etc.

Nota tamen, quod ex D. Thoma 22. q. 147. art. 6. ad 3. respectu ovorum, et lacticiniorum attendenda est locorum consuetudo, vel privilegium; nam in aliquibus locis, jejunii diebus illa permittitur. Nota etiam, quod nomine carnis non veniunt testudines, ranae, limaces, viperae, et alia hujusmodi, quae licet extra aquam vivant, sunt tamen parum nutritiva, et communi hominum usu tanquam pisces habentur.

Q. Abstinentia ergo ab ovis, et lacticiniis die jejunii obligat etiam sub gravi?

R. Maxime, quia pro diebus Quadragesimae eodem verborum tenore prohibetur carnium esus et esus ovorum, et lacticiniorum, in citat. cap. *Denique* dist. 4. Unde sicut praeceptum abstinendi a carnibus die jejunii obligat sub gravi, ita et praeceptum abstinendi ab ovis, et lacticiniis; quod patet etiam pro jejunio Quadragesimali ex Propositione 32. ab Alexandro VII. proscripta (1)

Pro aliis vero diebus jejunii habetur consuetudo prohibens, quae cum sit legitime introducta, habet nunc vim legis sub gravi obligantis. Patet ex Decreto S. Congregationis, quod refert Albitius in lib. de inconstantia in Fide cap. 30. num. 172., ex quo sententia contraria reprobatur. Vide Synodum Neapolitanam Pignatelli de jejunio, Par. 1. cap. 9. n. 5. in notis.

Q. Dominicis diebus Quadragesimae prohibeturne comestio ovorum, et lacticiniorum, sicut in aliis jejunii diebus?

R. Maxime, nam in citat. cap. *Denique* habetur, quod iis diebus, quibus vetita est comestio carnium ratione jejunii, vetitum etiam intelligatur comedere quidquid ex carne originem trahit, nempe lac, caseum. ova, etc. Unde sicut diebus Dominicis Quadragesimae abstinemus a carnibus, ita et debemus ab ovis, et lacticiniis. Hoc etiam expresse colligitur ex Canone 6. Concilii Constantiensis, et ex Propositione damnata mox adducta; nam dies Dominici sunt etiam dies Quadragesimae.

Q. Num illis locis, ubi conceduntur die jejunii ova, caseus et cetera lacticinia, intelligitur etiam concessus usus pinguedinis; quae exprimitur ex larido (vulgo strutto) *vel ex adipe anserum, aliorumve animalium?*

R. Minime, quia pinguedo magis, quam ovum, et lac accedit ad rationem carnis, magisque nutrit, et jejunii finem, qui carnis maceratio est, eludit. Praeterea, si lac, et ova prohibentur, a fortiori adeps. Insuper in permissionibus, quae vel consuetudine legitime introducta, vel legitimo privilegio habentur, fieri non potest extensio de rei ad rem. Anacletus.

Q. Ille, cum quo dispensatum est ad carnes diebus jejunii, potestne per diem uti potione mixta lacte, jusculo ex carne?

R. Minime; quia hujusmodi potio multum nutritioni deservit, et proinde opponitur fini jejunii. Hinc expresse prohibetur in *Encyclica* Clementis XIII. pro jejunio edita anno 1759.

(1) *Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, et lacticinia in Quadragesima obliget.*

R. Ille qui die jejunii est dispensatus ad carnes, teneturne ad jejunium, et ad unicam tantum carnis comestionem?

R. Maxime, et ratio quoad primam partem est, quia quando praeceptum Ecclesiae non potest servari quoad totum, servandum est quoad illius partem, quae adimpleri potest: argumen. capit. *Cum dilectis* de dolo, et contumacia. Praeceptum autem jejunii continet abstinentiam a cibis vetitis, et abstinentiam a pluribus refectionibus. Si ergo ratione dispensationis, vel alterius rationabilis causae, quis non tenetur die jejunii abstinere a carne et aliis cibis vititis, tenetur tamen abstinere a pluribus refectionibus, et tantum una refectione uti. Quoad secundam partem ratio est, quia ita statutum reperitur a Bened. XIV. in sua Constitutione *Cum ambigimus*, edita anno 1741.

Q. Dispensato ad carnes licetne uti in eadem comestione epulis, seu cibis licitis, seu carne, et epulis simul interdictis, seu piscibus?

R. Minime, id clare patet ex alia Constitutione ejusdem Pontificis, quae incipit, *In supremo* eodem anno edita.

Q. Ille, qui dispensatus est ad ova, e t lacticinia potestne uti piscibus in eadem mensa die jejunii?

R. Maxime, uti patet ex declaratione ejusdem Pontificis in Constitutione; quae incipit. *Si fraternitas.*

Q. Num praeceptum de non miscendo in eadem mensa utroque epularum genere extenditur ad dies Dominicos Quadragesimae?

R. Maxime, ut patet ex declaratione ejusdem Pontificis nuper citata.

Q. Num haec praecepta, de unica nempe comestione carnis, et ciborum vetitorum die jejunii, et non utendi iisdem cibis in refectiuncula relate ad dispensatos, et de non permiscendis epulis licitis cum illicitis in eadem mensa, obligant sub gravi; et num extenduntur ad alios dies jejunii extra Quadragesimam?

R. Maxime; et expresse habetur in eadem declaratione ejusdem Pontificis mox citata.

Q. Dispensatus ad carnem, et lacticinia, teneturne observare horam jejunantibus praescriptam?

R. Maxime, et patet etiam ex eadem Pontificis declaratione.

Q. Si quis die jejunii semel comedit: sed usque ad ingluviem, ita ut nullam carnis afflictionem sentiat satisfacitne praecepto jejunii?

R. Maxime, quia ita comedens, etsi peccat graviter contra temperantiae virtutem; non peccat tamen contra praeceptum jejunii. Hoc enim praeceptum, licet per se jubeat unicam refectionem, et ciborum qualitatem; non tamen determinat ciborum quantitatem.

Q. Num toties quis grave peccatum ex genere suo committat, quoties die jejunii comedat carnes, vel alios cibos vetitos?

R. Maxime, quia praeceptum abstinendi a cibis vetitis est negativum; ideoque obligat semper, et ad semper pro toto die jejunii, et consequenter, pro qualibet comestione eorumdem ciborum vetitorum peccatum lethale ex genere suo committit. Idem dicas, si quis voveat pro aliqua determinata die carnes non comedere, vel ova, et lacticinia, et pluries illa die de illis cibis comedat, nam hujusmodi votum est instar praecepti negativi. Concina.

Q. Num toties etiam quis die jejunii mortaliter ex genere suo peccat, quoties in notabili quantitate de cibis non prohibitis notabiliter comedit?

R. Litigitum est inter DD. Alii affirmant, quia praeceptum jejunii quoad unicam refectionem est etiam negativum, vetans plures refectiones tali die, adeoque obligat semper, et quoad semper. Et quia etiam, qui non potest totam legem jejunii adimplere, tenetur illam adimplere partem, quam potest. Si ergo secunda vice notabiliter comedit, secunda vice praeceptum violat, quia adhuc tenebatur ad jejunium servandum, et se mortificandum, et sic de aliis vicibus. Alii autem negant, quia jejunium in secunda comestione fuit jam fractum, cum per secundam comestionem ablata fuerit forma jejunii consistens in unica refectione, unde jejunium amplius non persistit in sua forma substantiali, et proinde amplius non violatur. Verum probabilior est prima sententia, cui proinde adhaerendum.

Q. Num unica comestio ad jejunium requisita, dividi potest absque peccato.

R. Potest dividi, justa accedente causa. Hinc, si Parochus inter comedendum vocatur ad baptizandum puerum proxime moriturum, potest accedere ad illum baptizandum, et post Baptismum prandium resumere. Idem, servata proportione, dicendum de Mercatore, qui inter prandendum requiritur a Viatore, ut sibi vendat mercem. Idem etiam dic de aliis, habita ratione negotii, pro quo comestio interrumpitur: item temporis intermedii, loci, et intensionis illius, qui prandium interrumpit. Quod si quis sine rationabili causa comestionem interruperit, ita ut una hora inter unam, et aliam comestionem intercesserit jejunium fractum est, et graviter peccavit Jejunans. Collet.

Contra autem ille, qui consurgit e mensa ex aliqua justa causa, animo revertendi, et refectionem continuandi, quia non bene refectus, dummodo aliquod notabile tempus non intercesserit, jejunium non violat, si prandium resumat, quia censetur unica moralis refectio. Antoine.

Q. Quid si quis e mensa consurgat plene refectus vel cum animo non resumendi illa die prandium?

R. Frangit jejunium, si prandium resumit, quia tunc est diversa refectio, et cum prima moraliter non conjungatur secunda. Navarrus, Bonacina, aliique.

Q. Quid si quis die jejunii data opera prandium in mensa diu protrahat?

R. Frangit jejunium, quia diu protrahere comestionem est aequivalenter duplicem refectionem sumere. Antoine.

Q. Quid si quis die jejunii mane comedit, sed sine culpa; puta invincibiliter ignorans, vel non advertens esse diem jejunii?

R. Tenetur eo die abstinere ab alia refectione, si id fieri possit sine valde gravi suo incommodo, nam adhuc potest unicam observare comestionem illo die. Antoine.

Q. Num sumens electuaria die jejunii frangit jejunium?

R. Minime, quia haec non sunt ordinata ad refectionem, sed ad stomachi medelam, et ciborum digestionem: excipe si accipiantur in fraudem jejunii in magna quantitate per modum cibi. S. Thomas 2. 2. qu. 147. art. 6. ad 2.

Q. Num sumens vinum, vel aliquod fluidum die jejunii extra prandium, vel cocnulam, jejunium frangit?

R. Minime, nisi in fraudem jejunii sumat, quia lege jejunii Ecclesia

prohibet solum id, quod ex sua institutione est cibus, vel sumitur ad modum cibi, hoc est ad nutritionem, cum autem vinum non sit cibus, sed ex sua institutione potus, nempe sumatur, uti supponimus, in fraudem jejunii; hoc est ad nutriendum, et ad incommodum jejunii vitandum, hinc non videtur ex lege jejunii probibitum. Ita ex D. Thoma 2. 2. qu. 137. art. 6. Item dicas de aliis liquoribus, seu aquis artificialibus, theo, caffeo, etc. Excipe tamen illa, quae habent per se rationem cibi, ut potio lactea, jus, sorbetum, et similia, quae certe jejunium frangunt, si sumantur in notabili quantitate, cum ex se ad nutriendum ordinentur. Collet.

Q. Num potio cocholati frangit jejunium?

R. Magnum adest litigium inter DD. Verum probabilius dicendum est frangere jejunium, nisi parvitas materiae excuset a gravi peccato, quia cocholatum non ordinatur ex se, neque ex sumentium usu ad sitim sedendam, sed solum ad corpus nutriendum, et vires reficiendas, quare non habet rationem potus, sed cibi, adeoque extra tempus in notabili quantitate sumptum, licet aqua distractum, jejunium frangit. Quae sit parva cocholati quantitas, quae excuset a gravi fractione jejunii, nec etiam conveniunt DD. in definiendo. Communius tamen unam unciam aqua distractam assignant pro parvitate materiae, quae, justa accedente causa, excusat etiam a veniali.

Q. Num poma, mala citrea penones, uva, et alia hujusmodi frangunt jejunium si comedantur extra tempus prandii, vel coenulae?

R. Maxime, nisi parvitas materiae excuset; quia haec habent rationem cibi, et ordinata sunt ad corporis nutritionem. Et hoc verum est, etiamsi dentibus premantur, et trajecto in stomachum succo, exspuantur, quia cum succo etiam aliqua substantia, quae vere cibus est deglutitur. Salmant.

Q. Num ille, qui saepius in die jejunii aliquid parum comedit, frangit jejunium?

R. Maxime; quia illa plura modica coalescunt, et notabilem cibi materiam constituunt, ac saturitatem efficiunt, quae est contra finem jejunii, scilicet carnis macerationem. Patet ex Propositione 29. ab Alexandro VII. damnata (1).

Q. Quanam hora facienda est unica refectio?

R. Quidquid sit de primis Ecclesiae saeculis, in praesenti ex usu communi Fidelium facienda est refectio circa meridiem ita ut eam differre liceat, non autem anticipare. Anticipatio autem notabilis, puta unius horae, si sine causa fiat, non potest a culpa gravi excusari, ut apparet ex Cap. *Solent.* de consecr. distin. 1., et ex Concilio Rothomagensi anno 1502. et ex. D. Thoma in 4. dist. 15. qu. 3. art. 4. Dixi, *si sine causa fiat;* quia si ex aliqua rationabili causa, aut ex privilegio, vel consuetudine fiat anticipatio, nullum aderit peccatum. Antoine.

Q. Num die jejunii licita est coenula, seu collatio serotina?

R. Maxime, nam etsi jejunii ratio consistat in unica refectione, consuetudine tamen ab Ecclesia tolerata, et approbata introductum est, ut haec coenula sumatur, tum ut necessarius somnus capiatur, tum ne jejunantis vires deficiant. Ita S. Antoninus, Cajetanus, ceterique communiter.

(1) *In die jejunii, qui sepius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.*

Q. Quaenam quantitas in hac coenula licite sumi potest?

R. Modicissima quantitas sumenda est, ne coenula convertatur in coenam Hanc modicissimam quantitatem alii dicunt esse quartam partem coenae ordinariae cujusque. Alii cum Suario dicunt, esse octo uncias: Sed nec etiam haec regula potest esse satis probata; cum pro aliquibus quantitas octo unciarum cibi sufficiat etiam pro assueta coena, nisi dicere velis pro assueto prandio. Alii cum Cuniliati tres, vel quatuor uncias assignant de cibis non compositis, sed panis, pomorum, uvarum sive recentium, sive siccarum, ficuum, olearum, nucum, herbarum crudarum absque condimento, et aliarum hujusmodi rerum. Vide Cunil. de Jejun. pag. 398. tom. 1. Dicendum tamen est, quod haec modicissima quantitas taxanda erit juxta diversitatem complexionum, laborum, Regionum iis, qui jejunant (1).

Q. Quid dicendum de collatiuncula Vigiliae Nativitatis Domini?

R. Ubi consuetudo alicubi a Fidelibus introducta sit, et ab Ecclesia tolerata, coenula ampliari potest ad duplum ratione festivitatis. Et hoc observari potest, etiamsi pervigilium Nativitatis incidat in Sabbatum, et festum Nativitatis in feria secunda celebretur. Cunil.

Notant tamen hic Salmanticenses, quod si quis in Vigilia Nativitatis Domini ex justa causa meridie collatiunculam sumat, ut refectionem sero accipiat, non potest sumere illam majorem coenulae quantitatem, quae supe. rius notata est, sed debet coenulam debitam sumere, non secus ac ceteris jejunii diebus; quia consuetudine introducta est coenula solito major pro nocte Nativitatis, non autem in meridie.

Q. Si jejunans excedat in collatiuncula unciam, videtur graviter peccare?

R. Minime, quia parvitas materiae excusat. Excipe tamen si eodem die aliae parvae materiae sumtae fuerint, quia, cum materiae coalescentes materiam notabilem constituant, graviter peccat.

Q. Num licitum est ex hujusmodi cibis illam quantitatem coenulae debitam sumere, et aqua proportionata perfusam sale, et oleo conditam coquere, et pro refectiuncula accipere?

R. Minime, tum quia ignis concoctio plurimum mutat materiam subjectam, et alium ex ea cibum magis nutritivum facit, tum quia quantitas il-

(1) Melius est sententiam sequi aliorum communiter hodie acceptam, uti testantur *Castropal. Ronc. Salmant. Viva Bonac. Holzman, Tamb. Mazzotta* etc. quae omnibus indiscriminatim (etiam illis, qui parvo cibo indigent, ut etiam communiter dicunt) permittit quantitatem octo unciarum, et aliquid aliud (nempe duas uncias, quod est parva materia) ei, qui majori nutrimento opus habent.

Circa autem qualitatem ciborum, certum est permitti fructus, panem, herbas, et dulciaria: sed quaeritur 1. An permittuntur pisces? Multi AA. ut *Sporer, Marchant. Pasqu. Elbel, Jamb. Vivald*, et *Burghaber*, dicunt juxta hodiernam consuetudinem vesperi cibum sumi de piscibus etiam recentibus, et magnis, ut licet mane. Ceterum hisce partibus recepta est consuetudo comedendi pisciculos recentes, et ut dicunt *Viva*, et *Mazzotta*, cum *Bonac*. etiam licere sumere in modica quantitate (v. gr. duas, aut tres uncias) aliquid piscis grandioris. Idem confirmat *Milante*, qui testatur nunc temporis etiam Communitatibus Religiosis ministrari vespere pisciculos recentes in Quadragesima, et quoad majores sic scribit: *Attenta praesenti disciplina, sine ullo scrupulo posse etiam magnos pisces permitti existimo, cum debito moderamine. S. Ligorius homo apost. Tract. XII. Cap. 1. de Jejun. obligat. §. 16, et 17.*

la per coctionem, et aquae commixtionem augetur, et magis stomachum replet, et jejunii molestiam repellit.

Q. Num illi, quibus permissa est carnis comestio, vel lacticiniorum usua possunt eisdem vesci in refectiuncula?

R. Minime; quia cum sint multum nutritiva, longe recedunt ab intentione Ecclesiae, et a communi consuetudine, quia collatiuncula introducta est. Praeter quam quod ita statuitur in Encyclica Clementis XIII. supra citata. In ea enim habetur, dispensatos quoad carnes ad unicam tantum comestionem posse adhibere carnes, vel ea, quae ex carne trahunt originem. Quare excluduntur a refectiuncula ova, lacticinia cujuscumque generis, laridum, sagimen, et alia similia quomodolibet ex carne originem trahentia; et dispensati habendi sunt, quoad refectiunculam, et unicam refectionem eodem modo, ac si cum eis numquam fuisset dispensatum.

Q. Licitumne est collatiunculam circa meridiem capere, prandio ad vesperas dilato?

R. Minime, ita ut juxta plerosque peccatum veniale committitur, et ratio est, quia collatio serotina ex consuetudine introducta est contra jus commune, adeoque extendi non potest: extenderetur autem si cuique liberum esset collatiunculam accipere ad meridiem, refectione ad vesperas dilata. Layman. Excipe si aliqua notabilis causa intercesserit; quia tunc, quod non est licitum, necessitas licitum facit.

Q. Quandonam sola abstinentia a carnibus obligat?

R. Etsi antiquitus triduo Rogationum ante Ascensionis Domini festum, item feria quarta, et sexta, ac Sabbato cujusque hebdomadae, nec non toto Adventu tenebantur Fideles ad jejunium, temporibus tamen procedentibus jejunio abrogato, remansit sola obligatio abstinendi a carnibus ex consuetudine universali Ecclesiae feria sexta, et Sabbato. His ergo diebus, ceteris in desuetudinem habitis, tenentur Fideles a carnibus (*idem dic de adipe, et ex adipe extracta pinguedine ad condiendos cibos*) abstinere, et quidem sub gravi, ut patet ex Cap. *Quia dies*, de consecrat. dist. 5.

Q. Quomodo computandus est dies jejunii ecclesiastici?

R. A puncto mediae noctis antecedentis diei usque ad punctum mediae noctis diei sequentis. Jejunium enim observandum praecipitur uno integro die; dies autem non dicitur integer, nisi tali temporis spatio comprehendatur.

Q. Quinam tenentur praecepto jejunii ecclesiastici?

R. Tenentur tali praecepto omnes utriusque sexus Fideles, postquam compleverint vigesimum primum suae aetatis annum, uti patet ex Ecclesiae consuetudine, et ex unanimi Doctorum sententia, et ex doctrina D. Thomae. 2. 2. qu. 147. art. 1, quam sequuntur fere omnes Theologi.

Hinc apparet, quod etiam Haeretici jejunia ecclesiastica observare tenentur; quia per Baptismum Ecclesiam ingressi, Ecclesiae legis obnoxii sunt. Quare si haereticus haeresim ejurando, ad meliorem frugem reducatur, confiteri tenetur etiam ecclesiastici jejunii violationes. Collet.

Q. Fideles qui ratione aetatis non tenentur ad jejunium, teneturne abstinere a carnibus, aliisque cibis vetitis die jejunii, ac etiam feria sexta, et Sabbato?

R. Tenentur statim ac sunt doli capaces (quod communiter accidit cir-

ca septennium) et quidem sub gravi abstinere illis diebus a carnibus, aliisque cibis vetitis, quia legi Ecclesiae obnoxii facti sunt. Imo graviter peccant etiam illi, qui iis diebus hujusmodi cibos vetitos subministrant, quia cooperantur peccato gravi illorum. Ita Palaus, Sanchez.

Q. Num Religiosi professi teneantur ante vigesimum primum annum aetatis suae ad jejunia Ecclesiae, et Regulae?

R. Quoad jejunia Ecclesiae non tenentur, quia Lex Ecclesiastica eodem modo obligat Saeculares, ac Religiosos. Quoad jejunia vero Regulae, tenentur; quia ad illa se obligaverunt per votum obedientiae, quod etiam ante illam aetatem obligat.

Q. Quibus ex causis excusatur quis a jejunio?

R. Pluribus ex causis 1. Ratione impotentiae, laboris, pietatis, et dispensationis. Nota tamen quod si alicui ratione impotentiae, laboris, pietatis concedatur die jejunii plures refectiones, non proinde conceditur usus carnis. Hic enim carnis usus, ut legitime concedatur, requiritur morbus, vel infirmitas, atque judicium Medici, et Confessarii, ut in sua Constitutione statuit Benedictus XIV.

In Dioecesi Neapolitana, ex consuetudine, tempore Quadragesimae requiritur judicium Parochi.

Q. Quinam excusantur ratione impotentiae?

R. Excusantur Infirmi, Convalescentes, Valetudinarii, cum isti ordinarie loquendo non habeant satis firmas vires ad jejunium servandum 2. Excusantur qui vacuo stomacho vertiginem capitis patiuntur, nisi aliqua materiae parvitate subvenire possint 3. Mulieres praegnantes, vel lactentes, quia indigent frequenti, ac plurimo cibo, quae tamen a carnibus abstinere tenentur, nisi eis ex alia causa sint permissae, nisi adeo validae, et robustae sint, ut sustinere valeant jejunium. Cuniliati 4. Pauperes, qui ita indigent, ut non possint una vice unicam, et sufficientem refectionem sumere. Quinimo isti, si alium cibum sufficientem habere non possunt, etiam carnes comedere valent. Advertant autem Confessarii, cum isti pauperes accedant ad confitendum, num revera res ita se habeat; nam experimento scimus, plerumque hosce pauperes mentiri.

Q. Quidnam dicendum de Senibus?

R. Senes etiam a jejunio excusantur, quando adeo debiles sunt, ut frequenti indigeant cibo ad reficiendas vires; neque valent totum sibi convenientem cibum unica vice sumere; quia ob caloris defectum non ita faciliter fieret digestio in stomacho. Qua autem aetate habetur hujusmodi senectus debilis, quae valeat a jejunio excusare, non liquet apud DD. Alii indiscriminatim sentiunt viris, ac mulieribus advenire sexagesimo aetatis anno. Alii cum Layman, et D. Antonino docens non posse definiri, quando haec adveniat senectus, sed considerandae serio sunt vires cujusque, ut videantur, an valeant, nec ne jejunare, quod definiendum erit a prudenti, et probo Confessario. Ad summum hoc non potest pro arbitrio definiri (1)?

(1) Excusantur senes sexagenarii. Sed hic dubitatur an hujusmodi senes exempti sint, etiamsi sint viribus validi? Negant *Bonac. Laym. Filiuc. etc.* sed multi probabiliter affirmant, ut *Sanch. Castrop. Azor. Ronc. Holzm. Salm. Mazzotta, Elbel, Viva*, et alii, tum quia haec est consuetudo universalis, tum quia esset nimis scrupolosum ei, cui discutiendum esset, an ipse sit, vel ne satis robustus ad

Q. Quinam a jejunio excusantur ratione laboris corporalis?

R. Omnes illi, quorum labor incompatibilis est cum jejunio: hujusmodi sunt Agricolae, Fabri lignarii, Ferrarii, et alii, qui artem exercent valde laboriosam sibi, vel aliis utilem, vel necessariam pro majori diei parte. Dixi, *si ars laboriosa, utilis sit, vel necessaria,* hinc qui die jejunii venationi vacare velit, ludo, vel aliis hujusmodi operibus ad voluptatem capiendam, a jejunio non excusatur. Collet.

In omnibus tamen habenda est regula illa, quod jejunium est servandum in eo, in quo possumus, cum sit virtualiter multiplex.

Q. Num ille, qui iter agit, liberatur a jejunio?

R. Maxime, si iter faciat pedester tota die, vel per majorem partem diei, quia est labor magnopere debilitans, dummodo tamen hoc iter ex aliqua justa causa suscipiatur die jejunii, et differri non possit. Hinc a jejunio excusantur Cursores, Muliones, Agasones, aliique, qui pedester bestias ducunt tota die, vel per majorem diei partem, nisi adeo viribus robusti sint, ut sustinere valeant jejunium, nam hae exemptiones oppositae sunt doctrinae priscorum Patrum. Legatur S. Basilius homil. 1. de Jejunio.

Q. Quid si quis iter faciat equitando?

R. Tunc excusatur, quando ut ait Layman, pluribus antecedentibus diebus tale iter utile, vel necessarium fecerit, et die jejunii iter prosequi debeat, quia si tunc ita nimis defatigatus erit, ut nequeat sustinere jejunium, tunc ex jure naturae excusatur. Si vero iter diei unius agat, et quidem jejunii tempore, non excusatur; quia cum tali labore compatibile est jejunium. Quod patet ex Propositione 21. ab Alexandro VII. damnata (1).

Q. Num Sartores pannorum, Barbitonsores, Pictores, Scribae, Secretarii, Jurisperiti, Judices, et alii Officiales hujusmodi, qui in Republica corporaliter laborant, excusantur a jejunio?

R. Minime, quia labor istorum non est tantus, ut cum jejunio incompatibilis sit. Hinc Propositio 30. ab Alexandro VII. recte damnata fuit (2).

Q. Quinam excusantur a jejunio ratione pietatis?

R. Omnes illi, qui exercent opera pietatis, charitatis, misericordiae, ju-

jejunium sustinendum, tum etiam, quia (et haec est potior ratio) hujusmodi senes ob defectum caloris naturalis nequeunt semel alimentum sufficiens sumere, egentque cibo frequentiori, et licet nonnulli in tali aetate robusti videantur; eorum tamen robur est de facili illusivum, et inconstans, cum negari non possit horum vires in dies deficere, et in interitum prolabi, adeo ut si in morbum incidunt, difficulter convalescunt perfecte. De qua re scripsit Galenus senibus simili ratione ac iis, qui ex morbo convalescunt, victum esse curandum. Et ad excusandum sexagenarium a jejunio sufficit annum LX. esse incoeptum, ut dicunt *Castrop., Angles, Sa, Naldo, Viva, Busemb. Mazzotta etc.*, quia in favorabilibus annus incoeptus habetur pro completo. *S. Ligorius homo apost. Tract. XII. de praecept. Eccl. punct. II. de causis excusant. a jejun.* § 25.

(1) *Excusantur absolute a jejunii praecepto omnes illi, qui iter agant equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, et etiamsi iter unius diei conficiant.*

(2) *Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit incompatibilis cum jejunio.* Haec propositio merito damnata fuit, quia erat nimis generalis, et juxta eam excusaretur quicumque laborat, sive ex officio, sive animi gratia, sive labor sit compatibilis cum jejunio, sive incompatibilis, quod falsum est. Ceterum et hodie nemo est

stitiae, et talia opera sunt cum jejunio incompatibilia. Hinc excusantur Valetudinarii, qui die, noctuque infirmis adsistunt vel in Nosocomiis, vel monasteriis, et non valent servare jejunium, cum istud non debet esse impeditivum majoris boni.

Lectores autem, et Ludi magistri non excusantur, nam non corpore, sed mente laborant: si non valent, petant dispensationem: Concionatores autem etiam quadragesimale non excusantur a lege jejunii ex munere, quod exercent. Si vero ne hi quidem valent, petant dispensationem (1).

Q. Quinam possunt dispensare in lege jejunii?

R. 1. Summus Pontifex, cum ipse sit legis jejunii universalis moderator 2. Episcopus pro sua Dioecesi, modo justa adveniat causa, et ad Summum Pontificem non pateat accessus 3. Episcopo deficiente, Parochus pro suis ovibus, si necessitas compellat, et ad Episcopum nequit haberi recursus 4. Praelatus Regularis pro suis subditis.

qai dubitet, quin omnes artes, quae sine nimia corporis defatigatione exerceri non possunt, excusent a jejunio.

Hinc ab illo excusantur fossores, agricolae, lapicidae, figuli, textores lanarii, fullones, bajuli, aurigae, nautae, remigantes, fabrilignarii, ferrarii, murarii, tabellarii, sutores, furnarii, coqui, qui multas dapes multis personis parant, si fere per diem laborant, typographi praelum versantes. Servi, qui occupantur in laboribus majoribus, non autem famulae, quae nent, vel in aliquem levem laborem incumbunt. Mercium venditoros, qui Urbem percursant, Ecclesias ornantes, scalas huc illuc circumferendo. Sed hi omnes intelliguntur tunc excusari, cum majorem diei partem consumant in hujusmodi laboribus.

Barbitonsores ordinarie non excusantur, nisi quia aliqui (ut dicunt communiter *Sanchez*, *Less. Castrop. Concina*, *Mazzotta etc.* ob laboris quantitatem, aut ob debilitatem complexionis jejunando suam artem exercere non possent. Item dicimus de sartoribus cum *Roncag*, *Concina*, *et Salmant.* Idem quoque dicimus de Notariis, Scriptoribus, Pictoribus, et horologiorum Artificibus, sed de illis nimirum, qui horologia parva conficiunt, nam pro magnis labore magno opus est. Alii vero absolute excusant molitores, argentarios, et sculptores. Sed pro istis pariter expendendae sunt circumstantiae, prae oculis semper habendo illam regulam communiter acceptam, quod qui artem exercere nequit (licet de se non laboriosam) sine magno incommodo, spectata sua debilitate, aut alia particulari causa, non tenetur ad jejunium. *S. Ligorius loc. cit.* § *26*, *et 27.*

(1) Excusat pietas, cum v. g. deberet quis se in aliquod pium opus se applicare, quod esset majoris meriti, quam jejunium. Et hoc admittunt *Sanch Ron. Armilla*, *Gabr. Salm. etc.* (contra alios), licet opus non exerceretur ex officio, aut obedientia, sed ex mera devotione, modo in aliud tempus differri non posset. Hinc excusant DD. 1. Eos, qui magno labore assistunt pluribus infirmis. *Castrop, Holzm; Salmant. etc.* 2. Eos, qui peregrinationem aggressi sunt, quae valde conferret gloriae Dei, et populi communi aedificationi, aut propriae animae magno profectui, ut *Sanch. Castrop. Silvest. Holzm. Salm.* cum *S. Thoma (2. 2. q. 147. a. 4. ad 3.)*, qui sic ait: *Si peregrinatio, aut operis labor commode differri possit, aut diminui absque detrimento corporalis salutis, non sunt Ecclesiae jejunia praetermittenda.* Sed si peregrinatio jam incoepta esset, et interim aliqua dies jejunii accideret, non debet ideo interrumpi. *Laym. Abul. Sanch. Salm. Sporer etc.* 3. Concionatores, qui in Quadragesima quotidie concionantur, ratione studii, et corporis agitatione, et praecipue hoc valeret pro Missionariis, qui vehementiori agitatione praedicant. Ita dicunt communiter *Wigandt*, *Cajet*, *Nav. Tolet; Salmant. etc.* Ceterum ex me dico, quod sacri Oratores, qui potius exemplis, quam verbis praedicare debent, pro viribus efficere deberent jejunium observare. *S. Ligorius loc. cit.* § *34.*

Hic tamen advertendum: 1. Quod pro hujusmodi dispensatione semper requiritur causa, ne dispensatio videatur scandalosa. Causa autem erit major, vel minor pro qualitate dispensationis. Hinc si Episcopus pro tota Dioecesi, vel Parochus pro tota sua Paroecia dispensare debet in jejunio, debet habere majorem causam, quam si dispensaret pro determinata persona; ita etiam Dispensator majorem debet habere causam, si dispenset pro comestione carnis, et lacticiniorum, quam si dispenset pro solis lacticiniis.

2. Cui concessa est facultas comedendi ova, et lacticinia die jejunii, et utendi larido, vel sagimine, non intelligitur data facultas comedendi carnes: Dispensatio enim non plus valet, quam sonat; quoniam, cum sit odiosa, stricte est interpretanda.

3. Si procedente jejunii tempore, v. g. Quadragesimae, cessat causa dispensationis, cessat etiam dispensatio, et proinde cessat obtenta per dispensationem facultas; nam jejunia dividua sunt, et jejunii onus est adnexum diei; et hinc est etiam, quod si quis toto Quadragesimae tempore jejunare non potest, potest autem jejunare aliquo die, eo die jejunare tenetur. Collet.

APPENDIX I.

DECLARATIONES
AB EMINENTISSIMO JOSEPHO CAPYCIO ZUROLO
Editae, olim Bullae S. Cruciatae Commissario Apostolico in Regno Neapolitano (1).

Q. Utrum, qui sunt dispensati a jejunio ecclesiastico aut ratione aetatis, aut ratione laboris, possint virtute Bullae qualibet hora diei adhibere lacticinia, ova, laridum?

Responsum est affirmative hisce verbis: illi nempe qui ecclesiastici jejunii lege non tenentur, aut propter aetatem aut ratione laboris, possunt virtute Bullae qualibet hora diei adhibere lacticinia, ova, laridum. Dominicis autem diebus hoc idem permittitur etiam illis, qui adstricti sunt ad legem jejunii.

Q. Sacerdotes saeculares, qui acceperint Bullam, et aetatem compleverint sexagesimi anni, possintne adhibere lacticinia etc. etiam per hebdomadam majorem?

Resp. Tutius esse sexagenarios Sacerdotes sese conformare omnibus, quae in eadem Bulla praescribuntur.

Q. Num virtute Bullae Cruciatae absque alia facultate possit absolvere publicus Clerici percussor?

Resp. In solo foro interno potest absolvi virtute Bullae Cruc. publicus Clerici percussor. Ideo tenetur ligatus censura se praesentare Superiori, et ab ipso in foro externo absolvi ad evitandum scandalum.

Q. Num possit virtute Bullae absolvi Titius occultissime interfector cujusdam Sacerdotis?

(1) Illa omnia, quae heic recensere curavimus, ex aurea dissertatione hausimus Cajetani Vella, olim Metrop. Ecclesiae Neap. Canonici in Bullam S. Cruciatae *tom. 2. dub. 12. et seq.*

Resp. Posse absolvi in foro conscientiae, dummodo parti laesae satisfecerit, sin minus, ad satisfaciendum, praestet cautionem sufficientem fidejussoriam, pignoratitiam, aut saltem juratoriam.

Q. Num Moniales professae, quae extra claustra morantur, vel in propriis aedibus, possint uti privilegio Bullae quoad lacticinia etc. ante aetatem sexagesimi anni, quia in propriis suorum familiis plerumque, immo saepius deficiunt commoditates, aut opportunitates ad quadragesimalem observantiam retinendam ?

R. Non posse ante aetatem sexagesimi anni (1).

Q. Num ille, qui Bullam acceperit, durante anno Bullae nunquam usus fuit facultate eligendi Confessarium, ut a reservatis absolvatur, possit annis sequentibus sine acceptione Bullae illius anni, absolvi a reservatis ?

R. Minime, etenim privilegium Bullae Cruciatae nonnisi ad annum solum duraturum conceditur.

Q. Num Moniales Professae possint inscio, atque inconsulto suo Ordinario eligere sibi in Confessarium aliquem approbatum a suo Ordinario, ut ab eodem absolvantur a casibus Pontifici reservatis ?

R. Maxime, dummodo sit iste Confessarius ab Ordinario approbatus ad audiendas confessiones Monialium juxta praescriptum Apostolicarum Constitutionum.

ALIAE DECLARATIONES AB EMINENTISSIMO ALOYSIO RUFFO LATAE DIE XIV. FEBR. AN. 1823.

Q. 1. Se si può godere il privilegio di sciegliersi un Confessore approvato per farsi assolvere da' casi Papali due volte in tutto il corso della vita durante l' anno della Bolla presa, o anche dopo spirato questo in un altro anno de' seguenti senza prendere nuova Bolla ?

Sua Eminenza ha dichiarato, che dura la grazia durante l' anno della Bolla.

2. *S' essendosi presa da Tizio per più anni la Bolla senza essergli bisognato di farsi assolvere da' Casi Papali, o farsi permutare i voti semplici, possa in un solo anno valersene tante due volte, quanti sono stati gli anni, ne' quali si ha preso la Bolla ?*

Sua Eminenza ha risposto, che spirato l' anno della Bolla, spirano i privilegii.

3. *Se chi possiede pochi fondi, e vive anche colla sua industria, e fatica possa prendersi una sola Bolla comune da valere per se, e tutta la famiglia di quattro, sei, otto figli ?*

Sua Eminenza in Marzo 1816 dichiarò doversi rimettere al giudizio prudente del Confessore. Ultimamente poi per togliere l' imbarazzo agli stessi Confessori ha dichiarato, che il possidente ricco debba prendere tante Bolle di grane 26 1/4 l' una, quanti sono gl' individui della famiglia; il possidente poi non ricco, e che vive anche di soldo, debba prendere una Bolla

(1) Ex Rescripto Summi Pontificis Leonis XIV. sub die XIV. Aug. an. 1827. ad Regulares quoque hoc privilegium extendi posse cautum.

di grana 25 1/4 per se, un' altra simile per sua moglie, se ha portato fondi di dote, e tante Bolle minori quanti sono i figli.

4. *Se il Capo di famiglia non possidente possa prendere una sola Bolla comune per se, e per tutta la famiglia?*

Sua Eminenza ha distinto il caso, cioè : se il solo capo di Famiglia non possidente lucri pel mantenimento dell' intera famiglia, e gli altri niente lucrano, può prendere una sola Bolla comune per se, e per tutta la famiglia; ma se alcuno individuo di essa anche lucri, e vivano Insieme, colui che lucra, deve prendere la bolla minore per se, ed il capo la prenderà comune per se, e pel rimanente della famiglia.

5. *Se le Religiose Dame debbono prendere la Bolla di grana 52 1/2, o quella di grana 26 1/4, o in fine quella di grana 13 come povere, avendone il voto?*

Sua Eminenza ha deciso, che le Religiose nobili, che hanno il livello particolare debbono prendere la Bolla di grana 26 1/4 per ciascuna ; quelle poi, che non hanno affatto livello, e ricevono tutto dalla Comunità, si possono considerare come povere, e prendere la Bolla minore.

6. *Se le famiglie nobili debbono prendere tante Bolle di grana 52 1/2, quanti sono gl' individui della famiglia?*

Sua Eminenza ha dichiarato, che le famiglie ricche, e nobili prendano tante Bolle di grana 52 1/2, quanti sono gl' individui, che la compongono. Le famiglie poi nobili, che si trovano in anguste circostanze, possono prendere una pel capo di casa titolato, un' altra per la moglie, che ha portati fondi dotali, e la terza per tutti i figli, purchè questi vivono *de communi mensa*; e tutte tre le dette Bolle siano di grana 52 1/2 l' una; se poi i detti figli hanno avuto il loro assegnamento, o alcuno di essi l' abbia avuto, allora dovrà costui prendersi la sua Bolla di grana 52 1/2 particolarmente per se.

DECLARATIONES NOVISSIMAE AB EMINENTISSIMO PHILIPPO CARACCIOLO EDITAE ANNO 1836.

1.° I Nobili, ed i Prelati anche minori daranno la limosina di grana 52 1/2. Le famiglie nobili, e ricche prendano la Bolla di gr. 52 1/2 per ciascuno individuo. Se sono in anguste circostanze, se ne prenda una pel capo di casa titolato, un'altra per la moglie, che ha data in dote fondi, sieno rustici, sieno urbani, o capitali, o partite di annue entrate, la terza per l'intera famiglia : purchè vivano *de communi mensa*. Se poi i figli, o alcuno di essi abbia ricevuto assegnamento particolare, debba prendere la stessa Bolla di gr. 52 1/2 per se particolarmente.

2.° Le Religiose nobili, che hanno livello particolare, ancorchè abbiano la sola mensa comune a peso della comunità, prendano per ciascuna di esse la Bolla di gr. 26 1/4. Chi poi riceve tutto dalla comunità prenda quella di gr. 13, purchè però la stessa comunità non se ne interessi. Lo stesso debba valere pe' Religiosi professi non nobili dell' uno, e l' altro sesso. I Religiosi laici prenderanno la Bolla di grana 13: a quei Religiosi però dell' uno, e l' altro sesso, ch' è dovuta la Bolla di grana 26 1/4 si distribuirà la Bolla *Sacerdote*.

3. I benestanti, seu possidenti ricchi, prendano la Bolla di gr. 26 1/4,

una per se, ed una per la moglie, e tante altre, quanti sono i figli, di maniera che, se tutta la famiglia fosse di otto, o dieci individui, otto, o dieci Bolle di gr. 26 1/4, debbano prendere. Pe' ricchi, ancorchè non possidenti, debba valere la stessa regola; se i figli però fossero più di quattro, e di piccola età, basti per essi prendere una Bolla di gr. 13 per ciascuno; purchè però alcuno di essi non lucri, poichè in tal caso costui debba prendere per se la bolla di gr. 26 1/4. Pe' possidenti non ricchi si prenda una Bolla di gr. 26 1/4 per se, ed un' altra per l' intera famiglia.

4. I professori, i negozianti, gl' impiegati, gli Ecclesiastici, tutti in somma, che non vivono alla giornata, prenderanno la Bolla di gr. 26 1/4 Però se solo il capo di famiglia lucri, e nessun' altro della famiglia, o pure lucrasse uno de' figli, e questo lucro servisse unito a quello del capo per sostentamento dell' intera famiglia, basti prendere una Bolla di gr. 26 1/4 per tutti, ancorchè per accidente alcuno de' figli fosse fuori casa a tempo breve, pure gode della medesima Bolla.

5.° S' è Sacerdote quegli, ch' è alla testa di una famiglia, che alimenta a peso suo, oltre la Bolla *Sacerdote*, che deve prender per se, ne prenda un' altra di gr. 26 1/4 per detta famiglia.

6.° Chiunque vive d' industria giornaliera, come l' uomo di campagna, di marina, il venditore di piazza, il garzone artista, il servidore di livrea, il facchino, ed ogni altro, che non è in stato di prendere la Bolla di grana 26 1/4, prenderà quella di gr. 13. Se alcuno però di essi abbia famiglia, prenda per tutti una Bolla di gr. 26 1/4; ancorchè i figli lucrassero in comune col padre: purchè alcuno di essi non vivesse con economia separata, poichè in tal caso dovrebbe regolarsi, come si è detto di sopra. Nel caso poi, che solo il capo di famiglia lucrasse, ed il lucro appena fosse sufficiente pel sostentamento della famiglia, basti prendere per tutti una sola Bolla di gr. 13; giacchè in tanta angustia è meglio prender questa, che non prenderne alcuna affatto.

7.° Per la gente di servizio prenda il padrone tante Bolle di gr. 13, quanti essi sono, purchè convivano con esso; da valere durante il loro servizio, in modo che, se escano dal servizio, valga per chi entra in loro vece, purchè però il padrone non dasse a ciascuno di essi un salario mensile sufficiente a provvedersi a proprie spese di detta Bolla.

Occorrendo dubbio o nell' esposte classificazioni, o in altro qualunque caso, restino ampiamente facoltati gli Ordinarii dei luoghi a decidere in favore dei loro Diocesani secondo le regole di Cristiana prudenza per la tranquillità delle coscienze de' Fedeli. Estendendosi tale facoltà anche ai Parrochi in favore dei loro Figliani, quanto il caso non patisse dilazione, e non offrisse facile l' accesso all' Ordinario: non esclusi i Parrochi di questa Città di Napoli.

APPENDIX II.

RECENTIORA S. CONGREGATIONIS RESPONSA QUAE JEJUNIUM RESPICIUNT.

I. Ad quaesit. Se nei giorni di digiuno possa invertirsi il tempo del pranzo prendendosi la serotina refezione tra l'ora X. e XI. del mattino, e differendosi il pranzo medesimo alla IV., o V. ora vespertina ?

R. Sacra Poenitentiaria (die X. Jan. 1834.) respondendum censuit, si inversionis supradictae rationabilis aliqua extat causa, Poenitentes, qui hoc more utuntur non esse inquietandos.

II. Se i padri di famiglia, quando nella stessa casa si trovi a stare una persona, a cui sia stato concesso di mangiar carne, possono stendere questa concessione indistintamente a tutti gl' individui di questa famiglia:

Sacra Poenitentiaria respondendum censuit, infirmitatem, et aliud quodcumque rationabile impedimentum de utriusque medici consilio, non vero gulam, avaritiam, sive generatim expensarum compendium eximere posse a praecepto abstinentiae in diebus esurialibus.

III. Se in quaresima, quando il capo di famiglia ebbe permissione di mangiar carne, e ch' egli non possa, o non voglia imbandir due desinari, uno di carni, l'altro di magro, i figliuoli di famiglia e le altre persone addette ai suoi servigi possono anch' esse mangiar carne?

Sacra Poenitentiaria (die XVI. Jan. 1843.) respondendum censuit, posse personis, quae sunt in potestate patris familias, cui facta est legitima facultas edendi carnes, permitti uti cibis patri familias indultis, adjecta conditione de non permiscendis licitis, atque interdictis epulis, et de unica comestione in die iis, qui jejunare tenentur.

IV. Un confessore domanda a Vostra Santità, se per le persone che hanno ottenuta la permissione di mangiar carne nei Venerdì, e Sabbati dell'anno, ne' quali non vi è obligazione di digiunare, la mescolanza di vivande sia permessa, non ostante la risposta data da Benedetto XIV. all' Arcivescovo di Saragozza per mezzo della Segreteria dei memoriali il 5. Gennajo 1755?

Sacra Poenitentiaria (die XV. Feb. 1834.) proposito dubio diligenter perpenso, factaque relatione Sanctissimo Domino Gregorio XVI; de ipsius Sanctitatis suae mandato respondet, permitti.

V. Se ne' giorni di digiuno, avendo il permesso de' latticinii sia interdetta la promiscuità delle carni, e pesci a colui, che per infirmità possa far uso delle carni?

Sacra Poenitentiaria (die VIII. Jan. 1834.) respondit affirmative, nempe non licere ejusdem promiscuitatem.

VI. Se nella proibizione della promiscuità delle carni, e pesci vengano compresi i salumi, cioè alici, mosciame, aringhe, tarantello, caviale, ovvero possano gli stessi adoperarsi per condimento di altra vivanda, ?

Sacra Poenitentiaria (die XVI. Jan. 1843.) respondet pisces salo siccatos, vetari miscere cum carnibus, quoties carnis, et piscium mixtio vetita sit.

VIII. Se ne' giorni di digiuno colui, che ha la licenza di mangiar carni possa far uso benanche di ostriche, telline, patelle, cànolichi, cappe, granchi impropriamente detti *frutti di mare,* (testacea marina), e volgarmente considerati tra' pesci?

Sacra Poenitentiaria (die XVI. Jan. 1843.) respondit: Testacea marina quae improprie fructus maris dicuntur, sed vulgo pisces censentur, vetari miscere cum carnibus, quoties carnis et piscium mixtio vetita est.

VIII. Se le persone, a cui è stata concessa la dispensa per riguardo alla qualità delle vivande, possono ne' giorni di digiuno, per bene della lor salute, usar della sola minestra in brodo, e pel resto far magro, a fin di mantenere quanto si può la legge dell' astinenza?

Sacra Poenitentiaria (die VIII. Feb. 1828) attente consideratis expositis respondet: affirmative.

IX. Coloro, che o per età, o per fatiche laboriose non sono obligati al digiuno, ma possono mangiare più di una volta al dì, qualora per la bolla della Crociata, o per indulto generale siano dispensati a mangiar carni, o latticinii, potranno mangiar carni, e latticinj tutte le volte, che nel corso della giornata hanno bisogno di mangiare? E ciò stesso possono similmente gli obligati *ad unicam comestionem* ne' giorni di Domenica di Quaresima?

Sacra Poenitentiaria de mandato fel. record. Pii Pp. VIII. respondet fideles, qui ratione aetatis, vel laboris jejunare non tenentur, licite posse in Quadragesima, cum indultum concessum est omnibus diebus indulto comprehensis, vesci carnibus, aut lacticiniis per idem indultum permissis quoties per diem edunt. Dat. Rom in S. P. die XIV. Januar. 1834.

X. Quando per la Crociata, o per altro motivo si concede l' indulto per lo strutto a solo titolo di condimento si può questo usare sotto talo rapporto nella refezione della sera in giornate di digiuno v. g. frigendo con esso qualche pesce?

Sacra Poenitentiaria de expresso S. M. Pp. Leonis XII. oraculo respondet quod ii, qui ad jejunium tenentur, licite uti possunt in serotina etiam refectione condimentis in indulto permissis, quia illa vi indulti, olei locum tenent, dummodo in indulto non sit posita restrictio, quod ea condimenta adhiberi possint in unica comestione Dat. Rom. in S. P. die 16. Januar. 1834. E. Card. De Gregorio M. P.

Tandem proposito dubio ad eamdem S. C. an genuina esset haec Leonis XII. declaratio?

Sacra Poenitentiaria respondit die 28 Martii 1836. Declarationem, de qua in casu vere existere, eamque eos respicere, quibus ob olei caritatem Sanctitas sua laridi, et sagiminis usum condimentorum loco permittit. Quoad eos vero, qui gratioso Cruciatae diplomate gaudent, eadem Sacra Poenitentiaria respondet cum PP. Bened. XVI (in Encyclica ad Archiep. Compost.) illius tenorem stricte, et considerate perpendant, ex ejusque sententia se gerant. Caveant autem, ne inani quapiam excusatione sese solutos esse arbitrentur praescriptis ibi legibus.

CAPUT III.

De quarto, et quinto Ecclesiae Praecepto

Q. Quid quartum Ecclesiae praeceptum jubet?

R. Jubet, ut quilibet utriusque sexus Fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, singulis annis, saltem semel solus omnia sua peccata tum interna, tum externa confiteatur proprio Sacerdoti, scilicet Episcopo, vel Parocho, vel alteri Sacerdoti, seu Confessario de alterutrius licentia, saltem praesumpta. Sic ex Concilio generali Lateranensi IV. Can. 21. *Omnis utriusque sexus Fidelis*, et ex Concilio Tridentino sess. 14 can. 8. Antoine.

Q. Hoc praeceptum estne simpliciter Ecclesiasticum?

R. Minime, cum quoad suam substantiam Divinum sit, et Ecclesiasticum quoad frequentiam, ejusque determinationem; quatenus praescribit Eccle-

sia Confessionem Sacramentalem cuivis Fideli quotannis faciendam, postquam ad discretionis aetatem pervenerit, uti declaravit Tridentinum sessione 16. cap. 5. Concina.

Q. Hoc praecepto tenenturne Haeretici, aliique infideles baptizati?

R. Maxime, quia sicuti ceteris Ecclesiae legibus tenentur isti, utpote qui Ecclesiam ingressi per Baptismum, Ecclesiae legibus obnoxii facti sunt, ita et legi annuae Sacramentalis Confessionis, neque vox *Fidelis*, quae legitur in citat. Canone Concilii Lateranensis obstare debet, cum ibi vox *Fidelis*, ex communi Doctorum sensu, idem sonat, ac baptizatus.

Nota tamen, quod Haeretici mediate hoc praecepto tenentur, quatenus adstringuntur per abjurationem, et sui conversionem Ecclesiae reconciliari, et ita hoc praeceptum adimplere.

Q. Quandonam Fidelis dicitur ad annos discretionis pervenisse?

R. Illa aetate, qua eo ingenii gradu, ac rationis discretione praeditus est, et bonum, et malum morale dignoscat, uti si v. g. apprehendat mendacium esse malum, aut de impuris quibusdam actionibus illi aetati congruentibus erubescat, vel si in ejus mentem dolus cadat; ita ex Catechismo Romano part. 2. sect 44. de Sacramento Poenit. Collet, Concina.

Q. Quomodo computatur annus, intra quem saltem semel Fidelis confiteri tenetur?

R. Juxta aliquos computatur hic annus a prima die Januarii ad ultimum usque diem Decembris inclusive; juxta alios autem computatur a Paschate Resurrectionis ad aliud Pascha. Concina.

Q. Qui venialia peccata tantum commisit hoc anno, teneturne hoc praecepto annuae Confessionis?

R. Litigium est inter Doctores. Aliqui enim dicunt, quod non teneatur, quia peccata venialia non sunt materia necessaria praecepti Confessionis, prout hoc praeceptum Divinum est: ergo nec etiam prout hoc praeceptum est Ecclesiasticum cum hoc a Divino dependeat. Alii autem cum D. Thoma in 4. dist. 17 quaest 3. art. 1. asserunt quod ex vi Sacramenti non tenetur aliquis venialia confiteri; sed tenetur ex Constitutione Ecclesiae, quando non habet alia, quae confiteatur.

Et haec secunda sententia nobis arridet, quia Concilium Lateranense suo Canone omnes utriusque sexus Fideles complectitur, neque distinguit eos, qui mortalia habent ab iis, qui solum venialibus premuntur; ubi ergo lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Quare, qui venialia tantum habet, ad adimplendum Ecclesiae praeceptum, et saltem ad scandalum vitandum, tenetur se praesentare Confessario, et confiteri, se conscientia peccati mortalis non urgeri, et hoc pro sua confessione valebit. Ita D. Thomas loc. cit. Collet, Concina, Antoine.

Q. Num per confessionem voluntarie nullam, sive sacrilegam satisfacit Fidelis huic praecepto?

R. Minime, quia Ecclesia praecipit Confessionem Sacramentalem, qua remittantur peccata, et fidelis cum Deo reconcilietur. Hoc autem non fit per confessionem voluntarie nullam, sive sacrilegam: unde jure Alexander VII. hanc 14. damnavit Propositionem (1),

(1) *Qui facit confessionem voluntarie nullam satisfacit praecepto Ecclesiae.*

Q. Num tenetur adhuc adimplere hoc praeceptum ille, qui anno elapso non confessus est, sive hoc praeceptum non adimplevit?

R. Maxime, quia annus non assignatur uti terminus ad finiendam obligationem, sed uti spatium, infra quod obligatio illa executioni est demandanda; ideoque designatio anni est uti stimulus ad sollicitandam adimpletionem juris Divini, non autem ad eam finiendam. Quare si quis anno elapso non est confessus, tenetur hoc anno quam primum confiteri, et si negligat, peccat quidem, et toties, quoties advertit, vel advertere potest, se teneri ex praecepto Ecclesiae ad confitenda peccata sua proprio Sacerdoti, et cum possit, non confitetur: et ratio est, quia toties voluntarie legem Ecclesiae transgreditur. Collet, Antoine.

Q. Quibus ex causis potest excusari Fidelis ab adimpletione hujus praecepti?

R. Duplici ex causa 1. Ex impotentia physica, quando nempe Confessarius haberi nullatenus potest, aut si haberi potest, Poenitens ratione, vel sensibus est destitutus 2. Ex impotentia morali, quando scilicet confessio fieri non potest, nisi cum maxima difficultate itineris, vel cum gravi periculo honoris, vitae, fortunae; et ratio est, quia lex Ecclesiastica non obligat cum tanto incommodo. Concina.

Q. Num Fidelis pro adimpletione hujus praecepti tenetur per Interpretem confiteri, si idioma Confessarii ignoret?

R. Minime, si sermo sit de praecepto hoc utpote Ecclesiastico, quia Ecclesia non intendit ipsum obligare ad subeundum tantum incommodum; unde in ipso Lateranensis Concilii Canone nuper citato, habetur: Omnis Fidelis teneatur solus confiteri peccata sua proprio Sacerdoti, unde ly *solus* interpretem excludit.

Si autem hoc praeceptum, utpote Divinum consideretur, litigant DD., an Fidelis teneatur confiteri per Interpretem, cum nesciat idioma Confessarii. Alii enim asserunt, teneri solum adhibere Interpretem in periculo probabili mortis, ne exeat ex hac vita non confessus peccata sua, et praeceptum Divinum violet. Alii vero cum D. Thoma in supplemento q. 9. art. 3. ad 2. indistincte asserunt, teneri tum in periculo, tum extra periculum mortis confiteri per Interpretem; quia majus est damnum spirituale, quod subit, nisi confiteatur, quam damnum temporale, quod contrahit, confitendo per Interpretem. Damnum enim spirituale est periculum damnationis aeternae, ac subtractio tot spiritualium bonorum. Temporale vero est periculum infamiae subeundae apud Interpretem. At in concursu duorum malorum minus semper est eligendum; ergo etc. Num autem per Interpretem omnia, et singula peccata debeat iste Poenitens confiteri, discutietur in Tractatu de Sacramento Poenitentiae. Concina.

Q. Quid si Fidelis sit mutus, vel non adsit Confessarius, cui confiteatur, nisi surdus; num Fidelis teneatur confiteri per signa, vel per scripturam?

R. Maxime tenetur: nam Ecclesiae praecepta adimplenda sunt eo meliori modo, quo possunt. Verum si ex istiusmodi confessione grave periculum extrinsecus timeatur, puta quia prudenter praevidetur quod Confessarius tali scriptura abutatur, vel scriptura ad alias manus pervenire possit, tunc per scripturam confiteri non tenetur Fidelis; quia adimpletio praecepti fit nimis

onerosa. et lex Ecclesiae non obligat cum valde gravi incommodo. Concina.

Q. Quid quinto Ecclesiae praecepto Fidelibus imponitur ?

R. Ut omnis utriusque sexus Fidelis postquam ad annos discretionis pervenerit, suscipiat reverenter, saltem semel in anno, et quidem in Pascate, Eucharistiae Sacramentum: ita ex citato Capit. *Omnis utriusque sexus Fidelis etc.* Concilii Lateranensis.

Q. Hoc praeceptum estne solum Ecclesiasticum ?

R. Minime, nam primario, et ratione sui Divinum est, ut apparet ex verbis ipsius Christi (Joan. cap.6.) *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis . . . non habebitis vitam in vobis.* Quare hoc praeceptum prout Divinum est, obligat in quovis probabili mortis periculo, v. g. in gravi morbo, periculosa incisione, difficili partu etc., quia hoc Sacramentum est nostrae aeternae salutis viaticum. Obligat etiam pluries in vita, quia cum Eucharistia sit Animae cibus, quo nutriatur, et confortetur, ac vires recipiat, necesse est, ut et in periculo mortis, in quo vires spirituales, et gratia major requiruntur contra inimicorum spiritualium nequitiam, et pluries pariter in vita, ut augeatur gratiae coelestis vigor, hoc Sacramentum recipiatur.

Praeceptum ergo Divinum est, ut Fidelis pluries reverenter praeter periculum probabile mortis, Sacram Eucharistiam sumat. At Ecclesia suo determinavit praecepto, quoties in vita sumere eam debeat, unde quoad hanc determinationem, praeceptum annuae Paschalis communionis Ecclesiasticum est, ut ex citato Lateranensi, ac Tridentino Concilio.

Q. Hoc praecepto tenenturne Haeretici ?

R. Maxime, non secus ac tenentur praecepto annuae confessionis, ut supra dictum est.

Q. Quandonam hoc praecepto Fideles incipiunt obligari ?

R. Cum primum ad annos discretionis pervenerint, cum scilicet aliquam cognitionem tam magni, ac venerandi Sacramenti acquisiverint, ut possint illius devotionem concipere, ac ad illud rite, digneque recipiendum congruenter disponi, ita D. Thomas 3. par. q. 80. art. 9. ad 3.

Qua autem aetate haec discretio acquiratur, non satis liquet apud DD. Confessarii, ac Parentum munus esse id explorandi a pueris, ait Catechismus Romanus 2. Par. sect. 63. Quare peccant Confessarius, pueri, ejusque parentes, si circa hoc negligentes sint; et quidem graviter, vel leviter, prout gravis, vel levis erit eorum negligentia. Notat tamen ex verbis Conciliorum Lateranensis, et Tridentini D. Antoninus 3. Part. tit. 14. cap 12 §. 5. *Quod puer cum est doli capax, cum scilicet potest mortaliter peccare, tunc obligatur ad praeceptum de Confessione, et per consequens de Communione, quae simul dantur.* Hinc inferunt plerique, quod pueris omnibus, qui capaces sunt Confessionis tradi potest etiam Sacramentum Eucharistiae, et praesertim in periculo mortis, dummodo necessariam cognitionem habeant tam venerandi Sacramenti. Suarez.

Q. Quo tempore praeceptum Communionis implendum est, inspecto Ecclesiae Statuto ?

R. Antiquitus, circa nempe Saeculum VIII., ex Decreto Fabiani Pontificis, ut aliqui volunt, ter in anno hoc praeceptum urgebat, nempe in Paschate, Pentecoste, et Natali Domini. At in Concilio Lateranensi alias citato, ad unicam quotannis Communionem faciendam in Paschate hoc prae-

ceptum restrictum fuit. Tempore ergo Paschali onus Commun ionis annuae ex Ecclesiae praecepto adimplendum est.

Tempus autem Paschale quindecim dies concedit, a Dominica Palmarum scilicet usque ad Dominicam in Albis inclusive. At si istud Paschale tempus ultra quindecim dies aliquibus in locis, vel ex consuetudine, vel ex privilegio longius protrahatur, poterit quis huic consuetudini, vel privilegio se conformare. Concina, Collet.

* In nostra Neapolitana Ecclesia olim ex Rescripto S. Congreg. die 20. Martii 1694 a Cardinali Cantelmo obtento extendebatur ad Ascensionem usque, nunc ex alio Rescripto anno 1745 a Cardinali Spinelli obtento usque ad diem Trinitatis extenditur.

Q. Num Confessarius justa de causa potest differre Poenitenti Communionem Paschalem ultra tempus definitum ?

R. Maxime, et expresse notatur in citat. Capit. *Omnis utriusque sexus.* Imo tenetur, si id judicet expedire, v. g. si viderit poenitentem non recte dispositum ad Sacramenta recipienda.

Q. Num ille, qui tempore Paschali Communionis praeceptum non implevit, teneatur, elapso illo tempore, cum primum potuerit, communicare?

R. Maxime, quia Ecclesia praecipiendo pro Communione tempus Paschale, definivit tempus, intra quod Divinum praeceptum impleri debeat, et ultra quod executio illius differri non possit; hinc designavit tempus ad sollicitandam Divini praecepti adimpletionem, non autem ad tollendam obligationem.

Q. Quid si quis praevideat quod neque tempore Paschali, neque deinceps possit Communionem recipere ?

R. Tenetur anticipare, quia tenetur intra anni spatium communicare. Obligatio autem, quae urget toto tempore, debet initio temporis persolvi ; si in decursu, vel in fine persolvi non possit. Praeterea tempus Paschale in hoc praecepto accessorium est, et principale hujus praecepti consistit, ut infra anni spatium saltem semel fiat Communio, quare si cessat accessorium, quod nempe non possit communicari quis tempore Paschali, et deinceps, remanet principale praeceptum, quod teneatur communicare ante id tempus, et propterea anticipare illud.

Q. Quid si anticipavit, sed tempore Paschali jam cessat impedimentum praevisum, ita ut tempore Paschali denuo communicare potest ?

R. Tenetur denuo communicare tempore Paschali, ut perfecte, et cumulate adimpleat praeceptum, quoniam aliam ejus partem, Communicandi scilicet tempore Paschali non adimplevit, quare cum nunc possit, illam teneatur persolvere. Concina, Collet, Antoine.

Q. Num per indignam Communionem quis satisfacit praecepto communicandi ?

R. Minime, nam praeceptum Communionis, sive Divinum, sive Ecclesiasticum concipiatur, Communionem piam, sanctam, atque devotam praecipit, qua conjungamus Christo, quaque Anima nostra, per hunc salutarem cibum vita vivat in Christo, reficiatur, et gratia Dei, atque Divinis charismatibus ditescat; quod non fit per communionem indignam(1). Concina, Collet.

(1) Recte Innocentius XI. hanc damnavit Propositionem ordine 55. *Praecepto Communionis annuae satisfit per sacrilegam Domini manducationem.*

Q. Excommunicati, et Interdicti excusanturne ab hoc praecepto?

R. Si per eos stat, quominus ab illis censuris absolvantur, quatenus in delicto directe, vel indirecte contumaciter volunt perseverare, non excusantur, quia cum possint, et debeant procurari sibi absolutionem, et absoluti Communionem Paschalem recipere, et negligunt, vel positive nolunt, omissio Communionis est sibi voluntaria, et proinde culpabilis, et poenarum digna. Si vero non stat per eos, quominus consequantur absolutionem, excusantur ab hoc praecepto, atque proinde ejus omissio non est eis culpabilis. Collet, Concina.

Q. In qua Ecclesia peragenda est Sacra Communio tempore Paschali, ut praecepto satisfiat?

R. In propria Parochia, vel in alia Ecclesia, de licentia tamen proprii Pastoris. Nomine Pastoris hic intelllige Summum Pontificem, Episcopum pro sua Dioecesi, vel Parochum pro suis ovibus. Et ratio est auctoritas Ecclesiae ita praecipientis in cit. Capit. *Omnis utriusque sexus.*

Vagi in ea Paroecia, in qua reperiuntur tempore Paschali, tenentur Sacram recipere Communionem; nam alium Pastorem isti fixum non habent, et etiam peregrini, quia sunt ejus loci incolae. Ita declaravit Eugenius IV. Hoc vero valet, si toto tempore Paschali nequeunt ad proprias redire Paroeeias.

Qui habet duo domicilia, pro lubito eligere potest unam ex Paroeciis domiciliorum.

Q. Quid si quis Communionem Paschalem recipiat in Ecclesia Cathedrali sine licentia Episcopi, vel Parochi?

R. Tenent plurimi satisfacere praecepto, quia Cathedralis Ecclesia habetur tamquam Paroecia Dioecesanorum. Alii autem negant, nam debet innotescere Pastori Communio suarum Ovium, sive suorum subditorum. Non innotesceret vero, si Parochiani, vel Dioecesani, inconsulto penitus Parocho, vel Episcopo communicarent. Ubi viget Consuetudo, uti Neapoli, cessat quaestio.

Q. Sacerdotes tenenturne, uti Laici, praecepto Paschalis Communionis?

R. Maxime, ita ut intra tempus Paschale celebrare tenentur, verum ubique celebrant, hoc praeceptum adimplent: si vero celebrare non possunt, tenentur ad Communionem Eucharisticam, uti Laici, et quidem in propria Paroecia.

Q. In quam poenam incidunt, qui quartum, vel quintum Ecclesiae praeceptum non servant?

R. Ex Concilio Lateranensi in cit. Cap. *Omnis utriusque sexus*, incidunt in Interdictum ab ingressu Ecclesiae, quod est *ferendae sententiae*, ac nemini reservatum. Verum ex Lege municipali aliquarum Dioecesum, hoc interdictum solet esse cum aliis poenis adjunctum, vel solet esset latae sententiae, et Episcopo reservatum, uti est in Dioecesi Neapolitana.

In hanc poenam etiam incidit, qui ob impedimentum non adimplevit praeceptum, si eo sublato non implet, quia ex Trid. tenemur singulis annis, saltem in Paschate, Eucharistiam sumere; ergo sumptio est principalis, tempus accessorium, quo ruente, non ruit principalis (1).

(1) Jure Dioecesis Neap. cautum incidere in excommunicationem nostro Ordinario reservatam illos omnes, *qui in Paschate non communicantes ab aliis dolose*

TRACTATUS VIII.

DE VIRTUTIBUS, ET QUIDEM PRIMO DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

Quoniam in exponendo primo Decalogi praecepto dictum fuit ex D. Augustino cap. 2. Enchirid., quod Fide, Spe, et Charitate Deus potissime sit colendus; hinc post Decalogi expositionem, rite exponitur Tractatus de Virtutibus Theologicis. At, ne quid ambiguitatis in vocibus occurrat, operae praetium est, ut aliqua de virtutibus in genere exponantur.

CAPUT I.

De Virtute generice sumpta

Q. Quid est Virtus?

Ante responsionem nota:

Virtus hic non accipitur pro naturalium rerum vigore, ut accipitur Sapient. cap. 7. ibi: ***Ubi sciam dispositionem orbis terrarum*; *et virtutes elementorum*.** Neque pro hominis fortitudine, ut 1. Machab. cap. 1. ***Abiit cum virtute forti*,** Neque pro rei perfectione, ut Psalm. 32. ***Verbo Domini Coeli firmati sunt*, *et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*.** Neque pro miraculorum gratia, ut Matth. 7. ***In nomine tuo virtutes multas fecimus*;** sed accipitur pro habitu, seu facultate inclinante hominem ad bonam operationem ipsi virtuti consentancam. Ita eam accepit D. Augustinus lib. 83. q. 31., cum dixit: ***Virtutem esse animi habitum naturae modo*, *atque rationi consentaneum*** (1).

Hinc, si hujusmodi animi habitus naturae, ac rationi conformatur ob intrinsecam tantum ejus bonitatem, virtus dicitur naturalis, philosophica, et imperfecta, nec de ea hic sermo est. Si vero naturae, ac rationi conformetur vi motivorum, quae a veritatibus divinitus revelatis, et supernaturalibus desumuntur, virtus dicitur Christiana, et de hac nunc loquimur. Collet. tom. 2. f. 85. Hoc notato:

***accipiunt schedulas*, *seu cartellas*, *quae eo tempore distribui solent in Metropolitana*, *vel in Parochiis*, *ut fidem Parocho exhibeant de peracta Comunione*. *Item illi*, *qui easdem non communicantibus quomodocumque accomodant in fraudem*, *aut utrumque cooperantes*. *Casus XIV*. *in tabella*.**

(1) His adde quod idem Doctor *(epist. 167. cap. IV. n. 15.)* sapienter inquit: *Ut breviter, generaliterque complectar quam de virtute habeam notionem. . . virtus est charitas, quâ id quod diligendum est, diligitur.* Et alibi ipse Augustinus: *virtus, ait, in hac vita non est, nisi diligere quod diligendum est . . . quid autem eligamus quod praecipue diligamus, nisi quo nihil melius invenimus? Hoc est Deus, cui si diligendo aliquid vel praeponitur, vel aequamus, nos ipsos diligere nescimus (epist. 155. ad Macedonium n. 13.)*

Hanc porro virtutis definitionem tamquam a sapientibus viris traditam admittit Cardinalis Bona: *Virtutem inquit, nihil aliud esse, quam ordinem amoris, peccatum vero inordinationem amoris viri sapientes definierunt, . . non est enim virtus in hac vita, nisi ordinate diligere quod diligendum est. (Lib. de principiis vitae christ. par. III. n. 38.)*

R. Virtus definitur : *Bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nullus male utitur, et quam Deus in nobis, sine nobis operatur.* D. Thomas 1. 2. qu. 55. art. 4.

Dicitur *bona qualitas*, quatenus advenit subjecto, quod in suo esse constitutum est: *bona*, quatenus essentialiter versatur circa objectum, et finem, quae morum legibus consentanea sunt, et Animam facit bonam, sive perficit eam, et opus ejus reddit bonum. Juvenin. Inst. Theol. part. 7. diss. 3. Dicitur *Mentis*, Creaturae nimirum rationalis cognitione, ac electione praeditae. Idem ibidem.

Dicitur *qua recte vivitur*, quia virtus ad recte vivendum disponit subjectum, cui inhaeret, et ad actus eidem virtuti consentaneos, facilius, et promptius eliciendos inclinat. Idem ibid.

Dicitur *qua nullus male utitur*, quia virtus differt ab aliis qualitatibus, v. g. arte, scientia etc. quibus homo bene, vel male uti potest. Virtute autem nemo abuti valet, quia virtus semper se habet ad bonum ; et virtutis opus dicitur ejusdem virtutis bonus usus; unde si quis virtute abutatur, virtus amplius non est, sed vitium. Idem ibid.

Dicitur denique *quam Deus in nobis , sine nobis operatur* , quia vera virtus ex D. Augustino lib. 10. de Trinit. cap. 10, et ex D. Thom. 2. 2. q. 23. art. 7. in charitate ordinata fundatur, qua homo fruitur Deo, hoc est Deum diligit propter seipsum , et utitur creaturis, scilicet eas diligit propter Deum. Ordinata autem Charitas non nisi a Deo nobis esse potest. Praeterquam quod haec postrema particula apposita dici potest, pro explicanda Virtute infusa; ita ut si illa dematur, reliquum definitionis omnibus virtutibus tum infusis, tum acquisitis convenire potest. D. Thomas 1. 2. q. 55. art. 4 Stampò, Collet.

Q. Quotuplex est virtus?

R. Triplex , nempe Intellectualis , Theologica , et Moralis. Ratio hujus divisionis est, quia virtus, ex D. Thoma, 1. 2. q. 58. art. 3., proprie tendit ad perficiendum hominem , ut bene operetur : debet ergo perficere prima actuum humanorum principia : intellectum nempe, et Voluntatem. Hinc si perficiat intellectum, dicitur virtus intellectualis, uti intelligentia , scientia etc.: de hujusmodi virtute nullus hic sermo. Si autem perficiat voluntatem, ut feratur in Deum tanquam ad ultimum Finem, quo homo frui debet, virtus dicitur Theologica. Si vero perficiat voluntatem , ut feratur in creaturas debito modo, tanquam in media, quibus finis ultimus, nempe Deus, obtineatur, dicitur virtus moralis. Stampò de virt. in Comm.

Q. Quid est Virtus Theologica ?

R. Est illa , quae circa Deum immediate versatur, et cujus objectum materiale, saltem primarium est Deus, et objectum formale est aliqua ejus Divina perfectio. Hinc dicitur Theologica a verbo graeco *Theos*, latine Deus , eo quia immediate respicit Deum.

Dixi *objectum materiale saltem primarium* ; quia in Virtutibus Theologicis invenitur etiam objectum materiale secundarium, ut suo loco dicetur. Juven. Habert, de Gratia cap. 4., Antoine.

Q. Quot sunt Virtutes Theologicae?

R. Sunt tres, nempe Fides, Spes, et Charitas ; nam per has virtutes in Deum immediate tendimus tanquam in primam, summam, infallibilem, et essentialem Veritatem, et hoc praestat Fides in nobis per pium credulitatis

affectum. Tendimus in Deum tanquam Summum nostrum Bonum, et Finem ultimum, Omnipotentem, infinite Misericordem, ac Fidelem in promissis propter Christi merita factis, et hoc praestat Spes per cordis confidentiam, et desiderium. Tendimus denique in Deum summum, et infinitum Bonum sibi, et propter se infinite amabilem, et hoc praestat charitas per amoris unionem. Hinc Eccles. 1. *Qui timetis Deum, credite illi . . . Qui timetis Dominum, sperate in illum . . . Qui timetis Dominum, diligite illum*; et 1. ad Corint. 13. *Nunc autem manent Fides, Spes, et Charitas, tria haec.* Stampò, Habert. loc. cit.

Q. Quid est Virtus Moralis?

R. Est illa, quae circa mores dirigendos immediate versatur, perficiens hominis voluntatem in ordinem ab bonum honestum cujuscumque generis, et cujuscumque materiae ex motivo supernaturali. Juvenin, Habert.

Q. Quot sunt Virtutes morales?

R. Sunt plures. At primariae sunt quatuor, scilicet Prudentia, Fortitudo, Temperantia, et Justitia. Dicuntur hae Cardinales, quia ceterae virtutes ad eas, tanquam ad cardines revocantur. Juvenin.

Q Num dentur praeterea virtutes acquisitae, et infusae, quaenam istae sunt?

R. Adquisitae dicuntur illae, quae humano studio, ac labore per actus repetitos adquiruntur: infusae vero dicuntur illae, quas Deus in nobis, sine nobis agentibus operatur. Quae aliae infusae dicuntur per se, quae nempe a solo Deo infundente haberi possunt, uti sunt Virtutes Theologicae. Aliae sunt infusae per accidens; quae licet humano labore acquiri possunt, speciali tamen Dei gratia infunduntur in Animam, ita ut haec potius coelesti, ac supernaturali modo, quam humano, et naturali agere videatur.

Q. Virtus moralis differtne specie a virtute Theologica?

R. Maxime, quia virtus Theologica est super naturam hominis, cum habeat pro objecto ipsum Deum, qui est perfectionum omnium incomprehensibilis Thesaurus, primum omnium Principium, ac ultimus Finis, unde humanam excedit cognitionem. Virtus autem moralis non est supra naturam hominis; nam ejus objectum sunt mores humani per virtutum actus perficiendi, qui humana ratione comprehendi possunt. Si ergo virtutis moralis objectum specie differt ab objecto virtutis Theologicae, dicendum, quod virtus moralis specie differat a Theologica. D. Thomas 1. 2. q. 62. art. 2.

Q. Virtutes morales suntne inter se connexae?

Nota ex Thoma 1. 2. q. 65. art. 1. Quod virtus moralis potest esse perfecta, vel imperfecta. *Perfecta* est habitus inclinans non solum in opus bonum sibi proprium, sed etiam ad illud bene, ac prompte, et fortiter in singulis circumstantiis exequendum. *Imperfecta* vero est quaedam inclinatio in nobis existens ad opus aliquod de genere bonorum faciendum, sive talis inclinatio sit in nobis a natura, sive ex assuetudine; quae dispositio inclinat quidem nos ad bonum faciendum, sed non adeo bene, et fortiter, ut omnes vincamus difficultates, et defectus. Lugdun. tract. IV. de virtut. q. 2. Hoc notato.

R. Si virtutes morales perfectae supponantur, ad invicem, sunt connexae. Ait enim D. Gregorius lib 22. Moralium: *Quod virtutes, quae sunt disjunctae, non possunt esse perfectae, secundum rationem virtutis, quia*

nec prudentia vera est, quae justa, et temperans, et fortis non est, et idem de aliis virtutibus asserit. Si vero accipiantur uti imperfectae, non sunt ad invicem connexae. Videmus enim aliquem ex naturali complexione, vel ex consuetudine paratum ad opera liberalitatis, qui tamen non abhorret ab operibus impudicis. D. Thomas loc. cit.

Q. Virtutes morales consistuntne omnes in medio?

R. Maxime, nam virtus moralis, cum perficiat appetitivam Animae partem circa aliquam determinatam materiam, debet pro regula, et mensura perfectionis ipsam rectam rationem habere. Est autem recta ratio virtutis mensura, et regula, cum in agendo, virtutis opus ultra illam non egreditur per excessum peccando, neque ab illa deficit, delinquendo per defectum, proindeque moralis virtus est, cum ejus opus rectae rationi conformatur, et medium inter excessum, et defectum constituitur. D. Thomas 1. 2. quaest 64. art. 1.

Hic tamen nota, quod medium virtutis duplex est, medium scilicet rei, et medium rationis. Medium rei, quod ex Aristotele lib. 2. Ethicor. cap. 5. *arithmeticum* vocari solet, est illud, quod a recta ratione praescribitur ad ponendam aequalitatem rei, ad rem: et hoc medium proprie invenitur in virtute justitiae commutativae ejusque actibus. Medium autem rationis, quod ex eodem Philosopho *geometricum* vocatur, est illud, quod a recta ratione praescribitur, statuendo quid, quo tempore, quo loco, et quibus sub circumstantiis agendum, inspecta agendis dispositione ad arbitrium viri prudentis. Quod medium in ceteris virtutibus observatur. D. Thomas loc. cit art. 2. Purchot. Ethic. p. 3. cap. 1., Stampò.

Q. Sicut Virtutes morales sunt in medio, suntne et in medio Virtutes Theologicae?

R. Minime, nam *in omnibus, in quibus consistit virtus in medio, contingit peccare per excessum, sicut etiam per defectum, sed circa Deum, qui est objectum virtutis Theologicae, non contingit peccare per excessum. Dicit enim* Eccl. 43. *Benedicentes Deum, exaltate illum quantum potestis; major enim est omni laude: ergo virtus Theologica non consistit in medio.* Haec D. Thomas 1. 2. q. 64. art. 4.

Q. Virtutes undenam suam accipiunt perfectionem?

R. Ex Charitate, Charitas namque efficit hominem vere bonum, cum eum ad summum, ac principale Bonum nempe Deum, ultimum suum finem dirigat, ut ait D. Thomas 2. 2. q. 23. art. 7. Praeterea virtutes quaevis sine charitate diu multumque conservari non possunt; nam deficit earum fundamentum, et radix; nempe Charitas, a qua sustententur, ac nutriantur, ut idem S. Doctor ait loc. cit. art. 8.

CAPUT II.

De Fide Theologica, et primo de ejus Notione, Divisione, et Objecto.

Fidei nomen varie accipitur; nam sumitur aliquando pro *fidelitate* in servandis promissis, sic sumitur in Epist. 1 ad Timoth. cap. 5. vers. 1. ibi: *Primam fidem irritam fecerunt.* Aliquando sumitur pro *conscientia*;

sic ad Romanos cap. 14. vers. 23. *Omne, quod non est ex Fide, peccatum est.* Quandoque sumitur pro *fiducia* consequendi rem optatam, aut sibi promissam. Sic Matth. 14. vers. 31. : *Modicae fidei quare dubitasti ?* Aliquando pro objecto materiali Fidei divinae; sic in Symbolo tributo Athanasio: *Haec Fides catholica*, idest articuli Fidei catholicae. Accipitur denique, et quidem proprie, pro credulitate, qua assentimur alicui propter ejus auctoritatem. Quae auctoritas, si sit hominis, dicitur fides humana; si sit Dei, dicitur fides theologica, sive divina. De hac postrema hic sermo erit. Concina.

Q. Quid ergo est Fides Theologica ?

R. Est Virtus Theologica divinitus infusa, qua veritatibus a Deo revelatis, et ab Ecclesia propositis firmiter assentimur ob auctoritatem Dei revelantis.

Dicitur *Virtus*, quia cum proprium virtutis sit hominem proficere, iste Fide perficitur, nam ejus mens per Fidem ad cognitionem perducitur earum rerum, quas naturali lumine cognoscere non poterat, et ejus voluntas ad Finem ultimum, ad quem tendere debet, dirigitur.

Dicitur *Theologica*, quia Fides, de qua loquimur, immediate Deum respicit.

Dicitur *divinitus infusa*, quia hanc Virtutem non natura, sed Deus gratiae largitor per Christi merita homini confert.

Dicitur *qua veritatibus a Deo revelatis firmiter assentimur ;* quia firmiorem consensum nunquam alias praestare possumus; quam cum Primae, Summae, ac Æternae Veritati innitimur; quod Fidei officium est ab officio Spei, et Charitatis distinctum.

Dicitur *ab Ecclesia propositis*; nam ea, quae a Deo revelata sunt, scire non possumus, nisi Ecclesiae documento.

Dicitur denique, *ob auctoritatem Dei revelantis*, quia articulos, quos nobis proponit Ecclesia credendos, ideo credimus, quia eos revelavit Deus infinite verax.

Q. Quotuplex est Fides Theologica ?

R. Multiplex, nam alia est habitualis, alia actualis. Habitualis est ipsamet virtus supernaturalis infusa, nobis permanenter inhaerens, quae nos habiles reddit cum auxilio gratiae actuali ad assentiendum firmiter omnibus a Deo revelatis, quae ut a Deo revelata nobis ab Ecclesia proponuntur credenda. Actualis autem est exercitium fidei, sive assensus supernaturalis firmus, certus, et omnem excludens dubitationem praestitus veritatibus a Deo revelatis propter Dei revelantis auctoritatem. Concina.

Porro fides actualis vel exterior est, vel interior, vel explicita, vel implicita.

Exterior est illa, quae per verba, vel per alia signa internum Fidei consensum ostendit.

Interior est illa, quae corde concipitur, ibique remanet et completur, firmiter assentiendo veritatibus a Deo revelatis.

Explicita est illa, qua aliquis Fidei articulus expresse creditur, v. g. quod Deus sit Unus, et Trinus, quod adsit vita aeterna etc.

Implicita est illa, qua quis generatim assentitur omnibus Fidei articulis a Deo revelatis, et ab Ecclesia propositis, nullum determinando in specie;

v. g. credit ea, quae continentur in Fidei Symbolo, in sacrosanctis Christi Evangeliis. Concina, Stampò, Collet.

Fides alia est formata, et viva, alia informis, et mortua. Prima est illa, quae cum gratia habituali, et charitate consociatur, quaeque per dilectionem operatur, ac fructus vitae aeternae dignos facit, et in viris justis reperitur. Secunda est illa, quae gratia habituali, ac charitate destituta est, et in peccatoribus remanet. Idem.

Ex dictis duo colligenda: 1. Fides Theologica ad salutem necessaria non est illa specialis, firma, atque certa fiducia, qua Christianus credit, obtinuisse peccatorum suorum remissionem, aut praedestinationis gratia fuisse donatum; hic enim novatorum est error expresse a Concilii Tridentini Patribus damnatus, sess. 6. cap. 9.

2. Christianus, qui per peccatum mortale gratiam Dei amisit, non ex hoc amisit etiam Fidem, quae per solum speciale peccatum infidelitatis amittitur, patet ex Tridentino sess. 6. Canon. 28. *Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simulque et Fidem semper amitti; aut Fidem, quae remanet non esse veram Fidem, licet non sit viva, aut eum, qui Fidem sine charitate habet, non esse Christianum, anathema sit.* Patet etiam ex Propositione num. 2. ab Alexandro VIII. damnata (1). Stampò, Collet.

Q. Quodnam est objectum fidei, et quotuplex?

R. Objectum Fidei dicitur omne id, quod Fides attingit, et duplex est: materiale, et formale.

Materiale est omnis veritas, quae credenda proponitur ab Ecclesia, ut a Deo revelata, quae, si obscura sit, uti mysterium Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiae etc. est objectum materiale Fidei necessario, et per se. Si autem est evidens, et per se notum, ut existentia Dei, etc. dicitur objectum Fidei materiale per accidens.

Rursus objectum materiale Fidei duplex est primarium scilicet, et Secundarium. Materiale primarium est Deus, suaque attributa. Secundarium vero sunt cetera omnia a Deo revelata. Dicitur autem Deus objectum materiale primarium, quia Deus omnium primum se hominibus credendum revelavit: cetera vero dicuntur objectum materiale secundarium, quia revelata sunt a Deo propter aliquem ordinem, quem habent ad Deum, tanquam ad finem. Concina, Besombes.

Objectum formale Fidei, seu ratio, et motivum credendi, est auctoritas Dei revelantis. Quod duplex est, objectum scilicet formale *quod*, et formale *quo*. Primum est ipsa essentialis, et indefectibilis veritas Divina, seu est ipsemet Deus, prout est prima Veritas; fides enim theologica hanc divinam perfectionem respicit, atque per eam a spe, et charitate discernitur. Secundum est prima veritas in dicendo, seu Divina revelatio. Quae enim credimus per Fidem, ideo credimus, quia illa revelavit Deus verax, qui nec fallere, quia infinite justus est, nec falli potest qui infinite sapiens, unde testimonium divinum, et infallibile, seu Divina revelatio movet nos ad credendum. Juveninus.

Quare ex dictis collige: 1. Fides Theologica cum sub triplici respectu

(1) *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam Fides; et etiamsi videatur credere, non est fides Divina, sed humana.*

Deum consideret, triplicem exercet Fidei actum erga Deum, credit nempe Deo, credit Deum, et credit in Deum. Credit Deo, cum respicit Deum, uti objectum formale Fidei: credit Deum, cum hunc inspicit, ut objectum materiale Fidei: credit in Deum, cum per fidem cognoscens Deum, uti ultimum Finem, in eum tendit, ac Fidei assensum dirigit. Hinc credere Deo, est credere id omne, quod Deus revelavit, ob ejus infinitam veracitatem: credere Deum est credere Dei existentiam, essentiam, perfectiones: credere in Deum, est credendo in Deum tendere, credendo Deum diligere. Ita D. Thomas 2. 2. q. 2. art. 2. ex D. August. tract. 29 in Joann. Concina, Collet, Stampò.

2. Proprietates Fidei Theologicae tres sunt: veritas, obscuritas, et necessitas.

Veritas, quia Fidei articuli sunt revelati a Deo, qui infallibilis est, unde Numeror. Cap. 23. habetur: *Non est Deus, quasi homo ut mentiatur.* Et ad Hebr. 6. *Impossibile est, mentiri Deum.*

Obscuritas, quia mysteria Fidei obscura sunt, et nonnisi per Divinam revelationem manifestata sunt nobis, unde Fides dicitur ab Apostolo argumentum non apparentium.

Necessitas, quia ex Apostolo ad Hebr. 11. *sine Fide impossibile est placere Deo.* De prima, et secunda proprietate nihil aliud dicetur, de tertia mox redibit sermo.

Q. Quomodo innotescit, quod ea, quae credenda sunt, a Deo sint revelata, ut eis firmus, ac certus praebeatur assensus ?

R. Per Ecclesiae Catholicae propositionem. Ecclesia enim organum est, ac instrumentum, quo usus est Deus ad ostendendam hominibus voluntatem suam, eisdemque arcana sua patefacienda. Quare Augustinus in lib. contra Epist. Manichaei cap. 4. ait: *Ego Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiae Catholicae commoveret auctoritas.*

Hinc Divina revelatio est illud verum, ac unicum principium, in quod resolvitur ultimo Christiana Fides, et illa formalis ratio, qua nos Fidei veritates credimus. Auctoritas autem Ecclesiae proponentis illas, ut a Deo revelatas, est medium absolute necessarium, quo ex motivis evidentibus credulitatis, nobis certo innotescit, esse a Deo revelatas, ut certo, et firmiter eis assentiamur.

Unde recte Innocentius XI. damnavit hanc Propositionem n. 21: *Assensus Fidei supernaturalis, et utilis ad salutem stat cum notitia saltem probabili revelationis, imo cum formidine, qua quis formidat, ne non sit locutus Deus.* Et ratio hujus damnationis est, quia Fidei assensus nititur firma Divinae revelationis certitudine, quae ex Ecclesiae testimonio habetur. Damnavit idem hanc aliam num 22.: *Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit.* Et rite damnavit, quia Fides ad justificationem necessaria Divino nititur testimonio. Concina.

Q. Quaenam sunt motiva evidentia credibilitatis, seu argumenta, quibus mens nostra convincitur, articulos Fidei nobis per Ecclesiam propositos esse a Deo revelatos ?

R. Sunt plurima, sed urgentiora sunt 1. Prophetiae, quibus illae veritates revelatae, atque nobis propositae fuerunt jamdiu praenuntiatae 2. Miracula omnes naturae vires excedentia, quibus Christianam Fidem voluit

Deus stabilire 3. Admirabilis modus, quo Christi Evangelium disseminatum fuit 4. Doctrinae sanctitas 5. Doctrina, et Sanctorum Patrum unanimis consensus 6. Martyrum fortitudo, qui hanc Christianam Fidem professi sunt, ac disseminarunt.

Q. Fidei veritates, sive articuli suntne nostris temporibus plures, quam erant ab initio Ecclesiae ?

R. Minime, nam omnes, et singulae Catholicae Fidei veritates, quas credit Catholica Ecclesia, et usque ad saeculi consummationem creditura est, fuerunt Apostolis revelatae, vel immediatae a Christo Domino, vel a Spiritu Sancto juxta ipsius Christi promissionem : *cum venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Joan. 16. Praeterea, ut innotescant nobis Fidei veritates, requiritur Divina revelatio: sed a Christi, et Apostolorum tempore nulla alia facta est revelatio; ergo nulli alii accesserunt Fidei articuli, ac proinde nostris temporibus non plures sunt, quam erant ab initio Ecclesiae. Hinc Augustinus in Psalm. 50. asserit: *Tempora varia fuisse, non Fidem.* Quare etsi plurima ab ortu Ecclesiae definita sint Fidei capita a Conciliis, et Pontificibus contra insurgentes haereses, attamen non novos condiderunt articulos, sed, assistento Spiritu Sancto, apertius declararunt, quod in Scripturis, et Traditionibus continebatur. Lugdum. tract. 4. dissert. 2. quaest. 2.

CAPUT III.

De necessitate Fidei internae ad salutem

Nota hic, quod aliquid potest esse necessarium ad salutem aeternam dupliciter, scilicet vel necessitate medii, vel necessitate praecepti. Dicitur necessarium necessitate medii illud, sine quo salus aeterna omnino obtineri non potest, sive culpabiliter, sive inculpabiliter omittatur. Dicitur necessarium necessitate praecepti illud, quod ex sola Superioris voluntate necessarium est; quare si inculpabiliter omittatur, puta ex ignorantia invincibili, vel ex impotentia, salus aeterna comparari potest.

2. Quod est necessarium necessitate medii dupliciter potest esse necessarium, vel absolute, et in re tantum, ita ut ejus votum, seu desiderium ponendi illud non sufficiat, si de facto non ponatur, vel disjunctive, scilicet aut in re, si poni valeat, ant in voto saltem, sive desiderio ponendi illud, si poni non possit. Concina, Antoine.

Q. Fides estne necessaria ad salutem, et quomodo ?

R. Fides habitualis est necessaria necessitate medii, et quidem absolute, et in re tum infantibus, et usum rationis non habentibus, tum adultis ratione praeditis. Patet ex Tridentino sess. 6. cap. 7.: nam nemo potest consequi salutem aeternam sine gratia sanctificante. Gratiam autem sanctificantem nemo comparare potest sine Fide supernaturali: *sine enim Fide impossibile est placere Deo*, ex Apostolo ad Hebr. 11.

Fides actualis non est necessaria infantibus, aut usum rationis non habentibus, sed eis sufficit sola Fides habitualis accepta per Baptismum. Patet etiam ex Tridentino sess. 7. can. 13. de Baptism. Adultis autem ratione praeditis ad salutem supernaturalem, hoc est justificationem, et glorifi-

cationem consequendam, necessaria est necessitate medii, praeter Fidem habitualem, etiam Fides actualis interna, et constat ex Divinis Scripturis, Habacuc enim cap. 11, habetur: *Ecce qui incredulus est, non erit recta Anima ejus in semetipso: Justus autem in sua Fide vivet,* et Marci ult.: *Euntes in Mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur.* Idem evincitur ex Apostolo ad Galat. 3.; et ad Roman. 3. et ex Tridentino sess. 6. cap. 6.

Q. Haec Fides actualis interna necessaria necessitate medii ad salutem, debetne esse explicita, vel sufficit implicita?

R. Circa aliquos Fidei articulos debet esse explicita, circa alios vero sufficit implicita.

Q. Quaenam Veritates Fidei credendae sunt Fide explicita?

R. Istae, quarum prima est, quod Deus existat auctor Gratiae, ac humanae salutis provisor, et aeternae mercedis largitor, ac justorum remunerator, et patet ex Apostolo ad Hebr. 11. *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Et ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 7. Et harum veritatum Fides explicita quovis tempore necessaria fuit necessitate medii (1).

2. Incarnatio Filii Dei, ac cetera humanae Redemptionis mysteria; patet ex Joann. cap. 3. *Qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine Unigeniti Filii Dei,* Et ad Galat. 2. *Scientes autem, quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi, et nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur in fide Christi:* Et ex Tridentino sess. 6. cap. 6.

Haec autem Fides explicita circa Redemptionis mysteria fuit necessaria post promulgationem Evangelii Christi. Nam in Lege naturae, et Moysis erat etiam necessaria necessitate medii actualis Fides in Christum Redemptorem. *Non est enim in alio aliquo salus, nec aliud nomen est sub Coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri:* Actorum 4. Sed sufficiebat Fides implicita quoad modum, quo opus Redemptionis Deus factus homo compleret, quia Fides haec sufficienter promulgata non erat, sed sub tegmine figurarum Redemptoris Christi latebant mysteria. D. Thomas 2. 2. qu. 2. art. 7.

3. Mysterium Trinitatis, et patet ex Matth. ult. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Habetur etiam ratio, quia si implicita Incarnationis Fides est necessaria necessitate medii, est etiam necessaria necessitate medii explicita Trinitatis Fides; nam sine ista haberi non potest explicita Incarnationis Fides; ut infert D. Thomas 2. 2. q. 2. art. 8. Advertendum tamen est, quod, ut quis dicatur habere explicitam Incarnationis, et Trinitatis Fidem, non requiritur, ut habeat plenam, ac distinctam singularum veritatum ad illa mysteria pertinentium notitiam, sed sufficit, si habet explicitam fidem de distinctione trium Divinarum Personarum sub unitate substantiae, ac explicite credat, secundam Personam, nempe Filium, hominem factum esse, conceptum de Spiritu Sancto, na-

(1) Recte damnata fuit ab Innoc. XI. haec Propositio: *nonnisi Fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris.*

tum ex Maria Virgine, passum, crucifixum, mortuum esse, ut homines redimeret, resurrexisse, et ad coelos ascendisse.

Igitur ex his inferendum, quod nullus adultus, post sufficientem Evangelii promulgationem, justificari potest, et salvari, nisi explicitam habeat fidem Incarnationis Filii Dei, et Trinitatis, ita ut si quis explicitam habeat Dei auctoris, ac Finis ultimi supernaturalis, et nullam de Divini Verbi Incarnatione, et Trinitate fidem profiteatur, quia nullam de istis Mysteriis notitiam habuit, nec justificari poterit, nec salvari, quia ejus ignorantia ex sua provenit culpa, suis enim operibus rectae rationi difformibus Divinae Gratiae obicem posuit; nam si rectam ageret vitam, Deus Instructorem mitteret, qui illum haec mysteria edoceret. Ita D. Thomas in 3. dist. 25. qu. 2. Concina, Stampò.

Q. Quid si quis ex ingenii hebetudine horum Mysteriorum Fidem explicitam non concipiat?

R. Dicendum est idem, quod jam supradictum est; quando in aliis rebus aliquem rationis usum, et solertiam praeferat: quia si pro rebus humanis ratione utitur, et ingenio, iisdem uti posset, cum auxilio divinae Gratiae pro hujusmodi Fide concipienda. Quod si nullum ostendat rationis usum, aut maxime debilem, idem judicium faciendum est ac de parvulo usu rationis carente. Idem dic de surdo simul, et muto. Concina, Stampò.

Q. Ceteras Fidei Veritates qua Fide tenemur credere necessitate medii, implicitane, vel explicita?

R. Sufficit, si eas credamus Fide actuali interna, et implicita. Nam cum cetera omnia a Deo revelata, atque promissa nos implicite credimus, utpote quae credenda nobis proponuntur ab Ecclesia, ut a Deo revelata, et promissa, credimus ea ob infinitam Dei revelantis, et promittentis auctoritatem, et veracitatem, ideoque verificatur ratio illius Fidei, quae nobis imperatur. Patet ex Tridentino sess. 6. cap. 6. Antoine, Stampò, Concina.

Q. Fides actualis estne etiam necessaria necessitate praecepti Divini?

R. Maxime: quod enim necessarium est necessitate medii ad salutem, est etiam necessarium necessitate praecepti Divini, quando illud in nostra est potestate, quia sicut nobis praecepit Deus aeternam salutem comparare; ita et praecepit media, quibus eam comparare possimus, inter quae praestat Fides actualis. Constat ex Marc. 1. *Credite Evangelio,* et ex Marc. ult., *Qui non crediderit, condemnabitur.* Ex quibus locis satis apparet, quod Christus Dominus Fidem actualem praecipiat; nam Fides habitualis, cum sit infusa, non cadit sub praecepto, utpote quae a nobis non dependet. Patet etiam ex Tridentino sess. 6. cap. 6., ubi habetur, quod actus Fidei sunt dispositiones ad justificationem, quae dispositiones cadunt sub praecepto. Patet denique ex Propositione ab Innoc. XI damnata (1). Communiter.

Q. Hoc praeceptum credendi per Fidem actualem estne affirmativum, vel negativum?

R. Est affirmativum simul, et negativum. Est affirmativum, quatenus praecipit scientiam eorum, quae credenda sunt, et praecipit etiam eliciendos actus Fidei internos, et aliquando externos. Est negativum quatenus pro-

(1) *Fides non censetur cadere sub praecepto speciali, et secundum se,*

hibet Fidei negationem, et infidelitatem. Primum obligat semper, sed non ad semper, et omni temporis momento eliciendos Fidei actus, sed statuto tempore. Secundum obligat semper, et quoad semper, quatenus Fidei nunquam possumus dissentire.

Q. Quaenam ergo ex hoc praecepto Fideles scire tenentur?

R. Praeter ea, quae credenda sunt necessitate medii, adulti ratione praediti tenentur scire, et explicite credere omnes articulos in Symbolo Apostolorum contentos. Symbolum enim, ut ait. D. Augustinus, lib. de Fide, et Symbolo, summam continet Christianae professionis. Verum nota, quod satis erit, si homines rudes illorum Articulorum notitiam habeant quoad substantiam, licet eo ordine, quo Symbolum digestum est, ex hebetudine ingenii memoriter non teneant. Concina.

2. Tenentur scire, et explicite credere orationem Dominicam. Haec enim edocet nos ea, quae petere debemus a Patre nostro Deo omnium bonorum largitore, et est simul efficacissima ad pietatem excitandam, et spem alendam.

3. Tenentur scire, et credere Decalogum a Deo hominibus traditum; quoniam ille humanos dirigit mores, et quid Deo, et quid hominibus debeamus, informat.

4. Tenentur scire, et credere Sacramenta a Christo Domino instituta; et cognitionem claram habere non solum Baptismi, Eucharistiae, et Poenitentiae, sed et ceterorum Sacramentorum, cum recipiuntur, nam haec sunt media, quibus aeterna salus comparatur.

5. Tenentur scire praecepta Ecclesiae, et juxta aliquos, salutationem Angelicam.

Ubi nota 1. quod non sufficit ad satisfaciendum huic praecepto, si solum mente retineant Fideles, et ore recitent haec, quae diximus, non intelligentes eorum sensum, sed requiritur, ut saltem juxta proprii ingenii capacitatem, et status conditionem intelligant quid dicunt. Dixi *juxta proprii ingenii capacitatem, et status conditionem*; quia Deus divisit mensuram Fidei, ut ait Apostolus ad Roman. 12., et proinde Fideles tenentur habere credendorum notitiam, prout proprium eorum ingenium patitur, et status conditio exigit. Concina.

2. Concedi non debet, quod Christianus mentis compos invincibiliter ignoret articulos Fidei, et proinde ignorando, et explicite eos non credendo, non peccet; nam Christianus iste debuit aliquando articulorum Fidei aliquam habere notitiam; hinc tenebatur eam dilatare, et augere verbum Dei audiendo, Pastores Ecclesiae interrogando, vel eorum Catechismis intercssendo, a Deo lumen petendo etc.; unde si articulum Fidei explicitam notitiam non est assecutus, suae negligentiae, atque culpae est adscribendum, et ignorantia sua voluntaria saltem indirecte dicenda est, et proinde culpabilis. Concina.

Q. Fideles adulti Fidei articulos, et cetera, quae scire, et explicite credere tenentur ex praecepto Fidei Divinae, debentne etiam memoriae consignare, et mente retinere?

R. Maxime, quia si ea scire tenentur ex praecepto Divino, consequens est, quod memoriae quoque reposita habere debeant. Adest etiam praeceptum Sanctae Matris Ecclesiae diuturna, ac inveterata consuetudine obfir-

matum, ut patet ex Concilio Moguntino, et ex Concilio Forojulensi, tempore Caroli Magni celebratis, et ex distinct. 4. Cap. *Vos ante* de consecrat. Verum, ut dictum est superius, si aliquis non ex negligentia, sed ex ingenii debilitate, illa memoriae tradere non valuit eo ordine, quo digesta sunt, sufficit si talem habeat illorum notitiam, ut de iis interrogatus, ad singula sufficienter respondeat.

Q. Quomodo se gerere debet Confessarius cum Poenitente, qui Fidei rudimenta ignorat?

R. Si poenitens ignoret Mysteria, quorum fides necessaria est necessitate medii, Confessarius eum debet inabsolutum dimittere, quia indispositus est; patet ex proposit. num. 64. ab Innocentio XI. damnata (1).

Si poenitens ignoret ea, quae credenda sunt necessitate praecepti; videndum, an haec ignorantia fuerit invincibilis, vel vincibilis. Si invincibilis, (quod valde difficile est, nam in Christianorum regionibus dari non potest) Poenitens debet instrui prius, et postea absolvi potest (nisi aliud obstet) cum promissione, quod postmodum melius addiscat ea. Si vero vincibilis fuerit, at Poenitens non fuit ab a Confessario de sua ignorantia admonitus, et de obligatione addiscend Confessarius prius, si potuerit, instruat eum, et facta sincera promi one, quod post confessionem melius addiscat ea, quae ignorat, Poenite, semper ac non sit ex alio capite indispositus, potest absolvi. Si aute Poenitens fuit alias admonitus, et neglexit addiscere, Confessarius de t absolutionem differre, donec Fidei rudimenta didicerit.

Hic tamen notet Confessari : 1. Si Fidelis negligens fuerit addiscere Fidei Mysteria, quae scire te batur, peccavit contra Fidem: Haec enim obligat non solum ad creden m, sed etiam ad sciendum ea, quae tenetur credere, et toties peccavit, oties adverterit suam ignorantiam, et non studuit addiscere. 2. Si poeni s ignoraverit Mysteria credenda necessitate medii, quaecumque fuerit gnorantia sua, aut si ignoraverit vincibiliter, et proinde culpabiliter, ea quae sunt credenda, et sciens de necessitate praecepti, Poenitens debe epetere confessiones praeteritas, quia indispositus eas fecit, et proind ec valide, nec licite absolutionem suorum peccatorum recipit. Concin ollet.

Q. Quid si Poenitens narus mysteriorum Fidei morti proximus sit?

R. Confessarius illu docebit ea, breviori, vel prolixiori sermone, prout infirmitatis circu tantia patiatur. Attamen prius incipiet instructionem circa mysteria, e necessitate medii credenda sunt, deinde proponet ea, quae spectant am aeternam: denique ea, quae sunt credenda, et scienda necessitate aecepti. Post haec ad Actum Fidei procedat, adjuvando Infirmum per rrogationes: v. g. credisne, Deum esse unum; et tres esse Divinas per as distinctas inter se, nempe Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum Et infirmus respondeat: Credo. Credis Filium Dei carnem humanam psisse virtute Spiritus Sancti, et natum ex Maria Virgine, passum, cifixum, mortuum etc.? Credo. Et sic de ceteris. De-

(1) *Absolutionis x est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum Fidei; et etiam si negligentiam culpabilem nesciat mysterium Sanctissimae Trinitatis, et Inca ionis Domini nostri Jesu Christi.*

inde deveniat ad actus Spei, et Charitatis, demum excitabit infirmum ad actum doloris, et propositi circa peccata sua, et negligentias suas, et sic eum absolvet. Concina.

Q. Confessarius teneturne interrogare Poenitentem circa rudimenta Fidei necessaria?

R. Maxime, ut exequatur recte munus suum, semper ac sibi non constet, Poenitentem suum esse circa ea, quae necessaria sunt, bene instructum. Imo Confessarius, etsi Pastor non sit, tenetur ex charitate eum instruere, si ignorantem invenerit, et ille proprium Pastorem adire non poterit, ut instruatur. Collet.

Q. Quandonam urget praeceptum eliciendi actum Fidei?

Nota. Praeceptum eliciendi actum Fidei duplex est; directum, seu per se, et indirectum, seu per accidens. Directum dicimus, cum ipsa virtus Fidei per se, et directe obligat ad Fidei actum eliciendum, ita ut, si omittatur, committitur speciale peccatum contra Fidem. Indirectum vero, et per accidens dicimus, quando non virtus Fidei, sed alia virtus ut rite exerceatur, obligat ad eliciendum actum Fidei: qui si omittatur, non habetur speciale peccatum contra Fidem, sed contra illam virtutem, quae actum Fidei imperabat. Sic qui accedens ad Sacramentum Poenitentiae, nullum praemisit actum Fidei contra virtutem Poenitentiae; quae illum actum exigebat, peccavit; non vero contra Fidem. Hoc notato:

R. Praeceptum eliciendi actum Fidei directum, et per se obligat 1. Initio usus rationis, quando homini res credendae sufficienter proponuntur, ut a Deo revelatae; nam tunc, ut ait D. Thomas, homo tenetur sese in Deum convertere, nequit autem converti ad Deum, nisi prius eum per Fidem cognoscat. Hinc puer Catholicus statim ac ad usum rationis sufficientem pervenit, tenetur ad actum Fidei: si Fidei Mysteria ei sufficienter proponantur per parentes, Magistros etc. Similiter Infidelis adultus cum ei sufficienter proposita est Catholica Fides, audiendo ejus miracula, rationes, aliaque credibilitatis argumenta, et non praestat ei assensum, peccat graviter contra Fidem, quia supremae Veritati revelanti injuriam infert.

2. In quolibet probabili periculo mortis, et a fortiori articulo ejusdem; quia sicut ex Fide tenemur vivere juxta Apostoli praeceptum ad Hebraeos 10., sic et mori. Praeterea mortis tempore tenemur ad Deum tendere, eumque colere, et omni conatu ad eum accedere, ut in illo die malo inimicos nostros confundat, ne nos confundamur ab eis, et ut spem nostram dirigat, atque nos in aeternum salvet: accedentem autem ad Deum oportet credere, ait Apostolus.

3. Quando urget gravis tentatio contra Fidem, quae superari non posse videtur, nisi per actum Fidei tentationi contrarium, et ratio est, quia, cum Fidei praeceptum prohibeat omnem dissensum, ac dubitationem contra Fidem, praecipit etiam media, quibus dissensum ejus, et dubitationem repellamus, inter haec media adest actus Fidei.

4. Quando quis in haeresim, vel dubitationem voluntariam, circa Fidei mysteria, lapsus sit; nam injuria supremae Veritati revelanti irrogata per illud peccatum, resarcienda est per novum Fidei actum, et quia etiam explicitus Fidei actus in eo, qui a Fide deficit necessarius est ad justificationem, cum eo habitu jam careat.

5. Cum quis tenetur exterius profiteri Fidem; nam si actui exteriori Fidei non adjungatur actus internus, non est vera Fidei professio, sed manifesta simulatio.

6. Saepe in vita, cum Fides sit alimentum justi: justus enim ex fide vivit ex citato Apostolo. Hinc sicuti alimentum corporale saepe sumitur, ut vita temporalis servetur, sic et Fides saepe exercenda, ut conservetur vita spiritualis.

Q. At quid denotet ly saepe in vita?

R. Indefinitum est, et proinde alii censent, adesse obligationem eliciendi actum Fidei singulis diebus festis; quia tunc speciali modo colendus est Deus, qui fide, spe, et charitate potissimum colitur. Alii ineptissime censent semel intra annum, instar praecepti Eucharistiae. Alii communius, quibus assentimur, singulis diebus festis, quibus recolitur memoria aliquorum principalium Fidei mysteriorum. Concludendum tamen est, ut singulis diebus eliciant, ut vere christiane vivant (1).

Q. Quando Fidei praeceptum indirectum obligat ad eliciendos hujus virtutis actus?

R. Quando urget gravis tentatio contra aliam a Fide virtutem, quae, non nisi per actum Fidei, vinci posse putatur. 2. Quoties ex praecepto eliciendus est actus aliarum virtutum, v. g. spei, charitatis, poenitentiae etc.; nam actus virtutum supernaturalium necessario praerequirunt actum Fidei, saltem implicitum. 3. Quando ad justificationem disponimur; quia sine fide actuali explicita ad eam disponi non possumus ex Tridentino sess. 6. cap. 7. et denique 4. quando Sacramenta suscepturi sumus.

Hic tamen nota, quod huic indirecte obligationi eliciendi autem Fidei satisfacimus, si virtualiter, hoc est ex virtute Fidei in nobis antea excitatae, et exercitae, actus aliarum virtutum exercemus, Sacramenta recipimus etc.

CAPUT IV.

De Fide externa, seu Fidei confessione.

Q. Daturne praeceptum Divinum exterius profitendi fidem?

R. Maxime, et patet ex illo ad Romanos 10. *Corde creditur ad justitiam, confessio autem ore fit ad salutem.* Hinc S. Augustinus de Fid. et Symb. cap. 1. ait: *Fides officium a nobis exigit et cordis, et linguae.* Nota tamen, quod Fidem non solo linguae officio, et expressis verbis exterius confiteri possumus, sed etiam signis, gestibus, actionibus quibuscum-

(1) Juste damnatae fuerunt hae Propositiones: *Homo nullo unquam tempore vitae suae tenetur elicere actum fidei, spei, et charitatis ex vi praeceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium,* quae Propositio damnata fuit ab Alexandro VII. num. 1. *Satis est actum fidei semel in vita elicere:* quae damnata fuit ab Innocentio XI. n. 17. *sufficit illa mysteria Sanctissimae Trinitatis, et Incarnationis semel credidisse*; quae damnata fuit ab eodem Innocentio num. 65. *Probabile est ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare praeceptum charitatis erga Deum;* quae damnata fuit ab eodem Innocentio num. 6. Quae thesis licet proprie de charitate loquatur, tamen quia cum elicitur charitatis actus, etiam Fidei actus praecedere debet; ideo quidquid de uno actu dicitur, dici videtur etiam de altero.

que, quibus ex institutione Ecclesiae, vel communi sensu Fides Christiana significatur.

Q. Hoc praeceptum quotuplex est?

R. Duplex: affirmativum, et negativum. Affirmativum qualenus exteriorem Fidei confessionem jubet, ut supra dictum est, quod praeceptum omissione hujusmodi confessionis violatur. Negativum, quatenus exteriorem Fidei negationem vetat, juxta illud Matth. 10. *Qui negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo*; quod praeceptum commissione frangitur. Utrumque praeceptum violari potest expresse per concepta verba, et tacite, seu virtualiter perfecta, vel signa, sicut et Fides expresse, ac virtualiter potest exterius ostendi, ut dictum est.

Q. Praeceptum affirmativum profitendi exterius Fidem quandonam obligat?

R. Hoc praeceptum, cum sit affirmativum obligat etiam cum periculo vitae tunc, quando ex omissione exterioris professionis Fidei subtrahitur honor Deo debitus, vel utilitas Proximi spiritualis; ita D. Thomas 2. 2. qu. 3. art. 2.

Hinc peccat Catholicus contra hoc Praeceptum, si interrogatus de Fide a Principe, Judice, vel ab alio publicam potestatem habente, tacet; quia tacendo videtur erubescere Christum, ideoque subtrahitur honor Deo debitus (1).

Si autem interrogatus a persona privata, non peccat tacendo, vel interrogationem aliquo modo eludendo, dummodo tamen tacendo, vel responsionem indifferentem tradendo in illa circumstantia honor Deo debitus, vel spiritualis utilitas Proximi non subtrahatur; quod fere semper evenit. Ergo etc.

Item contra hoc praeceptum peccat Catholicus, si fidem exterius profitendo possit vacillantem in fide confirmare, vel Infidelem ad Fidem speret adducere, vel Fidei ab aliquo verbis, vel factis contemptae gloriam reddere, et injuriam compensare, et tamen ipse tacet, ratio est, quia tacendo subtrahitur honor Deo debitus, et utilitas Proximo impendenda.

Q. Licetne Christiano tempore persecutionis Fidei fugere, vel se occultare?

R. Licitum est, quando fugiendo, vel se occultando, nullum Fidei detrimentum haberetur, vel Proximi scandalum. Patet ex illo Matth. cap. 10: *Cum persequentur vos in Civitate ista, fugite in aliam.* Patet etiam exemplo Christi, et Apostolorum, ac Martyrum, et ratio est, quia praeceptum hoc cum sit affirmativum, obligat semper, et non pro semper, sed tunc solum, quando alias honor Deo debitus, vel proximi bonum spirituale subtrahitur.

Hinc illicite fugit, et peccat graviter, vel se occultat ille, cujus praesentia necessaria est ad confirmandos alios in Fide tempore persecutionis, uti Episcopus, Parochus etc. quando alius non sit Sacerdos, qui circa hoc vices suas gerat.

Q. Praeceptum prohibens externam Fidei negationem quandonam obligat?

(1) Id patet ex Propositione 18. ab Innocentio XI. proscripta: *Si a Potestate publica quis interrogetur, Fidem ingenue confiteri, ut Deo, et fidei gloriosum consulo; tacere, ut peccaminosum per se non damno.*

R. Semper et pro semper, quia praeceptum negativum est. Hinc non licet, nec etiam ad vitandam mortem vel atrocissima tormenta, vel bonorum omnium jacturam etc. exterius negare Fidem, etiam si simulate fiat, hoc est interius veram Fidem retinendo, quia haec negatio est intrinsece mala, et proinde nullo modo cohonestanda.

Hinc peccat contra Fidem Catholicus, qui negat, se esse Christianum, vel Catholicum, vel Papistam, vel dicat se esse Turcum, aut Judaeum, vel Paganum, Calvinistam: sic enim loquendo veram Christi Fidem negat.

Peccat item si falsam Religionem simulet, utendo vestibus, actionibus, ritibus, signis etc. quae vel ex sua natura, vel ex lege, vel ex communi usu falsae Religionis protestativa sunt, et defectionem a Fide Catholica indicant; quia sic factis Fidem Christi negat.

Q. Danturne casus, in quibus ex praecepto Ecclesiae tenentur aliqui ad externam Fidei professionem?

R. Maxime: et primus casus est, cum quis obtinet Canonicatum, vel Dignitatem in Cathedrali Ecclesia; tenetur enim intra bimestre coram Episcopo, vel ejus Officiali, ac coram Capitulo emittere exteriorem Fidei professionem, et jurare obedientiam S. Romanae Ecclesiae sub poena non faciendi fructus suos, ex Tridentino sess. 24. de reform. cap. 12.

Secundus: qui obtinet Beneficium curatum; nam intra duos menses etiam a die captae possessionis ad hanc Fidei professionem tenetur, ex eodem Tridentino loc. cit.

Tertius: tenentur ad hanc Fidei professionem ex eodem Tridentino Primates, Archiepiscopi, Episcopi in prima Synodo Provinciali; et si renuant, sunt Pontifici denuntiandi.

Quartus, omnes Praelati omnium ordinum Regularium, etiam Militarium, dum praelaturam assumunt, ex Constitutione Pii IV. quae incipit, *Injunctum nobis.*

Quintus, Doctores, Magistri, Regentes Concinatores, ex Constitutione Pii V. *In Sacrosancta* quae Constitutio comprehendit etiam (ut explicavit Sacra Congregatio) Magistros cujusque artis liberalis, etiam si privatim tale munus exerceant.

Qui omnes tenentur sub gravi, et per se, non vero per Procuratorem emittere externam Fidei professionem. Et illi, qui ex omissione professionis Fidei fructus suos non fecerunt, tenentur ante omnem Judicis sententiam eos restituere, si perceperunt.

CAPUT V.

De vitiis Fidei oppositis

Q. Quodnam est vitium Fidei oppositum?

R. Est infidelitas, quae alia non est, nisi carentia Fidei. Haec triplex est, scilicet negativa, contraria, seu positiva, et privativa. Negativa est carentia Fidei in eo, qui de Fide nihil unquam sufficienter audivit. Contraria, seu positiva est carentia Fidei in eo, qui Fidem sufficienter sibi propositam contemnens, pertinaciter ei contradicit, negando aliquod, quod ad Fidem pertinet, vel errorem inducendo contra aliquem Fidei articulum. Privativa de-

nique est carentia Fidei in eo, qui vel Fidem non vult audire, vel Fidei sufficienter propositae non assentitur cum debeat. Stampò.

Q. Infidelitas estne peccatum?

R. Infidelitas negativa peccatum non est, sed poena peccati. Patet ex Joannis cap. 15.: *Si non venissem, et locutus eis fuissem, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo* (1).

Infidelitas autem contraria, vel privativa est peccatum mortale contra Fidem, tum quia continet gravem contemptum summae Veritatis revelantis, tum quia est voluntaria omissio ejus, quod in se necessarium est necessitate medii ad salutem.

Q. Excusaturne infidelis a peccato infidelitatis, si ductus opinione probabili credit, sectam suam esse veram, et posse proinde in ea salvari?

R. Minime, quia veritas Religionis non pendet ab opinione hominum, sed a Divina revelatione, quae infallibiliter nos docet, Christianam Religionem esse unice veram, extra quam nemo salvari potest, unde cum aliter judicatur, infertur injuria summae ac aeternae Veritati. Patet etiam ex propositione 5. ab Innoc. XI, damnata (2).

Q. Quot sunt species infidelitatis contrariae?

R. Tres, scilicet Paganismus, Judaismus, et Haeresis. Paganismus est infidelitas, qua totaliter rejicitur Fides nondum suscepta, talis est Atheismus, et Mahumethismus. Judaismus est infidelitas eorum, qui novum rejiciunt Testamentum, vetus solum admittentes, et Christum advenisse negantes, ac eorum peccatum repugnat Fidei in typo susceptae. Haeresis est infidelitas baptizati, qua aliqui Fidei Catholicae articuli rejiciuntur: Ad hanc reducitur etiam Apostasia, et Schisma.

Q. Haec tria peccata scilicet Paganismus, Judaismus, et Haeresis suntne specie distincta?

R. Maxime, quia licet eidem virtuti Fidei opponantur, eorum tamen oppositio est per diversum modum: nam haec tria diversos habent ritus, ac caeremonias, ac proinde diversimode Fidem offendunt.

Q. Ecclesia potestne infidelem cogere ad fidem suscipiendam?

R. Si infidelis baptizatus est Haereticus, vel Apostata, vel Schismaticus, potest eum cogere, ut ad Fidem redeat, quia per Baptismum factus est ei subditus, quoad ea, quae ad salutem aeternam spectant. Si autem Infidelis baptizatus non est, non est cogendus ad Fidem suscipiendam, neque per se, et directe, neque indirecte per Principem saecularem, cui subjectus est; quia Ecclesia nullam habet potestatem super non baptizatos ex 1. ad Corinth. 5. *Quid mihi de iis, qui foris sunt judicare?* Potest solum exigere per Principis, cui subjectus est, auctoritatem, ut non exerceat Infidelis publice actus suae infidelitatis, ut adeat ad Fidei Christianae Catechesim; ut non impediat Catholicae Fidei praedicationem; circa haec enim Ecclesia jus suum habet. Antoine, Stampò.

Q. Estne licita cum Infidelibus communicatio?

R. In iis, quae ad Religionem pertinent, v. g. Ritibus, Sacrificiis, ora-

(1) Patet etiam ex propositione Baii proscripta: *Infidelitas pure negativa in his, quibus Christus non est praedicatus, peccatum est.*

(2) *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili?*

tionibus, Praedicatione etc. illicita est communicatio; quia esset falsae religionis adhaesio, ac quaedam saltem implicita Fidei Christianae negatio. In civilibus autem, atque politicis rebus cum Infidelibus communicare licet; patet ex 1. ad Corinth. 10. *Si quis vocat vos Infidelium, et vultis ire, omne, quod vobis apponitur, manducate.* Sed excipe, si ex tali civili communicatione periculum oriatur subversionis, aut scandali, aut alterius peccati, tunc enim illa communicatio illicita est. Antoine.

Q. Potestne quis licite disputare de rebus Fidei cum Infideli?

R. Si indoctus est quivis sive Clericus, sive laicus disputare non debet de Fidei rebus cum Infideli, praesertim si hic majori praeditus sit ingenio; qui cum non possit Fidei veritatem probare vel illustrare, adest periculum, ne Infidelis in errore confirmetur, et ipsi Catholico major oriatur difficultas, et ex hac, Religionis contemptus. Si autem doctus est, sed Laicus, etiam prohibetur disputatio sub poena excommunicationis: excipe, si Fides videatur in aliquo discrimine ex disputatione infidelis, et non adsit Sacerdos aliquis doctus, qui Fidei patrocinium suscipiat. Antoine.

§. I. *De Haeresi*

Q. Quid est Haeresis?

R. Est error intellectus, voluntarius, et pertinax contra aliquam Fidei Catholicae veritatem in eo, qui Fidem recipit.

Dicitur *error intellectus*, quia sicuti intellectu assentitur Fidei; sic et intellectu eidem contradicitur.

Dicitur *voluntarius*, tum quia sine voluntario nullum datur peccatum tum quia sicut assensus Fidei dependet a pia voluntatis motione, sic et a malitia ejusdem dependet haeresis. Dicitur *pertinax*, quia haeresis obstinatam errori adhaesionem significat. Dicitur *contra aliquam Fidei veritatem*, quia si omnes Fidei veritates rejiciantur, apostasia a Fide dicitur. Dicitur *in eo, qui Fidem recepit*, quia errans contra Fidem, quam non recepit, Haereticus non est, sed vel Mahumethanus, vel Judaeus dicendus. Ubi nota, quod per peccatum haeresis habitus Fidei amittitur, quia haeresis directe opponitur divinae revelationi, propter quam nos articulos Fidei credimus.

Q. Quaenam requiruntur ad constituendam haeresim?

R. Tria: error in intellectu, pertinacia in voluntate, et Fidei professio in subjecto. *Error intellectus*, seu judicium erroneum contra aliquam Fidei veritatem a Deo revelatam, et uti talem sufficienter propositam. Hinc, si quis vel ex ira, aut ex alterius passionis modo aliquam Fidei veritatem exterius neget, interius vero illam teneat, haereticus non est, quamvis gravissime peccet, neque poenas contra haereticos latas incurrit.

Pertinacia in voluntate, quae consistit in hoc, quod licet quis sciat, et advertat, aliquod teneri ab Ecclesia Catholica certum de Fide, utpote a Deo revelatum est, ipse tamen oppositum deliberate tenet, ac tuetur, et judicium suum judicio Ecclesiae praefert. Denique *Fidei professio in subjecto*; hoc est, quod errans Fidem Catholicam susceperit. Stampò.

Q. Diciturne Haereticus, qui ex ignorantia culpabili errorem aliquem contra Fidem retinet?

R. Licet gravissime peccat contra Fidem, quia vult errorem suum fove-

re, et non addiscere ea, quae ex praecepto Fidei tenetur scire, tamen non est dicendus haereticus, quia, etsi error ei sit indirecte voluntarius, deficit tamen pertinacia voluntatis, quae ad haeresim dictam requiritur. Quod si ignorantia isthaec, unde oritur error, affectata sit, tenent aliqui, illum dicendum esse haereticum, praesertim si ignorantia conjuncta sit cum aliquo contemptu auctoritatis Ecclesiae, quia de industria a doctrina, et judicio Ecclesiae Catholicae vult declinare, et ignorantia affectata aequiparatur scientiae. Antoine.

Q. Dubius in Fide estne dicendus haereticus?

R. Si deliberate dubitet de rebus Fidei sibi sufficienter ab Ecclesia propositis, est equidem haereticus ex cap. 1. de Haeret. uti habetur: *Dubius in Fide est infidelis;* ratio est, quia non praebens certum, ac firmum Fidei assensum his veritatibus, credit Ecclesiam non esse regulam Fidei certam, et infallibilem, et proinde credit posse esse falsum, quod Ecclesia proponit esse de fide. Hoc autem, quis potest negare, quod haereticum sit?

Idem dic, si quis de aliqua Fidei veritate sibi sufficienter proposita deliberate dubitet, motus ex concursu difficultatum occurrentium circa illam; quia sic dubitando, judicat concursum illum tantam habere vim, ut incertum reddat, quod uti certum, et de Fide proposuit Ecclesia, et proinde formaliter judicat Ecclesiam esse fallibilem in rebus Fidei proponendis. Dixi *deliberate dubitat*, quia si quis ne scrupulis, et tentationibus agitetur, cogitans de rebus Fidei non consentiendo, neque dissentiendo, intellectum ad alia distrahit, dubius de Fide non dicitur.

Q. Quotuplex est haeresis?

R. Multiplex. Alia enim est materialis, alia formalis. Prima habetur quando quis aliquid credit contra Fidem ob ignorantiam, vel aliquid profert contra Fidem sine assensu interno. Formalis vero dicitur, quando quis habet errorem voluntarium, et pertinacem contra aliquam Fidei veritatem, ut supra dictum est.

Haeresis formalis insuper alia est interna, alia externa occulta, alia externa manifesta. Interna est illa, quae retinetur in mente, nullo signo externo manifestata. *Externa occulta* habetur quando exterius manifestatur, nullo tamen vidente, aut audiente. Externa manifesta habetur, quando coram aliis manifestatur.

Q. Ille qui exprimit errorem suum contra Fidem verbis aequivocis diciturne haereticus externus?

R. Maxime, quia illa verba aequivoca plene significant suam internam haeresim, licet accidentaliter per aliam significationem, quae potest per auditores concipi, occultetur. Sanchez, Bonacina, Salmanticenses.

Q. Si quis mente recogitans errorem suum internum contra Fidem, exterius dicat: ita est, ita credo, fitne Haereticus externus?

R. Minime, quia praedicta verba non plene haeresim animo conceptam exterius significant, nam si forsan illa verba aliquis audiant, intelligere non potest ad quam rem referantur. Ita Salmanticenses, Palaus.

Quare hic nota, quod ut quis sit verus, et formalis Haereticus externus, requiritur, ut haeresim suam animo conceptam exterius significet; et ut actio externa, per quam haeresis interna significatur, et profitetur, sit moraliter mala, et denique ut haeresim suam exterius manifestet animo cum

asserendi, vel profitendi. Hinc si quis haeresim internam retinens, eam in somniis externet, aut alteri communicet vigilans causa capiendae instructionis, vel consilii, haereticus externus non est. Antoine.

Q. Haeretici incurruntne in aliquam poenam?

R. Haeretici formales, et externi, sive occulti, sive manifesti utique incurrunt in poenas tam spirituales, quam temporales.

Poenae spirituales sunt excommunicatio ipso facto Papae reservata, irregularitas, privatio jurisdictionis spiritualis, si haereticus sit nominatim denuntiatus, privatio dignitatum, beneficiorum, et officiorum rite adquisitorum, et inhabilitas ad alia ejusmodi obtinenda, privatio sepulturae Ecclesiasticae, et infamia juris, dummodo sit haereticus notorius, et poena denuntiationis. Poenae autem temporales sunt confiscatio omnium bonorum, et poena capitis. Antoine (1).

Q. Haereticus estne excommunicatus vitandus?

R. Minime, nisi sit nominatim denuntiatus excommunicatus; viget enim etiam pro eo Constitutio Concilii Constantiensis. Verum, an cum eo licita sit communicatio, supra dictum est.

Q. Excommunicatio lata contra haereticos extenditurne ad alios?

R. Maxime, nam extenditur primo ad defensores haereticorum in causa haeresis: secundo ad receptatores, et fautores eorumdem etiam in causa haeresis, etiam si sint amici, vel consanguinei, tertio haereticis credentes, id est eos, qui implicite haereticorum errores credunt, v. g. credunt vera docuisse Calvinum, Lutherum etc. non veniendo ad aliquem explicitum articulum: qui omnes incurrunt etiam in privationem ecclesiasticae sepulturae ex cap. 13. de hereticis.

Q. Haeretici suntne denuntiandi?

R. Maxime, quia quando delictum est valde Religioni, et Ecclesiae perniciosum, est Superioribus deferendum, ut remedium efficax adhibeant, non solum ut ipse delinquens resipiscat, sed etiam ut puniatur ad hoc, ut ceteri, qui possunt tali delicto inquinari, caute se gerant, et ab eo quam longissime absint.

Q. Ante denuntiationem estne praemittenda fraterna correctio?

R. Minime, quia denuntiatio cum fiat ob bonum Fidei, urget non solum, ut delinquens corrigatur, sed etiam ut ad exemplum aliorum puniatur. Patet ex Decreto Alexandri VII. *Licet alias*, ubi habentur illa verba: *etiamsi nulla sit praemissa correctio fraterna.*

Q. Quinam Haeretici sunt denuntiandi?

R. Omnes Haeretici externi, et formales sive occulti, sive manifesti, etiamsi eorum delictum nullo modo probari possit, uti patet ex Propositione 5. damnata ab Alexandro VIII. (2)

(1) Summus Pontifex Pius VII. Constitutionem edidit *Ecclesiam a Jesu Christo* sub die XIII. Sept. an. 1821; qua Carbonarios in excommunicationem Sedi Apostolicae reservatam incurrere sanxit. Illud vero animadversione dignum quod S. Poenitentiaria an. 1822. declaravit hosce vi Bullae Cruciatae absolvi posse, dummodo haeresim non sint professi.

(2) *Quamvis constet evidenter tibi Petrum haereticum esse, non teneris denuntiare, si probare non possis.*

Ratio est, quia probatio non pertinet ad denuntiationem, cum onus probandi totum sit Superioris, cui fit denuntiatio.

Q. Quinam tenentur haereticum denuntiare ?

R. Omnes, qui sciunt, illum esse haereticum, etiamsi sciant sub juramento, vel sigillo naturali, vel ex auditu, dummodo audiverint a viris fide dignis,et etiam si haereticus sit suus Pater, Frater, Consanguineus, imo si sit complex, aut ex tali denuntiatione sibi immineat periculum vitae, quia praevalet bonum Fidei.

Q. Quid si haereticus sit mortuus ?

R. Etiam denuntiandus est ad hoc, ut Superior inquirat, an haereticus mortuus reliquerit post se sectatores, discipulos, vel libros, aut scripta; et eum in terrorem aliorum, declaret mortuum in excommunicatione, et proinde ejus exhumationem de loco sacro praecipiat fieri, si possit, modo tamen ante mortem non resipuit, et errorem detestatus fuit.

Q. Confessarius si ex Confessione Sacramentali aliquem novit haereticum, teneturne illum denuntiare ?

R. Minime, quia quod novit Confessarius in Sacramentali confessione, novit non ut homo, sed ut Dei minister, ideoque debet sub stricto secreto recondere, ne Poenitentiae Sacramentum reddat hominibus odiosum, ac formidabile.

Q. Cuinam facienda est denuntiatio ?

R. Inquisitoribus Sancti Officii in locis ubi viget hoc Tribunal. In nostro autem Regno, ubi hoc Tribunal nullum obtinuit locum, facienda est Episcopo loci, ubi denuntiandus actu existit, vel ubi commisit delictum, vel ubi existit denuntians. Si autem denuntiandus sit Episcopus, vel Nuntius Apostolicus, aut Legatus S. Sedis, denuntiatio facienda est directe Sedi Apostolicae.

Q. In quam poenam incurrit ille, qui tenetur facere denuntiationem, et non denuntiat ?

R. In excommunicationem latae sententiae Papae reservatam, si infra mensem a die qua cognovit suam denuntiandi obligationem, non denuntiavit.

Q. Quid si quis impeditus est ad denuntiandum ?

R. Si impedimentum est perpetuum, vel valde diuturnum, tenetur per mediam personam, v. g. Parochi, Confessarii etc. denuntiare infra supradictum tempus, quia urget bonum Fidei. Si autem impedimentum non est tam diuturnum, potest differri denuntiatio, quousque impedimentum illud temporale esset, dummodo tamen nullum Fidei periculum, v. g. subversionis aliorum ex tali dilatione oriatur.

Q. Tantumne haeretici sunt denuntiandi ?

R. Minime, nam sunt denuntiandi etiam suspecti de haeresi, ut patet ex Decreto Alexandri VII. cit.

Q. Quinam habentur in Jure suspecti de haeresi ?

R. Habentur in jure suspecti de haeresi fautores, receptatores, et defensores haereticorum, qua talium. Item sine legitima facultate legentes, retinentes, imprimentes libros haereticorum, qui de haeresi, vel de Religione tractant, vel libros, qui haereticos, vel errores defendunt: item et libros Necromantiae, aut Astrologiae judiciariae, vel libros Cabalisticos, et

Talmudicos : qui pariter deliberate proferunt blasphemias haereticales, vel laedunt Sacras Imagines, vel abutuntur rebus Sacris, vel verbis Sacrae Scripturae. Apostatae a fide externe tantum, et materiales. Docentes aliquam ex propositionibus ab Ecclesia damnatis, vel eam approbantes. Insurdescentes per annum in excommunicatione majori. Omittentes sine causa, et deliberate Confessionem, vel Communionem annuam. Contrahentes Matrimonium, vivente priore Conjuge, vel cum voto solemni castitatis. Confessarii frangentes malitiose sigillum Sacramentale, putantes id esse licitum. Non sacerdotes Missam celebrantes, vel Sacramentum Poenitentiae administrantes. Sacerdotes in Missa non consecrantes, vel intuitu confessionis ad turpia sollicitantes. Confessarii absolventes complicem in rebus turpibus, vel deobligantes ab onere denuntiationis, cum facienda sit: Sortilegi, Malefici superstitionibus utentes: Astrologi judicarii, et omnes alii utentes ad aliquod ope Daemonis : lacerantes Cedulones ab Ecclesia affixos, et alii. Antoine.

Confessarii absolventes complicem in peccato turpi, vel deobligantes ab onere denuntiationis, sunt denunciandi, si suspicio sit de eorum infirma fide ob adhaesionem praxi damnatae, nam aliter deobligantes ab onere denuntiationis ex Constit. Gregorii XV. sunt corrigendi, et adversus absolventes in re turpi haec poena in jure non statuitur ob infamiam. Vide quae *Benedictus XIV.* statuit in Const. *Suprema, omnium Ecclesiarum*, et alia *Ubi primum*.

§. II. *De lectione librorum prohibitorum.*

Q. Quotuplici ex capite liber potest esse prohibitus?

R. Triplici ex capite. Primo, quia liber est auctoris Haeretici, et continet haeresim, vel de Religione ex professo agit, Sacram Scripturam, v. g. interpretando, Theologicas quaestiones decidendo etc. Secundo, quia liber est suspectus de haeresi, quoniam continet aliquam haeresim, vel propositiones ab Ecclesia damnatas defendit, sed auctor est catholicus. Tertio, quia liber tractat de obscoenis, vel de magicis.

Q. Estne licita librorum prohibitorum lectio?

R. Lectio librorum prohibitorum, qui facile cor legentium depravare possunt, non solum jure ecclesiastico prohibita est, sed etiam jure naturali, unde ex genere suo graviter illicita est, et ita illicita, ut etiamsi lector facultatem a S. Sede obtinuerit pro eorum lectione, nec adhuc legere potest, si in Fide sit infirmus, et in moribus non bene sanus aut minus doctus, et in rebus theologicis nec satis versatus, quia facultas illa si a Lege eximit, non tamen periculum subversionis removet. Praeterea etiamsi periculum nullum subversionis adsit, lectio tamen librorum prohibitorum est omnibus sive doctis, sive indoctis, sive in Fide firmis, sive imbecillibus ratione praecepti Ecclesiae est prohibita, atque proinde graviter illicita. Ecclesia enim potuit, et voluit prohibere hujusmodi lectionem non solum ob periculum subversionis, sed etiam in odium auctoris, et in poenam haeresis, vel falsae, aut turpis doctrinae in libro existentis. Antoine.

Q. Quid venit nomine libri prohibiti?

R. Venit ex usu Ecclesiae, consensu Patrum, et stylo Curiae Romanae

*

omnis scriptura sive typis edita, sive manuscripta, sive brevis, sive prolixa, item Oratio, Concio, Dissertatio, Epistola quae prohibita sit, quia haeresim continet, vel haeresis suspicionem, vel turpia, aut magica. Antoine.

Q. In quam poenam incurrit, qui librum prohibitum legit?

R. Legens librum prohibitum, cujus auctor est haereticus, et haeresim continet, vel de Religione ex professo tractat, incurrit excommunicationem Papae reservatam, dummodo scienter legat, et in materia notabili. Quam excommunicationem incurrit etiam ille, qui scienter retinet, imprimit, et ad impressionem hujusmodi libri proxime cooperatur, vel quomodolibet defendit librum, v. g. vindicando ab incendio, subtrahendo a manu Superioris, ne probibeatur, laceret, etc. laudando, defendendo doctrinam in libro contentam etc. Item sub poena excommunicationis Papae reservatae ipso facto non licet legere libros de Astrologia judiciaria agentes, ac de Divinatione, de rebus contingenter futuris, ex Bulla Xysti V. *Coeli*, *et Terra*. Item sub eadem poena non licet legere libros Talmudicos, vel alios Hebraeorum libros, qui errorem conti[illegible]t ex Bulla Clementis VIII. *Cum Hebraeorum*.

Libri omnes haeresiarcharum sunt probibiti, etiamsi non tractent de Religione, et qui illos legunt graviter peccant, et in excommunicationem Indicis nemini reservatam incidunt, idque in odium auctoris, et ne lector ad alia ejus opera legenda alliciatur.

Qui legit librum, cujus auctor est Catholicus, quique prohibitus, quia doctrinam non satis sanam continet; sed suspectam, vel moribus aliquo modo adversam, incidit in excommunicationem nemini reservatam, et idem dic de retinente, imprimente, defendente. Antoine.

Qui legit librum prohibitum, quia obscoena continet, vel magica, praeter peccatum, in nullam poenam incidit.

Q. Quid si quis legat librum auctoris catholici, in quo aliquae sunt adnotationes ab haeretico factae circa Fidei veritates?

R. Non incidit in excommunicationem Papae reservatam, si ab Ecclesia non est prohibitus, quia auctor libri Haereticus non est. Quod verum est, etiam si legat animo addiscendi haeresim, peccat tamen ob pravum animum addiscendi haeresim. Incidit autem in excommunicationem nemini reservatam, quia liber hujusmodi factus est suspectus de haeresi. Quod si liber Catholici tam copiosis commentariis Haeretici auctoris cumulatus sit, ut liber videatur magis ex eis constare, quam ex Textu Catholici, tunc lector excommunicationem Papae reservatam legendo incurrit, quia revera librum Haeretici legit.

Q. Qui non legit, sed aliis dat librum Haereticorum, incurritne in excommunicationem?

R. Si dat simpliciter, licet peccet graviter, quia dat alteri occasionem peccati, excommunicationem tamen non incurrit. At si dat alicui, ut illum legat, et ipse legentem audiat, incurrit in excommunicationem, quia dat fraudulenter, et videtur ipse legere, nam qui per alium facit, per seipsum facere videtur, ex regul. 72. Juris in VI.

Q. Si aliquis hos libros legens, eos non intelligat, incurritne in excommunicationem?

R. Maxime, quia si incurrit qui retinet, a fortiori incurrit, qui legit, licite illos non intelligat.

Q. Si liber sit prohibitus usque dum non expurgetur, potestne quis eum retinere, donec correctio fiat?

R. Minime, quia revera retinet librum prohibitum; et patet ex Propositione 41. ab Alexandro VII. damnata (1).

Q. Daturne in lectione librorum prohibitorum parvitas materiae?

R. Maxime, sed quae sit haec parvitas, non conveniunt in designando Doctores. Alii enim dicunt sufficere quindecim lineas ad gravitatem materiae. Alii requirunt medium paginae etc. Hoc solum verum est esse materiam gravem, si legantur illae lineae, in quibus continetur error, vel doctrina falsa, aut seducens, pro qua liber prohibitus est. Item certum est, quod prohibito libro, censetur prohibita quaevis pars ejus, etiamsi errorem vel turpitudinem non contineat. Denique verum est, quod parvitas materiae datur etiam pro tempore retentionis libri prohibiti. Quae autem sit haec temporis parvitas discretione viri prudentis est decernendum. Antoine.

Q. Estne licitum Bibliopolae vendere, vel emere libros prohibitos?

R. Minime, quia per hanc negotiationem undequaque libri pestiferi disseminantur, et praebetur plerisque peccandi occasio. Imo nec vendere potest, etiamsi ignorans librum esse prohibitum, illum emerit, quia rem vitio affectam venderet, et occasionem emptori praeberet legendi, vel retinendi eum, non secus ac qui falsam, vel depravatam accepit monetam, non potest alteri tradere pro mercede. Antoine.

Q. Liber in aliquo idiomate prohibitus censeturne esse etiam prohibitus, si in aliud idioma translatus sit?

R. Maxime, et patet ex regula pro correctione librorum statuta a Clemente VIII., in qua id expresse notatur.

Q. Quinam potest concedere licentiam legendi, retinendi etc. libros prohibitos?

R. Olim poterant Episcopi, vel S. Officii Inquisitores, sed per Constitutionem Gregorii XV. *Apostolatus officio etc.*, hujusmodi licentia concedenda reservata fuit Congregationi S. Officii, vel Congregationi Indicis, ac Magistro Sacri Palatii Apostolici (1).

(1) *Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur.*

(1) Tridentini Patres Lateranensis V. Synodi vestigiis inhaerentes sess. IV. edixerunt: *ut nulli liceat inprimere, vel imprimi facere quoscumque libros de rebus sacris sine nomine auctoris, neque illos in futurum vendere, aut etiam apud se retinere, nisi primum examinati, probatique fuerint ab Ordinario sub poena anathematis.* His adde regulam X. Indicis, qua penitus ea omnia confirmantur, quae ab hisce Synodis constituta fuerunt. Hinc jure Dioecesis Neapolitanae cautum quod in excommunicationem Ordinario reservatam incurrant *cujusvis conditionis personae, quae libros in Civitatem, vel Dioecesim introducunt, vel scienter introductos tradent, aut traditos recipiunt, sive etiam de eadem Civitate, et Dioecesi extrahunt, priusquam a Deputatis nostris fuerunt recogniti. Similiter Bibliopolae, qui bibliothecas emunt, non exhibita prius praedictis Deputatis emptorum librorum cathalogo: Transgressores autem etiam de nostrâ licentia nunquam absolvantur, quoad usque libros sine praedictis requisitis introductos, aut emptos recognitioni subjecerint. Typographi similiter, et eorum Operarii, qui sine nostra, vel Vicarii nostri licen-*

§ III. *De Apostasia*, *et Schismate*

Q. Quotuplex est Apostasia, et quid ?

R. Apostasia triplex est : nempe Apostasia a Fide, Apostasia a Religione, et Apostasia ab Ordine. Hinc Apostasia a Fide est error voluntarius, et pertinax contra omnem veritatem Fidei, sive recessus a tota Fide Christiana, quam per Baptismum recepit : Apostasia a Religione, sive ab Ordine religioso est criminosa recessio a religiosi Ordinis instituto ad statum vitae saecularis, dimisso habitu Religionis, vel saltem cum proposito non amplius ad Religionem redeundi.

Apostasia ab Ordine est recessus ab Ordine Clericali, quo quis sacris Ordinibus initiatus ad statum saecularem, v. g. conjugii, vel laicae conversationis, dimisso habitu se transfert.

Q. In quam poenam incidunt Apostatae ?

R. Apostatae a Fide incurrunt in excommunicationem Papae reservatam ipso facto, ceterasque poenas, in quas incurrunt Haeretici, nam haec Apostasia est vera haeresis imo et haeresi nequior,cum omnem abjiciat Fidem.

Apostatae a Religione incurrunt in excommunicationem nemini reservatam ex cap. *Ut periculosa* Cap. *Ne Clerici*, *vel Monachi in VI.* et si in Apostasia recipiant Ordines sacros, incidunt in suspensionem ab eis Papae reservatam, Cap. *Consultationi* de Apostat.

Apostatae ab Ordine ipso jure incidunt in infamiam, Cap. *Beatus* 3. quaest. 4.; et si monitus non resipiscat, est deponendus, cap. *Praecipimus* 21. q. 4.

Q. Recipientes Apostatas incurruntne in aliquam poenam ?

R. Incurrunt in excommunicationem Papae reservatam, si sint illi Apostatae a Fide, non secus ac receptores Haereticorum. Si autem sunt Apostatae a Religione, eorum receptatores incidunt in eamdem excommunicationem ex vi Bullae Pauli IV., quae incipit: *Postquam.*

Q. Quid est Schisma, et quotuplex ?

R. Schisma est voluntaria separatio ab unitate Ecclesiae.

Duplex est, purum, et non purum. Purum est illud, quod opponitur tantum paci, et charitati, sed non Fidei, ut si quis malitiose, et sine ulla legitima ratione recederet ab obedientia Romani Pontificis. Non purum est illud, quod opponitur Fidei simul, et charitati, atque paci, uti si quis abstraheret se ab obedientia Pontificis negando Primatum ejus etc.

Q. Schismatici incurrantne in aliquam poenam ?

R. Incidunt in excommunicationem ipso facto Papae reservatam, uti hae-

tia libros, aut cujuscumque generis folia imprimunt; praeterea Auctores eorum, si typis mandent, vel quicumque mandari faciant. Casus XIII. in tabella.

Illud vero animadversione dignum, quod ex communi praxi non incidunt in casum qui libros minime prohibitos introducant, vel extrahant : item typis dantes Advocatorum allegationes.

Denique ad rectam hujusce casus intelligentiam praestat heic adferre pacta inita inter Pium VII. et Ferdinandum I. olim Regem nostrum pientissimum, quae art. XXIV. novissimae Conventionis an. 1818. continentur : *Ogni qualvolta gli Arcivescovi, ed i Vescovi ne' libri introdotti o che s' introducono stampati, o che si stampano nel Regno troveranno qualche cosa contraria alla dottrina della Chiesa ed ai buoni costumi, il Governo non ne permetterà la divulgazione.*

retici, etiamsi interius haeretici non sint, collatio beneficii ecclesiastici facta Schismaticis est irrita. Iidem privantur etiam beneficiis antea rite obtentis, si haeretici sint. Fiunt inhabiles ad beneficia in posterum obtinenda. Privantur omni potestate Ordinis, et jurisdictionis, et denique si notorii sint fiunt irregulares.

Q. Defe nsores, Fautores, Receptatores Schismaticorum incurruntne in aliquam poenam?

R. Si sunt Shismatici puri, eorum Defensores, Fautores, Receptatores incidunt in excommunicationem nemini reservatam ex Constitutione Pauli IV. *Cum Apostolatus*. Si vero sunt non puri, incidunt in excommunicationem Papae reservatam, uti Fautores, Defensores etc. haereticorum.

CAPUT VI.

De Spe

Spes sumi potest multipliciter, primo pro ipsa re sperata: ita sumitur in Epist. ad Tit. 2. *Expectantes beatam spem*. Secundo pro illa persona, in qua alterius fiducia reponitur. Sic illud Psalmi 90.: *Tu es Domine, spes mea*. Tertio pro habitu, vel actu voluntatis expectantis bonum aliquod futurum arduum, et difficile, ita tamen, ut si bonum illud naturae viribus obtineri possit, dicitur spes humana: si autem, quod speramus, solum viribus gratiae, et adjutorio Divino consequi possumus, dicitur spes supernaturalis, Divina Theologica, de qua hic.

Q. Quid est Spes Theologica?

R. Est Virtus Theologica divinitus infusa, per quam certa cum fiducia expectamus, et desideramus consequi Bonum infinitum, seu aeternam beatitudinem, scilicet Dei perfectam possessionem, et media illius assequendae ex gratia, et meritis Christi.

Q. Quotuplex est Spes?

R. Duplex: habitualis, et actualis. Habitualis est ipsemet spei habitus divinitus infusus, seu ipsamet spei virtus, ut supra definita est. Actualis est actus supernaturalis, quo certa cum fiducia expectamus; et per merita Christi desideramus consequi bonum infinitum, quod est Deus.

Item spes alia est formata, alia est informis. Prima est illa, quae in Anima justi cum charitate conjuncta est. Secunda est illa, quae reperitur in peccatore a charitate sejuncta. Virtus namque spei non amittitur, nisi per peccatum desperationis; sicut virtus fidei non amittitur, nisi per peccatum infidelitatis. Neque per peccatum spes desinit esse vera virtus, ac supernaturale Dei donum; ut patet ex Tridentino sess. 6. Cap. 6. Stampò.

Q. Quotuplex est objectum Spei?

R. Duplex, formale nempe, et materiale. Formale item est duplex, scilicet *formale quod*, et *formale quo: Formale quod* (seu ratio illa, sub qua spes Divinam attingit bonitatem) est ipsamet bonitas Divina, sive in se sumpta, sive prout est creaturae rationalis futura beatitudo in Patria coelesti obtinenda. Objectum vero *formale quo*, seu medium, quo spes attingit Deum, est promissio ipsius Dei auxiliatoris omnipotentis, infinite misericordis, ac fidelis in promissis factis propter merita Jesu Christi.

Objectum autem materiale primarium est ipsemet Deus in Patria possidendus, secundarium vero sunt auxilia divina, et alia bona tam ordinis supernaturalis, quam naturalis ad ipsum Deum conducentia, tamquam media, quorum pleraque in Oratione Dominica continentur. Stampò.

Q. Quodnam est Spei Theologicae subjectum?

R. Omnis rationalis creatura, quae spem hujusmodi concipere valeat. Hinc reperitur Spes Theologica in omnibus fidelibus, viatoribus, et in Animabus, quae in Purgatorio detinentur. Isti enim valent ad concipiendam spem beatitudinis obtinendae. At non reperitur in Beatis; quia Deum jam possident; non in Damnatis, quia de aeterna Dei privatione certi sunt. Non in Haereticis, et infidelibus, quia deest eis Fides, quae rerum sperandarum substantia est.

Q. Adestne Praeceptum Divinum speciale Spei?

R. Maxime, et est de Fide. Habemus enim ex Apostolo ad Timotheum. *Praecipe . . . . . neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo.* Hinc Augus inus tract. 83. in Joannem, ait: *De Fide nobis, quam multa mandata sunt, quam multa de Spe.*

Q. Hoc praeceptum estne affirmativum, an negativum?

R. Est affirmativum, et negativum simul. Affirmativum, quatenus tenemur aliquando elicere actum spei. Negativum, quatenus semper tenemur non desperare de Divina Misericordia, neque praesumere de nostris meritis, aut incuriam de nostra salute aeterna fovere.

Q. Tenemur ergo aliquo vitae tempore elicere actum Spei ex vi praecepiti Divini?

R. Maxime, tum quia praecepta affirmativa dantur ad eliciendos actus virtutum, tum quia spes est medium ad salutem necessarium, ut testatur Apostolus ad Romanos cap. 8. *Spe enim salvi facti sumus*, tum quia ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 6. est dispositio necessaria in adulto ad justificationem obtinendam. Hinc recte damnata fuit ab Alexandro VII. Propositio illa: *Homo nullo unquam vitae suae tempore, etc.* quam retulimus cum de actu Fidei eliciendo loquuti sumus.

Q. Quo tempore tenetur quis elicere actum spei?

R. Tenetur directe, et ex praecepto spei elicere illius actum. 1. Cum perveniens ad usum rationis, novit se ad aeternam beatitudinem deputari; nam tunc ad Deum, qui suam efficit beatitudinem debet per spem animum suum intendere. 2. In articulo, vel periculo mortis ex eadem ratione. 3. Quando urget tentatio contra spem, et aliter superari non potest. 4. Saepe in vita. Recole, quae diximus de actu Fidei.

Indirecte, et per accidens tenemur. 1. Cum actus alterius virtutis est eliciendus. 2. Quando aliter tentationem aliquam vincere non possumus, nisi per actum spei. 3. Quando debemus Sacramenta recipere, et justificari, quia spes et medium justificationis. Antoine.

Q. Quot sunt vitia opposita spei?

R. Sunt duo, desperatio, et praesumptio. Desperatio, quae per defectum opponitur spei, est voluntas efficax, qua peccator abjicit omnem spem consequendi ex Divina Misericordia salutem aeternam ob criminum multitudinem, ac cordis sui duritiem, vel ob mandatorum Divinorum observantiam difficilem a se putatam. Praesumptio vero est inordinata confidentia in Divi-

na Misericordia consequendi salutem aeternam sine suis operibus bonis, vel eam consequendi, solis viribus suis, sine gratiae Divinae adjutorio, vel eam consequendi, quando ipse voluerit, et quomodo voluerit. Utrumque vitium potest conjungi cum haeresi, si contineat aliquem errorem contra Fidem. Utrumque est peccatum ex toto genere suo mortale; unde materiae parvitatem excludit, cum in omni ejus parvitate reperiatur tota, et completa malitia.

CAPUT VII.

De Charitate

Q. Quid est Charitas, et quotuplex?

R. *Charitas est virtus theologica divinitus infusa, qua diligitur Deus propter se, super omnia et proximum propter Deum.*

Charitas duplex est, habitualis, et actualis. *Habitualis* est ipsamet virtus divinitus infusa, sive ipsa Dei dilectio permanenter Animae inhaerens, donec per peccatum removeatur. *Actualis* autem est exercitium ejusdem virtutis, seu actus, quo Anima in Deum fertur.

Q. Quotuplex est charitas actualis?

R. Duplex, perfecta, et imperfecta. *Perfecta* est illa, qua Deus super omnia diligitur cum non mediocri intensione. *Imperfecta* est illa, qua Deus diligitur super omnia in gradu tamen remisso. Stampò.

Q. Quotuplex est objectum charitatis?

R. Duplex: materiale et formale. *Materiale* item duplex, materiale primarium, et materiale secundarium: primum est ipsemet Deus: materiale secundarium nos ipsi, et proximus.

Objectum formale item duplex, formale *quod*, et formale *quo:* formale *quod* seu primarium, ac specificum, est ipsa Divina bonitas, seu ipsemet Deus, prout est in se infinite bonus, atque perfectus. Prout autem est nobis etiam infinite benevolus, ac beneficus, est etiam objectum formale *quod* charitatis, sed secundarium; nam benevolentia, et beneficentia Dei erga nos reddunt etiam Deum summe amabilem, ac nobis ostendunt Deum esse infinite bonum in se, et infinite perfectum. Stampò.

Q. Ergo nullum datur specificum discrimen inter Spem, et Charitatem, cum utraque habeat idem objectum, nempe Deum bonum in se, et nobis benevolum, atque beneficum?

R. Maxime. Multum enim differt spes a charitate non ratione objecti, sed ratione tendendi in idem objectum, nempe Deum in se infinite bonum ac perfectum, ac nobis benevolum, et benefacientem, nam aliter in Deum tendit spes, aliter charitas, ut ait D. Thomas 2. 2. q. 23, art. 6. ad 3. ibi; *Idem bonum est objectum charitatis, et spei. Sed charitas importat unionem ad illud bonum: spes autem distantiam quamdam ab eò, et inde est quod charitas non respicit illud bonum ut arduum, sicuti spes; quod enim jam unitum est non habet rationem ardui.* Stampò.

Q. Quodnam est objectum formale quo *charitatis?*

R. Objectum formale *quo* charitatis, sive ratio, sub qua charitas attingit Divinam bonitatem, est ipsa Divina bonitas: nam amamus Deum summe

bonum, quia est summe bonus, seu quia est ipsa infinita Bonitas. Stampò.

Q. Daturne praeceptum Divinum speciale diligendi Deum amore supernaturali?

R. Maxime: tenemur ex speciali praecepto charitatis diligere Deum amore supernaturali, scilicet tanquam summum Bonum in seipso, et ultimum hominis Finem Fide Divina nobis propositum. Et licet docuerint aliqui praeceptum diligendi Deum impleri per observantiam Divinorum praeceptorum, neque per se, et ex virtute charitatis adesse explicitam obligationem eliciendi aliquando supernaturalem charitatis actum, attamen quam falsa sit eorum sententia, et quod revera adsit hujusmodi speciale mandatum, patet ex illo Deutheronomii VI. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota Anima tua* etc. Praeterquam quod si praeceptum diligendi Deum non esset speciale, sed generale, non diceretur primum, atque maximum, ut dictum fuit a Christo Matth. 12. Probatur etiam ex Propositione 1. ab Alexandro VII. proscripta, quam retulimus, cum de actu Fidei sermo fuit, et ex hac Alia Propositione ab Alexandro VIII. damnata tanquam haeretica (1). Antoine, Stampò, Concina.

Q. Hoc praeceptum estne affirmativum, vel negativum, et estne necessario adimplendum?

R. Est affirmativum, quatenus tenemur quibusdam temporibus elicere actum internum, et supernaturalem amoris Dei super omnia propter se. Est simul negativum, quatenus nunquam debemus odisse Deum, imo et evitare omnem ejus gravem offensam, utpote quae Dei amicitiam destruit. Est enim adultis adimplendum necessitate medii: quia simpliciter necessarium ad salutem aeternam consequendam demonstrant Sacrae Literae pluribus in locis, praesertim Lucae cap. 10, ubi Legisperito Christum interroganti, quid sibi faciendum, ut vitam aeternam consequeretur, ipse Christus respondit: *In lege quid scriptum est? Quomodo legis?* Ille respondens dixit: *Diliges Dominum Deum tuum.* Cui Christus respondit iterum: *Recte respondisti, hoc fac, et vives.*

Q. Tenemur ergo aliquo vitae tempore elicere actum expressum internum amoris erga Deum?

R. Maxime: nam licet speciali charitatis praecepto toto nostrae vitae tempore teneamur ita in charitate vivere, ut charitas dicatur actu, vel virtute animare nostras morales actiones, cum Deum debeamus semper, et toto corde, tota mente, et totis viribus diligere, attamen datur aliquod vitae tempus, quo vel directe, vel indirecte actum charitatis formalem, et expressum elicere quisque tenetur. Et quidem tenetur directe, et ex virtute charitatis elicere ejus actum. 1. Moraliter loquendo, cum quis adeptus est usum rationis sufficientem, atque Dei Summi Boni incipit distinctam habere notitiam. 2. In articulo, vel periculo mortis, quamvis Sacramenta suscepta sint. 3. Quando urget gravis tentatio odii contra Deum, vel committendi peccati mortalis periculum, quod repelli non potest, nisi per actum charitatis. 4. Saepe in vita. Rationes, ex quibus in his circumstantiis teneamur ad hujusmodi charitatis actum, allatae fuerunt cum de actu Fidei sermo fuit. Concina.

(1) *Sufficit ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative: Hinc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitae suae mortalis.*

Aliquando tenemur indirecto, et per accidens et 1 Eo tempore, quo eliciendi sunt actus aliarum virtutum, v. g. Fidei, Spei, Religionis, poenitentiae etc. 2. Quando Sacramenta sunt suscipienda. 3. Quando aliqua tentatione vexamur contra alias virtutes, quam repellere per actum charitatis possumus.

Hinc non sufficit, semel elicuisse actum charitatis in toto vitae decursu, et patet ex Propositione 5. ab Innocentio XI. damnata (1).

Neque sufficit elicere ejusmodi actum tunc solum, quando tenemur justificari, ut patet ex propositione 7. ab eodem Pontifice proscripta (2).

Neque sufficit, si singulis quinquenniis charitatis actus eliciatur: et patet ex Propositione 6. ab eodem Pontifice damnata (3). Stampò.

Q. Tenemurne omnes nostras actiones ex praecepto charitatis referre ad Deum?

R. Maxime, nam si Deus Matth. cap. 22. exigit a nobis amari ex toto corde nostro, et tota mente nostra, et totis viribus nostris, quid ergo exigit, nisi quod actiones quoque, et opera nostra ad eum referamus? Si vult sibi sacrificari totum cor, totam Animam nostram, potiori jure vult sibi litari omnes ejusdem partus fructus, et opera.

Hinc D. Thomas 1. 2. q. 100. art. 10. ad 2. ait: *Sub praecepto charitatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde; ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum, et ideo praeceptum charitatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referantur ad Deum.* Sed longe ante D. Thomam hanc veritatem docuit Apostolus 1. ad Corinth. 10. *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Quae Apostoli sententia non consilium indicat, sed verum praeceptum, ut ait D. Thomas in epistola ad Colossenses cap. 3. ibid: *Quinam dicunt, quod hoc est consilium, sed hoc non est verum.*

Q. Hoc praeceptum referendi actiones nostras ad Deum estne affirmativum, vel negativum?

R. Est affirmativum simul, et negativum. Est affirmativum, quatenus jubet nostra opera ad Deum referri. Hinc D. Thomas 1. 2. q. 88. art. 1. ad 2. ait: *Dicendum quod illud praeceptum Apostoli: sive manducatis, sive bibitis, sive aliquod aliud facitis, omnia in Dei gloriam facite, est* affirmativum, unde non obligat ad semper, et sic non facit contra hoc praeceptum quicumque non actu refert in gloriam Dei omne, quod facit.

Est negativum, quatenus prohibet, ne ad finem pravum opera nostra referamus, neve aliquod bonum bono Divino praeferamus: neque quidquam agâmus contra amorem Dei, seu quod amori, et gloriae Dei, repugnat. Hoc praeceptum utpote negativum obligat semper, et pro semper. Concina.

Q. Quandonam obligat praeceptum hoc, quatenus affirmativum est?

R. Obligat eo tempore, quo urget praeceptum amandi Deum. Ita D. Thomas 2. distinct. 60. q. 10. art. 5. ad 6. ibi.: *Et si quaeratur, quando oporteat actum referre in Finem ultimum, hoc nihil aliud est, quam*

(1) *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.*

(2) *Praeceptum charitatis erga Deum tunc solum obligat, cum tenemur justificari.*

(3) *Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare praeceptum charitatis erga Deum.*

quaerere, quando oporteat habitum Charitatis exire in actum: quia quandocumque habitus charitatis existit in actum, fit ordinatio hominis in finem ultimum. Concina.

Q. Quotuplex est intentio, qua opus in Deum referri potest?

R. Triplex, scilicet, actualis, virtualis, et habitualis, seu interpretativa. Actualis est illa, quae in actu expresso formali, et reflexo sita est, ita ut omne opus actu referatur in Deum. Virtualis cum duplex sit: prima est effectus intentionis formalis, expresse dirigendi omnia opera in Deum, quae intentio virtute permanens in subsequentes actiones influit. Altera est illa, quae nullum praesupponit actum, qui actiones expresse in Deum dirigat, sed suapte virtute, et implicita quadam agentis intentione opus honestum in Deum ultimum Finem refert, cum scilicet agens ad opus honestum ex fine christianae virtutis, ac honestatis suscipiendum movetur; quae intentio virtualis objectiva nuncupari solet. Habitualis, sive interpretativa est illa, quae in agentis propensione consistit, ita ut agens eam haberet, si de ea cogitaret. Concina.

Q. Quaenam ex his ad praecepti adimpletionem requiritur?

R. Prima optima est, sed ad eam non tenemur, propter humanae naturae imbecillitatem, ita D. Thomas q. 2. de charitate art. 2. ad 2. Tertia, seu habitualis non est satis, quia, ut ait D. Thomas loc. cit. ad 3. *Qui habitualiter refert in Deum, nihil agit, nec aliud actualiter intendit, uti dormiens*, et in 2. distinct. 60. art. 5. ad 6. *Dicendum quod non sufficit omnino habitualis relatio actus in Deum; quia ex hoc, quod est in habitu nullus meretur, sed ex hoc, quod actu operatur.* Concina.

Secunda vero sufficit: nam loquendo de virtuali primo modo accepta, ait D. Thomas libro 3. contra Gentes cap. 138.: *Voluntas praecedens actum, manet virtute in tota consecutione actus, et ipsum laudabilem reddit, etiam quando de proposito voluntatis, propter quod actus incipit, in executione operis non cogitatur.*

Sufficit etiam virtualis secundo modo accepta, nam cum omnis honestas; et actus christianae virtutis, semper ac aliquo pravo fine operantis non deturpetur, ex natura sua referatur, et ordinetur ad Deum, utpote qui est prima, ac vera regula, fons, et finis omnis honestatis ac virtutis, sequitur, quod cum quis aliquid ex fine virtutis, et honestatis agat, ex se illud referat in Dei gloriam, et conforme Divinae voluntati sit opus. Antoine, Collet, Slampò, Concina.

Q. Quamdiu actus ille charitatis efficax, seu actualis, quo homo se, suaque omnia in Deum dirigit, vel ex christianae virtutis vi agere proponit, durat in impressione relicta in voluntate, ceterisque actionibus?

R. Salmanticenses Scholastici tract. de ultimo fine disp. 4. dubio 151. docent, suapte natura durare per totam vitam, nisi retractetur. Verum haec doctrina ceteris non arridet, et quidem bene. Hinc dicendum, quod licet perduret usque dum non retractetur, ne tamen paulatim evanescat, fovendus est, et instaurandus repetitione actuum formalium charitatis dirigentis opera ad Deum ultimum Finem, et eadem frequentia, qua actus charitatis expressus, et formalis est exercendus, uti diximus, explicando iy *saepe in vita*. Concina.

Quae hactenus dicta sunt, clare indicant, quam falsa, erronea, et scan-

dalosa si sententia eorum, qui asserebant, comedere, et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non esse peccatum; ille enim, qui sic comedit, et bibit, quam relationem habet ad Deum ultimum finem? non actualem, non virtualem: ergo nullam ad Deum, sed omnem ad ventrem, qui ipsius Deus est, juxta effatum Apostoli, ad Philipp. 3. *Quorum Deus venter est.* Quare hujusmodi sententia rite ab Innoc. XI. proscripta fuit. (1).

Hinc tamen adverte. Primo satietatem, quae hic proscribitur, non esse illam, quae famem expellit, sed illam, quae immoderatam cibi quantitatem, post famis remotionem, sumit. Secundo ea, quae dicta sunt de immoderata sumptione cibi, et potus ob solam voluptatem, dicenda esse etiam de omni aliorum sensuum exercitio, v. g. auditu, olfactu, visu etc., quando ob solam voluptatem ponitur, quia nisi aliquis honestus finis accedat, uti esset reparatio virium corporalium, adquisitio alicujus sperimentalis notitiae etc. illud exercitium omni debet vacare relatione ad Deum. Concina.

Q. Quotuplex est amor, quo Deus diligi potest?

R. Duplex, appretiativus nempe, et intensivus. Appretiativus dicitur cum Deum summum bonum in se ipso diligimus, et eum omnibus rebus praeferimus, et tali amore praediti parati sumus omnia mala perferre, et bona omnia, etiam charissima dimittere, ne Deum offendamus. Intensivus autem dicitur, cum hic amor non solum appretiativus est, sed adjunctum sibi etiam habet fervorem vehementiorem, et conatum intensiorem in Deum, ita ut vi illius amans feratur non solum ad adimplenda enixe praecepta, sed etiam consilia evangelica, et ad sublimioris perfectionis viam percurrendam. Stampò, Concina etc.

Q. Quo amore tenemur diligere Deum ex praecepto Charitatis?

R. Tenemur diligere Deum amore appretiativo. Cum enim ex praecepto charitatis praecipiatur nobis amor ille, qui efficax sit ad observanda Dei Praecepta, ad omnem ejus offensam vitandam, et ad praeferendum quibuscumque Creaturis Deum, hoc totum per amorem Dei appretiativum adimplemus.

Verum nota, quod cum dicimus sufficere amorem appretiativum, non intelligimus excludere ab eo aliquem fervorem, intentionem, et conatum in Deum, nam non potest esse vere appretiativus amor, nisi ei conjunctus sit fervor, intentio, et conatus in Deum; sine enim hujusmodi conatu, et fervore non valebit equidem amans praeferre Deum Creaturis, quae cor humanum apparatu fallaci seducunt, et a Deo avertunt, neque valebit tentationibus obsistere, et mundi oblectamenta evitare.

Q. Tenemurne ex praecepto charitatis ejus augmentum in nobis procurare, et quomodo illud procurare valemus?

R. Maxime tenemur augmentum charitatis nobis procurare, quia tenemur in nobis procurare gratiae profectum, ut apparet ex 2. Petri cap. 3.: *Crescite in gratia, et in cognitione Domini nostri, et Salvatoris Jesu Christi*: At in Gratia Christi, ejusque cognitione crescere non possumus, nisi crescamus etiam in charitate; nam Gratia, et charitas idem denotant: igitur si tenemur crescere in prima, tenemur crescere in altera. Charitatis au-

(1) *Comedere, et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.*

tem augmentum procuramus per frequentius charitatis, ceterarumque Virtutum exercitium, et per accuratiorem divinorum Praeceptorum observantiam.

Q. Quaenam sunt praerogativae Charitatis Theologicae ?

R. Sunt plures: quarum Prima est, quod reddat hominem Dei amicum, ut patet ex pluribus Sacrae Scripturae locis. Hinc charitate praeditus Deum amat, ejusque gloriam, honorem, cultum, obedientiam procurat, et Deus vicissim illum diligit, ut ipse Deus, Proverb. 8. testatus est: *Ego diligentes me diligo.* Item bona sua coelestia ei tribuit, ac Gratiam, et ad coelestem haereditatem jus confert.

Secunda: Charitas Theologica est vita Animae, sicut corporis vita Anima est. Siquidem per charitatem Spiritus Sanctus Animam Hominis vivificat.

Tertia: Charitas valorem tribuit bonis operibus, ut mercedem vitae aeternae obtineat. Nam licet opera ceterarum virtutum bonitatem habeant ex objecto, et proinde aliquo praemio dignentur; nisi tamen cum charitate conjunctae sint, nihil valent ad vitam aeternam obtinendam; patet ex verbis D. Pauli 1. ad Corinth. 13.: *Si linguis hominum loquar, et Angelorum, charitatem autem non habuero, factus sum velut aes sonans, et cymbalum tinniens: et si habuero omnem Fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum, etc.*

Dixi quod charitas efficit, ut opera bona vitae aeternae mercedem obtineant; quia fieri potest etiam sine charitate proprie dicta aliquod opus, quod sit moraliter bonum, et quod non sit peccatum, imo sit aliqua mercede non aeterna dignum. Id accidit in eo, qui hujusmodi charitate destitutus, opus bonum ex objecto, et fine proximo ponit sic et aliquo praemio fit ex eo dignus. Liquet ex divinis Scripturis, nam Exodi 1. Deus remuneratus fuit Obstetrices Ægyptiorum, eo quod, spreto Pharaonis mandato, ex misericordia Mares Judaeorum servarunt: *Benefecit Deus Obstetricibus.* Et D. Augustinus Epist. 138. ad Marcellinum asserit, quod mercedem Deus tribuit Romanis eorum dominationem amplificando, eo quod virtutes aliquas exercuerunt. Non est autem dicendum, quod Deus iniquitatem istorum remunerari voluisset; ergo dicendum cum D. Augustino laudato, et cum D. Thoma, *quod benignitas mentis, non autem iniquitas remunerata a Deo fuit.* Concina.

Hinc merito profligatus Novatorum error docentium, quod, ut opus sit moraliter bonum, et non sit peccatum, requiratur Fides justificans, et formata, seu conjuncta cum charitate theologica proprie dicta (1).

CAPUT VIII.

De Proximi dilectione

Q. Daturne Praeceptum divinum diligendi Proximum ?

R. Maxime, et patet ex Matth. 22.: *Diliges Proximum tuum sicut te-*

(1) Merito a S. Pio V. damnatae Baji Propositiones, scilicet 25.: *Infidelium opera sunt peccata, et Philosophorum virtutes sunt vitia:* et n. 35. *Omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est,* et alia num. 11. ab Alexandro VIII. proscripta: *Omne, quod non est ex Fide christiana supernaturali, quae per dilectionem operatur, peccatum est.* Concina.

ipsum, et Joan. 15: *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Quod praeceptum est affirmativum simul, et negativum: affirmativum, quatenus obligat ad amandum Proximum amore benevolentiae affectivo, et effectivo propter Deum; unde objectum formale charitatis Proximi est infinita Dei Bonitas infinite amabilis, quae nos movet ad amandum Deum, et Proximum propter Deum, eo quod ad Deum pertinet, et Deus eum amat. Est negativum, quatenus prohibet semper, et pro semper odium Proximi, et omnes actus oppositos amore benevolentiae, qui Proximo debetur. Utramque praecepti partem complexus fuit D. Augustinus lib. de vera Religione cap. 48, ibi: *Ea est regula dilectionis, ut ea, quae sibi vult bona pervenire, et Proximo velit; et quae accidere sibi mala non vult, et illi nolit. Hanc voluntatem erga homines servate.* Antoine.

Q. Quid denotat ly sicut teipsum?

R. Ex D. Thoma 2. 2. q. 44. art. 7.: Ly *sicut teipsum* non importat, quod quis Proximum diligat aequaliter ac se, sed similiter sibi, quatenus debet primo diligere Proximum propter Deum sicuti propter Deum diligere se debet. Secundo quatenus non adhaereat Proximo in aliquo malo, sed solum in bonis, sicuti et ipse sibi bonum debet eligere, et malum reprobare. Tertio, ut velit illud idem bonum Proximo, quod vult sibi.

Q. Quas qualitates debet habere charitas erga Proximum?

R. Ex D. Thoma loco citato, charitas debet esse sancta, nempe, ut diligatur proximus propter Deum, quia v. g. habet Dei imaginem, quia amatur a Deo, quia vocatur, a Deo ut haeres ad coelestem beatitudinem etc. Secundo debet esse justa, ut scilicet ametur Proximus quoad opera bona, et honesta, non vero mala et injusta. Tertio debet esse vera, scilicet non simulata, et exterior tantum, sed ut interna inclinans, et disponens nos ad benefaciendum Proximo, cum opus fuerit: debet item esse dilectio non propter nostram utilitatem, sed unice propter proximi bonum: qui aliter non amamus Proximum, sed nosmetipsos. Stampò, Collet.

Q. Quinam veniunt sub nomine Proximi?

R. Ex D. Augustino lib. 1. de Doctr. Christiana cap. 23. et ex D. Thoma loco citato, veniunt omnes, qui beatitudinis supernaturalis capaces sunt. Hinc sub nomine Proximi veniunt Fideles, et Infideles, Amici, et Inimici, Justi, et Peccatores, Viatores omnes, atque Animae etiam in Purgatorio existentes: quia omnes isti sunt beatitudinis supernaturalis capaces. Excluduntur ergo Daemones, Damnati, et Creaturae irrationales.

Q. Quomodo tenemur diligere Proximum?

R. Proximum diligere debemus vi praecepti divini non solum actibus externis, sed etiam actibus internis, et formalibus. Patet ex Propositione 10. ab Innoc. XI. proscripta (1). Ratio est, quia dilectio erga Proximum, quae nobis praecipitur, debet esse vera: vera autem dilectio importat actum internum, seu voluntatis affectionem, qua Personae dilectae bonum volumus, quaeque suo tempore prodeat in opus externum, unde 1. Joannis cap. 3. nobis dicitur: *Filioli mei non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, et veritate.*

(1) *Non tenemur diligere Proximum actu interno, et formali*; et ex Propositione 2. ab eodem Pontifice damnata. *Praecepto Proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.*

Q. Actus, quo proximum diligere tenemur, debetne esse distinctus ab actu amoris, quo Deum diligimus?

R. Maxime, quia praeceptum dilectionis Dei, et Praeceptum dilectionis Proximi sunt duo praecepta distincta, unde duobus distinctis actibus sunt adimplenda.

Q. Quandonam obligat hoc praeceptum dilectionis Proximi?

R. Ad amorem habitualem erga Proximum in communi charitas nos semper obligat, sicut obligat proportione servata, erga Deum, *Vigilate*: ait D. Petrus ep. 1. cap. 4. *in nobismetipsis charitatem continuam habentes.* Ad amorem actualem vero internum erga Proximum in communi per se, et absolute obligat saepe in vita, uti dictum est de charitatis actu erga Deum, cujus praeceptum quandonam obliget, dictum superius est. Vide hoc loco Concinam. Obligat secundo, quando ad grave odium contra Proximum tentatio nos impellit. Tertio, quando Proximus in necessitate spirituali, vel temporali constitutus indiget nostro auxilio, ope, consilio, et nos praestare possumus, tunc tenemur ad opem externam simul, et ad actum internum charitatis; quia charitas absque actu interno servari nequit. Quarto, cum Proximum indigentem, vel afflictum adjuvare non possumus opere externo; tunc saltem affectu interno, et interna miseratione eum prosequi tenemur. Concina.

Q. Tenemurne aequali ratione diligere ea, quae ex charitate diligenda sunt?

R. Minime, sed datur aliquis ordo, quia objecta diligenda non sunt aequali amore digna. Hinc aliquis ordo servandus est, ut docet D. Augustinus lib. 1. de Doctrina Christiana cap. 27., et D. Thomas 2. 2. q. 26. art. 1. Patet ex Canticor. cap. 2.: *Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem.*

Hinc autem charitatis ordo duplex est. Alter in personis, alter in rebus, quae in personis diliguntur, vel in illis desiderantur.

Q. Quinam ordo servandus est in Personis?

R. Cum ex D. Augustino epist. 148. duplex sit charitatis ordo, alter amandi, seu appretiationis, et alter subveniendi. Et cum ordo subveniendi non hic exponatur, sed cum de eleemosyna sermo erit, dicendum, quod ordo amandi, seu appretiationis, et complacentiae est iste: primo supra nos, et omnes creaturas amandus est Deus: secundo nosmetipsi: tertio Proximus, inter proximos autem primum sanctiores, et Deo chariores: secundo propinqui, ordine propinquitatis servato: v. g. Parentes prae Filiis, Filii prae Fratribus etc. tertio Extranei, ita ex D. Thoma 2. 2. q. 26., ubi per plures articulos haec satis ostendit.

Q. Quinam ordo servandus est in bonis?

R. Hic ordo: Primo supra omnia bona diligendus est Deus, ut Bonum infinitum, ac nostra aeterna felicitas: secundo bona spiritualia, quae nos conducunt ad aeternam beatitudinem consequendam, uti gratia, merita, virtutes, etc.: tertio eadem spiritualia bona, quae Proximum conducunt ad eamdem aeternam beatitudinem: quarto bona temporalia ad nos pertinentia in ordine supremo, uti vita, integritas membrorum, sanitas, etc., quinto eadem bona relate ad Proximum: sexto bona externa medii, et infimi ordinis nostra, ut fama, honor, divitiae: septimo eadem bona in ordine ad

Proximum. Verum bonum commune magis, quam bonum privatum, sive nostrum, sive alienum, diligendum est, et praeferendum.

Ex dictis ergo colligendum, quod primo tenemur magis diligere Deum, quam nos, et Proximum, quia Deus cum sit rerum omnium principium, et ultimus finis infinite perfectus, et proinde summum, ac infinitum Bonum, super omnia diligendus, et proinde etiam supra nos, et Proximum, et super omnia bona (1).

Secundo tenemur magis diligere nos, quam Proximum, quia dilectio nostra proponitur a Deo, ut exemplar dilectionis Proximi: exemplar antem prius est, et potius, quam exemplatum, ait D. Thomas 2. 2. q. 26. art. 4., Excipe si praevaleat in Proximo bonum commune, quia cum debeat bonum commune praevalere bono nostro privato, tenemur magis diligere Proximum cum bono communi prospicit, quam nos, cum bonum privatum nostrum attendimus.

Tertio licitum non est peccatum ne quidem levissimum committere, ut Proximum e peccato, vel a quocumque alio malo liberemus, quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona, ex Apostolo ad Romanos 3., neque licitum est exponere nos periculo Proximo peccandi, ut saluti spirituali, vel temporali Proximi consulamus, quia qui amat periculum, peribit in illo. Imo nec licitum est velle perferre notabilem spiritualium bonorum jacturam ad bonum spirituale Proximi, quia haec jactura aliquando, praesertim si ad longum tempus protrahatur, Charitatem propriam diminuit, et aliquando amittere facit. Verum si quis bonis spiritualibus ad salutem non necessariis se privet, ad salutem spiritualem, vel temporalem Proximi, idque faciat ex motivo verae charitatis, ac urget Proximi necessitas, licitum est; quare filius potest, imo tenetur Religionis ingressum differre causa alendi Parentes suos egenos. Vide art. 5. de Praecept. Decalog. §. 1.

Quarto tenemur magis diligere Proximum quoad bona spiritualia, quam nos, quoad bona temporalia, quando Proximus indiget, et in necessitate

(1) Tenemus autem tam circa Charitatem erga Deum, quam circa Fidem, et Spem actus elicere: nam sublatis actibus, illas virtutes exercere non possumus. Igitur hi actus aliquando obligant ex se, aliquando per accidens. Obligant per *accidens* cum urget necessitas eos eliciendi ad superandam aliquam tentationem, aut ad alicujus praecepti adimpletionem, v. g. Confessionis Communionis etc. Obligans per se, uti docent DD. in pluribus vitae temporibus, nimirum cum pervenitur ad rationis usum; in exitu vitae, et pluries in vita, saltem semel quolibet anno, ut dicunt AA; sed circa actum Charitatis magis mihi arridet sententia eorum, qui eum requirunt semel in mense, dum difficiliter observare poterit legem divinam, qui frequenter suum erga Deum amorem actibus positivis non exercet. Attamen opus non est, ut hi actus reflexe, et explicite fiant cum intentione praecepto satisfaciendi, sed satis est, si exercitae fiant, nempe ut actus fiant, licet ex alio fine, nempe ad abjiciendam tentationem, ad eliciendam Contritionem, si confiteri velit. Ita etiam actus Charitatis sunt omnes uniformitatis actus divinae Voluntati, et omnes virtutes exercitae ad Dei complacentiam. Ita pariter sunt actus Fidei orare, Crucifixum adorare, signare se signo Crucis etc. Quare bene ait *Card. de Lugo* quod ille, qui semel amplexus est fidem christianam (aut vixerit, ego addo christiane, saltem praecepto paschali satisfaciendo) non debet dubitare, quin satisfecerit praecepto Fidei, et idem intelligendum de praecepto Spei. *S. Ligorius homo apost. Tract. IV. de Virt. theol. Cap. 1. De Charitate* §. *13*.

spirituali versatur, quia bona temporalia nostra ordine charitatis postponenda sunt bonis spiritualibus Proximi.

Q. Ad quid ergo tenemur, si Proximus in necessitate spirituali versetur?

Ante responsionem nota, quod necessitas spiritualis triplex esse potest: vel extrema, et est cum homo in ea constitutus, nisi adjuvetur, certo, vel valde probabiliter amissurus est aeternam salutem. In tali necessitate videtur esse infans morti proximus non adhuc baptizatus, nisi aliquis adsit, qui eum baptizet, vel etiam moribundus mortalis peccati conscius, et eliciendi actum perfectae contritionis ignarus, nisi Sacerdos adsit, qui eum sacramentaliter absolvat. Vel est gravis, et est illa, a qua quis liberare se potest; sed difficiliter. In ea dicitur esse peccator, qui in rixa ab inimico mortaliter vulneratus, potest per actum perfectae contritionis ad Deum redire, sed difficiliter ratione odii contra inimicum concepti: unde prudenter judicatur in peccato odii moriturus, nisi adsit qui eum ad dolorem peccatorum disponat per salutaria verba, atque ad inimici dilectionem inducat. Vel est communis, scilicet ea, a qua quis sine gravi difficultate, et absque alterius auxilio ipse se liberare potest, ut est ille, qui in communibus peccandi periculis reperitur. Concina, Stampò.

R. Si Proximus reperitur in extrema necessitate spirituali nos tenemur ei succurrere etiam cum jactura vitae temporalis, vel bonorum, quando judicatur opera nostra ei profutura, et patet ex illo Joannis epistola 1. cap. 3.: *Sicut Christus Animam suam posuit pro nobis, et nos debemus pro fratribus Animam ponere.* Et ratio est, quia salus aeterna Proximi est bonum longe excellentius vita nostra, et proinde praeferendum.

Dixi primo: si Proximus reperiatur in extrema necessitate spirituali, quia si reperiatur in gravi, vel communi, non tenemur, quia ipse sine ope nostra potest sibi consulere. Expice tamen si teneamur ex justitia, uti Episcopus, Parochus etc., vel agatur de gravi necessitate spirituali Communitatis; quia tunc tenemur succurrere Proximo versanti in gravi necessitate spirituali etiam cum periculo vitae, quia talis necessitas semper conjuncta est cum necessitate extrema spirituali privatorum aliquorum.

Dixi secundo: cum jactura vitae temporalis, nam si nos, qui succurrere possumus, reperiamur in periculo amittendi vitam spiritualem, quoniam v. g. reperimur in statu alicujus peccati lethalis, et contritio perfecta nobis difficilis est, tunc non tenemur, quia versamur in eadem extrema necessitate, sive in eodem damnationis periculo. Concina, Stampò.

Q. Licetne alicui exponere se periculo mortis ad conservationem honoris, famae, aliorum bonorum sui Consanguinei, Amici, vel Proximi?

R. Minime, quia prodigit vitam suam, quae est bonum supremi ordinis pro bonis, quae sunt medii, vel infimi ordinis, unde ordo charitatis non servatur. Imo in aequali periculo amittendae vitae propriae, vel vitae Proximi, bonorum nostrorum, vel bonorum Proximi nobis primum consulendum est ut ordo charitatis servetur: excipe, ut dixi, si bonum commune praevaleat in vita, vel bonis proximi. Concina.

Q. Teneturne quis Praecepto Charitatis negligere vitae suae defensionem, ne injustum Invasorem ejus occidat, quem timet decedere in peccato lethali?

R. Negative, quia necessitas illa neque extrema est, neque gravis, sed

prorsus voluntaria, et libera, cum ab ea se liberare potest, desistendo ab ipsamet invasione. Ita Cajetanus, Palaus, et alii aliter sentiant.

Q. Tenemurne ex Praecepto Charitatis diligere inimicos?

R. Maxime, et est de fide: patet ex Matt. cap. 5. *Ego autem dico vobis: diligite Inimicos vestros, et benefacite iis, qui oderunt vos.* Inimicus enim est Proximus noster, ac proinde diligendus. Hinc Augustinus serm. 68. de tempore ait: *Dominus in Evangelio, ut inimicos diligere valeamus, non dedit Consilium, sed Praeceptum.* Concina.

Q. Hoc Praeceptum quid imponit servandum?

R. Hoc Praeceptum, quatenus negativum est, vetat odio habere inimicum, ac concipere deliberatam vindictam contra eum, nullumque malum ei velle ob acceptam injuriam. Quod Praeceptum obligat semper, et quoad semper. Quatenus autem est affirmativum, jubet tum interiorem inimici dilectionem, tum exteriorem in eum beneficentiam, et obligat semper, sed non pro semper. Interior autem haec dilectio habetur, si amore universali, quo diligendus est Proximus, diligatur etiam inimicus equaliter ac ceteri diliguntur qui inimici non sunt, orando Deum pro eo, optando ei bona spiritualia, et temporalia, habendo animi dispositionem succurrendi ei, cum opus fuerit.

Q. Tenemurne signa dilectionis inimico exhibere?

Nota: quod signa dilectionis alia sunt communia, uti est oratio pro omnibus fidelibus, vel pro populo, beneficium, vel auxilium Communitati conferendum, opus, aut aliquod aliud faciendum in gratiam alicujus Societatis etc. Alia sunt particularia, uti est recipere aliquem hospitio, reciprocam familiaritatem habere, simul deambulare, sumere coenam, pernoctare etc. Hoc notato:

R. Tenemur signa communia benevolentiae Inimico exhibere, quia si ab his Inimicum excludimus, livorem vindictae ostendimus; ac animum injuriam acceptam ulciscendi. D. Thomas 2. 2. q. 25. art. 9. Hinc non licet excludere Inimicum ab oratione nostra, ab auxiliis, et eleemosynis, quas ceteris de populo erogamus, a responso ad interrogata etc., quia haec sunt communia dilectionis signa.

Non tenemur autem specialia dilectionis signa inimico praebere, nisi quando inimicus indigeat, vel quando ea denegando, scandalum afferatur, vel quando hujusmodi signa profutura erunt ad inimici resipiscentiam, et correptionem, vel quando inimicus est Pater, Mater, Filius, Patruus, Superior, vel quando inimicus prius ipse haec signa exhibuit. Ratio est, quia specialia dilectionis signa, exceptis his casibus, non sunt de necessitate Praecepti, nisi secundum praeparationem animi exhibendi ea, cum necessitas exigat. D. Thomas loc. cit.

Q. Quandone cadit sub Praecepto salutatio inimici, vel ejus allocutio?

R. Cadit sub Praecepto primo, quando salutatio, vel allocutio in illo loco communis est omnibus, quia tunc est signum commune dilectionis. Secundo, si ante inimicitiam salutatio, vel allocutio mutua erat cum Inimico. Tertio si salutatio, et allocutio sit ex aliqua circumstantia signum commune, v. g. quia inimicus est consanguineus, socius, vel ejusdem Communitatis etc.. Quarto, si inimicus sit inter plures, quos salutare, vel alloqui debemus, tunc etiam Inimicus salutandus, et alloquendus est. Ultimo in omni-

bus illis casibus, in quibus tenemur ad signa particularia, ut dictum est.

Quare non tenemur salutare, vel alloqui inimicum. Primo si salutatio, vel colloquium denegatur ob delicti punitionem, vel ob delinquentis emendationem. Secundo, si praevideatur salutationem vel colloquium accipi ab Inimico tanquam motivum contemptus. Tertio, quando negatur salutatio vel allocutio, ne inducatur suspicio conniventiae. Quarto Pater item, et Mater, Fratres majores, Patrui etc. possunt denegare allocutionem, vel salutationem Filiis, Sororibus, Fratribus, Nepotibus, qui, ipsis invitis, incongruum matrimonium contraxerunt, vel aliquod infame delictum commiserunt, vel negotium aliquod nimis indecorum familiae susceperunt. Horum autem officiorum suspensio perpetua esse non debet, sed temporaria plus vel minus, juxta circumstantiae, vel delicti exigentiam.

Q. Quomodo peccat qui cum teneatur, salutationem vel allocutionem, Inimico denegat?

R. Ex genere suo graviter, quia odii sui per se grave signum est haec denegatio. Verum excusare potest a peccato gravi aliquis finis bonus, vel inadvertentia, seu mentis distractio, vel parvitas materiae, vel morae, v. g. si denegatio fiat pro una, vel altera vice, pro una, vel altera die etc., Concina.

Q. Injustus offensor teneturne petere veniam ab offenso?

R. Maxime, et patet ex illo D. Augustini sermone 210. *Petat veniam, qui fecit injuriam: det veniam, qui accepit injuriam, ut non possideatur a satana, cujus triumphus est dissensio Christianorum.*

Ubi adverte, quod si duo mutuo se se offenderunt, et offensio fuit aequalis, tenetur veniam petere, qui prius offendit, quia qui prius laesus fuit, jus habet exigendi satisfactionem. Si autem offensio una prae alia gravior fuit, ille, qui gravius offendit, prior tenetur veniam petere, quia gravior offensa majorem affert obligationem injuriam compensandi.

Q. Daturne casus, in quibus non tenetur offensor petere veniam ab Offenso?

R. Maxime: et primus est, quando offensor est offenso superior: verum tenetur hic vel per benevolentiae signa, vel per internuntium offenso, et aliis indicare, quod injuriae illatae se poenituit. Secundus est, quando offensor per petitionem veniae prudenter judicat, laesum magis ad iram incitari, quia illius animus nondum pacatus est, in quo casu offensor potest veniae petitionem differre, et interim alio modo reconciliationem sibi procurare.

Q. Offensor teneturne remittere injuriam inimico sincere veniam petenti?

R. Maxime, tenetur non solum offensam condonare ex corde, et odium omne, ac malevolentiam dimittere, sed etiam externa reconciliationis signa exhibere. Patet ex illo Lucae cap. 17.: *Si peccaverit in te Frater tuus, et poenitentiam egerit, dimitte illi; et si septies in die peccaverit, et septies in die conversus fuerit ad te, dicens: poenitet me, dimitte illi.* Ratio est, quia si haec omittantur, odii in corde existentis manifestatio est, et scandali causa. Excipe, si fiat ad delicti punitionem a Patre, vel Superiore, et ad sui defectus emendationem; modo in corde charitas servetur.

Q. Potestne offensus instituere actionem civilem, vel criminalem contra inimicum?

R. Potest coram Judice agere, ut compensetur sibi damnum illatum, et acceptae injuriae exhibeatur congrua satisfactio, ac ut jure delictum puniatur, dummodo tamen ex sincero amore justitiae id faciat, et pro bono Reipublicae, ne offensor aliis noceat; et ne impunitum relinquatur crimen cum Reipublicae damno, quia quando sic procedit accusatio, non ex vindicta, sed usus sui juris, quem per judicem consequi vult. In quibus casibus etiam exculpationem, sive remissionem exteriorem negare potest, praesertim si ex ea aliquod periculum damni spiritualis, vel temporalis sibi, vel suis, vel aliis in posterum timeat.

Nota tamen, quod haec actionis institutio, et exculpationis denegatio est periculosissima; nam plerumque sub zelo justitiae, et amore boni communis, et compensationis voluntate verum lateat odium, et plenus vindictae animus, ac proinde Confessarius in hoc negotio nimia prudentia uti debet, ne forte erret in judicando, cum hujus furfuris poenitens ad se accessit (1).

§ I. *De Eleemosyna*

Q. Quid est Eleemosyna, et quotuplex?

R. Eleemosyna *est actus misericordiae, quo datur aliquod auxilium indigenti ex commiseratione, propter Deum. Misericordia autem est virtus moralis, quae nos ex compassione inclinat ad subveniendum alienae miseriae.* D. Augustinus lib. 9. de Civit. cap. 2. Antoine.

Eleemosyna, seu actus misericordiae duplex est, corporalis, et spiritualis. Prima tendit ad sublevationem miseriae corporalis. Secunda tendit ad sublevationem miseriae spiritualis.

Eleemosynae corporales, sive actus misericordiae corporalis sunt septem qui hoc versiculo continentur.

Visito, Poto, Cibo, Redimo, Tego, Colligo, Condo.

Nempe visitare Infirmos, et carcere detentos, potare Sitientes, pascere Esurientes, redimere Captivos, vestire Nudos, Peregrinos hospitio suscipere, et sepelire Mortuos.

(1) Hic memorare juvat illud dubium, quod fit a DD., an teneatur offensus injuriam remittere offensori? *Salmanticenses* dicunt teneri quidem injuriam remittere sed non pubblicam poenam, quia haec refertur ad bonum Reipublicae. Speculative loquendo sententia vera est, sed in praxi ego nunquam ausus sum absolvere aliquem istorum, qui dicebant se inimicis pepercisse, sed voluisse, ut justitia suum haberet locum, animadvertendo in scelestos; nam numquam mihi suadere potui, quod hujusmodi, qui aliquando veniunt peccatis onerati, ita bonum commune, et justitiam diligant (non quidem in alios delinquentes, sed dumtaxat in suum offensorem) ut omnis vindictae tabe sint defoecati, unde in ipsis dicunt DD. facillimum est, ut eorum erga justitiam amor sit coloratus ad tegendam propriae vindictae cupiditatem. Nihilominus judico bene posse absolvi offensum. 1. si jam vellet remittere, sed juste praetenderet prius sibi satisfieri de damnis passis, modo offensor non esset adeo pauper, ut nullo modo esset satisfaciendo. 2. si condonaret injuriam sub conditione, ut offensor in longinquam regionem proficisceretur, aut quia habet fratres, aut filios, qui facile iracundia abripiuntur, aut quia offensor est ita disculus, et ad rixas proclivus, ut juste timeret, suam expertus imbecillitatem, ne perlaturus esset ejus insolentiam. *S. Ligorius homo apost. loc. cit. Punct. 1. de dilect. inimic. §. 17.*

Eleemosynae, sive misericordiae spiritualis actus sunt etiam septem, hoc alio versu contenti.

Consule, Carpe, Doce, Solare, Remitte, Fer, Ora.

Nempe praebere consilium, corrigere peccantem, docere ignorantem, consolari tristem, remittere offensam, ferre patienter injurias, molestias, ac defectus Proximi, et denique pro vivis, et defunctis orare.

Q. Daturne praeceptum strictum elargiendi eleemosynam?

R. Maxime, et est praeceptum naturale divinum obligans ex genere suo sub mortali ad eleemosynam praebendam, patet ex verbis Christi Matth. cap. 23. *Discedite a me maledicti in ignem aeternum, esurivi enim, et non dedistis mihi manducare etc.*, et ex illo Jacobi 2. *Judicium sine misericordia fiet illi, qui non fecit misericordiam.* Qui textus clarissime indicant praeceptum eleemosynae indigentibus tribuendae. Quod praeceptum respicit subsidium omnium proximorum indigentium, etiam peccatorum, inimicorum, infidelium etc. Christus enim Lucae 6, dixit: *Omni petenti te tribue.* Layman, Collet.

Q. Quidnam requiritur, ut praeceptum eleemosynae urgeat?

R. Duo requiruntur, necessitas scilicet ex parte recipientis, et bona superflua ex parte dantis.

Q. Quotuplex est necessitas?

R. Triplex: extrema, gravis, et communis. Prima est illa, in qua quis constitutus vita periclitatur, nisi ei tribuatur auxilium. Secunda est illa, in qua quis constitutus vitam aegre, vel difficiliter substentabit, nisi succurratur. Ultima est illa, quam patiuntur pauperes, qui de aliena charitate vivent, vel ostiatim mendicant.

Q. Quotuplicis generis sunt bona superflua?

R. Duplicis generis sunt. Alia dicuntur superflua vitae, et sunt bona quae necessaria non sunt ad vitam propriam substentandam, et nostrorum, quos alere tenemur, uti sunt Parentes, Uxor, Filii, et Domestici, qui absolute dimitti non possunt. Alia dicuntur bona superflua personae seu statui, et sunt ea, quae non sunt necessaria ad vivendum juxta conditionem personae, et ad statum suae personae conservandum, sed superfluunt.

Hic tamen nota primo, quod bona dupliciter esse possunt necessaria statui, vel simpliciter, cum scilicet ea bona ita sunt necessaria statui, ut sine illis qui a suo statu decidat. Vel secundum quid, quatenus sunt necessaria statui non simpliciter, et absolute, sed ad integram, et completam sui status decentiam. Secundo necessaria dicuntur non solum ea, quae hic, et nunc requiruntur ad statum conservandum, sed etiam ea, quae possunt esse probabiliter necessaria ad statum conservandum in posterum, v. g. pro educandis filiis, pro dotandis filiabus, pro infirmitatibus, quae possunt advenire; pro senectute, vel alio quolibet casu probabiliter eventuro, v. g. bello, sterilitate etc. Collet, Antoine.

Q. De quibus bonis tenemur pauperibus eleemosynam erogare?

R. Pauperibus extrema necessitate laborantibus tenemur eleemosynam tribuere de bonis superfluis vitae, etiamsi haec bona statui necessaria sint, nam ordo charitatis postulat, ut proximi vitam pluris faciamus, quam dignitatem, et statum proprium. Ita D. Thomas, aliique communiter. Pauperibus autem gravi necessitate pressis tenemur eleemosynam erogare de bo-

nis superfluis statui, quia ordo charitatis postulat, ut posthabito studio cumulandi divitias, Proximo gravi necessitate presso consulamus. Pauperibus denique communi necessitate laborantibus etiam de superfluis statui eleemosynam facere tenemur; nam Divinae Litterae praeceptum eleemosynae non enunciant pro sola extrema, vel gravi necessitate, sed etiam pro communi. Quare illa verba Christi: *Esurivi, et non dedisti manducare*, denotant communem necessitatem, quam patiuntur pauperes.

Q. De bonis, quae ad integram, sive completam status decentiam necessaria sunt, tenemurne facere eleemosynam pauperi in gravi necessitate constituto?

R. Maxime, licet aliquod incommodum patiamur, v.g. aliquam deminutionem lautitiae, vestium, etc. juxta verae Christianae vitae regulas, non vero reprehensibilem consuetudinem, quae hodie ubique grassatur, nam si nolumus aliquod incommodum pati ad liberandum a tam gravi malo Proximum, non illum amamus, sicut nosmetipsos, uti tenemur. Sanchez, Layman, Collet. Neque dicas, quod bona superflua statui vix inveniantur; nam hoc falsum est, ut patet ex Propositione 12. ab Innoc. XI. proscripta (1).

Q. Potestne quis mutuo commodato, venditione succurrere Proximo in necessitate; vel teneturne tradere eleemosynam?

R. Potest, quando pauper est secundum quid talis, scilicet quando hic, et nunc est pauper, sed habet pecuniam, vel aliam rem alibi, quibus potest sibi consulere, vel quando paulo post, artificio proprio, vel alio titulo est adquisiturus, vel solo usu rei indigeat, nam in tali casu sublevatur Proximus juxta praeceptum charitatis, neque opus est ei eleemosynam tribuere. Probatur exemplo Tobiae cap. 5., qui pecunias Gabelo non tribuit in eleemosynam, sed mutuas ei tradidit. Item exemplo Joseph. Genes. cap. 41., qui frumentum Ægyptiis egentibus non donavit, sed vendidit. David etiam Psalmo 3. ait: *Jucundus homo, qui miseretur, et commodat, etc.*

Quod si pauper sit absolute talis, scilicet nullibi bona habeat, nec habendi spem proximam, aut certam habeat, in hoc casu facienda est eleemosyna gratis, absque onere restitutionis; uti patet ex illo Lucae 14.: *Cum facis convivium voca pauperes, et beatus eris, quia non habent tribuere tibi.*

Q. Potestne quis facere eleemosynam de bonis, quorum non habet ipse liberam administrationem?

R. Minime, excepto casu extremae necessitatis, vel si adsit domini consensus saltem tacitus, quia nemo potest dare, quod suum non est, vel cujus alienatio est sibi prohibita.

Hinc extra necessitatem extremam famuli, vel famulae non possunt de bonis domini facere eleemosynam. Non possunt filiifamilias de bonis adventitiis, vel profectiis. Uxor etiam non potest de bonis communibus, vel dotalibus facere extraordinarias eleemosynas.

Q. Ecclesiastici tenenturne ad eleemosynam?

Nota quod bona ecclesiasticorum sunt triplicis generis. Alia sunt quasi patrimonialia, illa scilicet, quae Clerico obveniunt intuitu ministerii ecclesiastici, puta praedicationis, celebrationis Missae etc. Alia sunt patrimonia-

(1) *Vix in saecularibus invenies, etiam in Regibus superflua statui; et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluis statui.*

lia, ea scilicet, quae Clerico adveniunt successione, donatione, labore, industria etc. Alia denique mere ecclesiastica, illa scilicet, quae ex beneficio, vel pensione ecclesiastica percipiuntur.

R. Et hisce omnibus bonis tenentur Ecclesiastici facere eleemosynas. At de primis, et secundis bonis tenentur non secus, ac saeculares. De bonis autem mere ecclesiasticis superfluis congruae propriae ecclesiasticae sustentationi, etiam tenentur tam ex praecepto Concilii Tridentini sess. 25. cap. 1. de reformat., quam ex precepto naturali, quia bona pauperum sunt.

Q. Praelati Religiosorum tenenturne eleemosynam facere de bonis Monasterii?

R. Maxime, quia licet non sint domini eorum bonorum, sunt tamen eorum administratores, quibus facultas tributa est ea prudenter dispensandi. Quoad particulares Religiosos ait D. Thomas 2. 2. qu. 31. art. 8. ad 1. dicendum, quod si Monachus habeat dispensationem a Praelato commissam, potest eleemosynas facere de rebus Monasterii, secundum quod est sibi commissum. Si vero non habeat dispensationem, quia nihil proprium habet, tunc non potest facere eleemosynam sine licentia Abbatis, vel expresse habita, vel probabiliter praesumpta, nisi forte in articulo extremae necessitatis, in quo licitum est ei furari, ut eleemosynam daret.

Q. Quis ordo charitatis servandus est in subveniendis proximis in necessitate constitutis?

R. Cum nos omnibus, et singulis indigentibus simul concurrentibus, succurrere possumus, singulis ex praecepto charitatis succurrere tenemur. Si vero singulis providere non possumus, hic ordo servandus est.

Si necessitas est spiritualis, et extrema infantis baptizandi, et adulti, praeferendus est infans baptizandus cuicumque adulto baptizando, vel absolvendo, quia nisi infanti subveniatur per Baptismum, peribit in aeternum, at non ita adultus, qui per baptismum flaminis, vel perfectam contritionem se adjuvare potest. Si autem omnes, qui subventione indigent, sunt adulti, et in aequali necessitate spirituali constituti, parentes praeferendi sunt uxori, et filiis ceterisque, quia principium sunt nostri esse. Pater autem est praeferendus Matri, utpote principalior in natura, Mater Uxori, Uxor Filiis, Filii Fratribus, et Sororibus; Fratres et Sorores ceteris consanguineis. Inter consanguineos autem propinquiores remotioribus sunt praeferendi. Ita etiam spirituali vinculo conjuncti, benefactores, amici, et socii ceteris extraneis sunt praeponendi. Collet, Cuniliati, Antoine.

Q. Quis ordo charitatis servandus est in extrema plurium proximorum necessitate temporali?

R. Idem fere ordo servandus est. Dixi *fere*, nam justa aliquos, si Pater fuit immitis, quia jura sanguinis non servavit, et contra Mater benigna, et circa suos comis, potest Mater Patri praeferri, et sic de ceteris consanguineis.

Q. Quis ordo in gravi, vel communi necessitate temporali servandus est?

R. Servandus est idem ordo charitatis, qui pro extrema necessitate designatus est, si hoc unum excipias, quod in communi necessitate sunt praeferendi: primo conjux, quia est una caro cum marito, et principium liberorum; deinde filii, quia sunt parentibus conjunctiores, postea ceteri, servato ordine subveniendi.

Quae autem diximus, de pari necessitate intelligenda sunt, nam si necessitas aequalis non est, magis indigens praeferendus est. Vide Cuniliati, Antoine, aliosque, cum D. Thoma 2. 2. q. 26.

Q. Potestne dives ex superfluis statui aliquid conservare pro melioratione status sui, dato quod adsint pauperes in communi necessitate?

R. Si dives laicus est, et probabili fundamento nixus, speret statum altiorem, potest retinere aliquid, modo de superfluis istis eroget aliquam portionem in pauperes. At si nihil eroget, communiter Doctores docent mortaliter peccare, quia eleemosynae praeceptum non adimplet.

Dixi *si dives laicus sit*, quia si Clericus beneficiatus est, nihil potest de bonis ecclesiasticis servare ad statum altiorem comparandum, quia hujusmodi bona dantur ad congruam subsistentiam Beneficiati cum onere erogandi superfluum in pios usus, prout hic, et nunc necessitas postulat, et charitas suadet.

Q. Quantumne erogandum est in pauperum eleemosynam?

R. Nulla tutior regula, quam illa, quae Tobiae a Patre suo data fuit cap. 3: *Quomodo potueris, ita esto misericors.* Aliqui tamen tenent, laicos satisfacere huic obligationi, si quinquagesimam partem annuorum redituum in pauperes distribuant, sed improbabiliter, et sanior sententia decimam partem, nisi aliter peculiares necessitatis Proximi circumstantiae obligent, videlicet magis elargiendum: Episcopos suo muneri satisfacere, si quartam partem pauperibus distribuant: Ecclesiasticos ceteros, qui Episcopi non sunt, si quintam, dummodo tamen sive Episcopi, sive Clerici reliquum superfluum ad Dei cultum, vel in alios pios usus erogent. Verum optima Canonum regula, cui parendum, ut beneficiales fructus tres in partes dispescantur, nempe in sui congruam ecclesiasticam subsistentiam, in eleemosynas pauperum, et in Dei cultum.

Q. Si quis simulata paupertate eleemosynam accepit, potestne retinere?

R. Minime, quia data fuit eleemosyna ex errore substantiali circa causam finalem. Eleemosyna enim substantialiter respicit alterius miseriam sublevandam, unde quamvis ad meritum tradentis sufficiat putata miseria, non tamen sufficit recipienti, ut possit eleemosynam retinere.

Q. Quibusnam facienda est restitutio in tali casu, num pauperibus, num domino?

R. Litigium est inter Doctores. Probabilius dicendum, id quod acceptum est sub simulata paupertate pauperibus esse erogandum, quia mens fuit domini eleemosynam facere. Hinc tamen obiter nota, quod nos non tenemur eleemosynam facere illis, qui ob otium, vel taedium laboris, vel ob aliquod vitium patiuntur communem necessitatem; quia non tenemur, neque debemus fovere eorum malitiam, vel inertem vitam.

Q. Quibus pauperibus distribuenda est eleemosyna indeterminata relicta a testatore?

R. Cum aliud in testamento expressum non sit, pauperes testatoris consanguinei sunt extraneis praeferendi, servato propinquitatis ordine: inter extraneos praeferendi sunt cives: inter cives praeferendi sunt nobiliores, et pauperiores, quia hujusmodi distributio conformior est ordini charitatis.

Q. Distributor eleemosynarum ab aliquo deputatus potestne se numerare inter pauperes, dato quod ipse etiam pauper sit?

R. Maxime, si aliud non constet de mente elargientis eleemosynam, quia ipse non est inferioris conditionis, quam alter pauper.

Q. Potestne haeres, vel distributor quantitatem in testamento legatam pauperibus erogare totam simul, dato, quod Testator jusserit eam erogandam divisim, et successive per decem annos?

R. Si legaverit testator hanc summam pro Anima sua, vel suorum jam defunctorum, potest haeres, vel distributor eam totam unica vice distribuere, quia sic citius juvat Animas eorum, et censetur testator voluisse in favorem haeredis legati partitionem per plures annos. Si autem summam legavit pro defunctis in genere, haeres tenetur distribuere quantitatem legatam pauperibus successive singulis annis, quia censetur testator velle prodesse iis omnibus Animabus, quae infra decem annos ex hac vita decedunt.

§. II. *De Correctione Fraterna*

Correctio fraterna est actus misericordiae spiritualis a charitate dimanans, quo per convenientem, et secretum sermonem Proximum a peccato avertere, et ad bonum honestum adducere conamur. Hinc correctio fraterna differt a correctione judiciali, quae fit ab eo, qui habet jurisdictionem, servata judicii forma, ac respicit peccatum Proximi, quatenus bono communi noxium est; unde est actus justitiae vindicativae habens potius rationem punitionis, quam emendationis. Differt etiam a correctione paterna, quia haec fit a Superiore, qui auctoritatem habet, ut sic delinquentem absque forma judiciali ad vitae emendationem adducat: quare correctio fraterna fit a quocumque sive aequali, sive inferiore, correctio vero judicialis, ac paterna fit ab eo, qui Superior est;

Q. Daturne praeceptum speciale correctionis fraternae?

R. Maxime, et patet ex Matth. cap. 18., *Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum.* Quare ait D. Thomas, quod ly *corripe* importet praeceptum, quod tametsi omni tempore non obliget, cum sit affirmativum, certis tamen circumstantiis occurrentibus, obligat et quidem ex genere suo sub gravi omnes sive superiores, sive aequales, sive inferiores. Charitas enim obligat omnes ad succurrendum Proximo in necessitate spirituali constituto. Dixi *ex genere suo obligare sub gravi*, quia ratione inadvertentiae, vel parvitatis materiae, violatio hujus praecepti potest esse peccatum leve.

Q. Quaenam sunt circumstantiae illae quae requiruntur ad hujus praecepti adimpletionem?

R. Sunt istae. Prima, ut habeatur certa notitia peccati commissi, vel advertatur periculum proximum illud committendi, et intendatur gloria Dei, et bonum Proximi. Secunda, ut adsit probabilis spes fructus, sive emendationis, vel nunc, vel saltem post aliquod tempus, quia emendatio est finis intrinsecus correctionis. Excipe si per silentium videatur malum approbari, quia tunc charitas statim urget pro correctione. Tertia, ut commode fieri possit correctio, scilicet sine gravi incommodo, excepta tamen necessitate extrema. Quartà, ut non adsit alius major dignitate, vel aetate magis idoneus ad corripiendum, qui possit, ac velit hoc onus suscipere, et si nolit suscipere quacumque ex causa, tunc nos tenemur ad correctio-

nem. Quinta, ut locus, tempus, aliaeque circumstantiae opportunae sint ad fructuosam correctionem.

Q. Tenemurne corrigere defectus veniales Proximi?

R. Maxime, et quidem regulariter loquendo sub veniali, quia lex charitatis postulat, ut quodvis Proximi malum, quamvis in suo genere exiguum, impediamus, vel tollamus, cum facile possimus. Dixi *regulariter*, quia si ex veniali sequatur peccatum mortale, vel grave scandalum, aut grave damnum, tenemur sub gravi. Hinc Praelatus regularis tenetur sub gravi corrigere veniales defectus subditorum suorum, si publici sint, et labefactent communem observantiam, tum ad vitandum scandalum saecularium, tum ad vitandam disciplinae monasticae relaxationem. Idem dic de Monitore Episcopi, vel alterius Superioris.

Q. Animarum Pastores tenenturne etiam cum gravi incommodo corrigere graves subditorum defectus?

R. Maxime, et etiam cum periculo vitae, quia cum Christo susceperunt curam, et sollicitudinem Gregis, ideoque instar Christi tenentur incommoda subire, et etiam mortem, si opus fuerit pro Gregis salute, et hoc non solum ex charitate, sed etiam ex justitia.

Q. Qui dubitat de utilitate suae correctionis, teneturne ad illam?

R. Si dubitat solum de utilitate, an scilicet correctio sit profutura, necne, tenetur corrigere, quia praeceptum correctionis est certum, licet fructus ejus incertus sit. Si autem dubitat, an correctio sit profutura, nempe quia novi peccati causa, tunc omittenda est correctio, quia cessat intrinsecus correctionis finis, et eam prudentia non suadet. Stampò, et communiter.

Q. Qui peccavit ex ignorantia estne corrigendus?

R. Si ignorantia culpabilis fuit, corrigendus est, quia revera peccavit, et iterum peccare potest. Si autem fuit invincibilis, etiam est corrigendus, quando fructus prudenter speratur, vel quando ignorantia invincibilis est circa ea, quae necessaria sunt ad salutem, aliter non est corrigendus, quia cessat causa motiva correctionis. Stampò.

Q. Quinam ordo servandus est in correctione fraterna, ut recte fiat?

R. Ille ordo, qui a Christo Domino praescriptus fuit Matth. 18. Scilicet primo secreto delinquens, secreto etiam corrigatur, patet ex illis verbis: *Si peccaverit in te* (scilicet coram te, vel te sciente) *frater tuus, vade, et corripe eum inter te, et ipsum solum.* Secundo, si monitio secreta non prodest, corrigatur coram testibus, etiamsi illi sint ignari de delicto, juxta illa: *Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos testes, ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum.* Tertio si haec verba monitionis non prosint, Praelato denuntietur juxta illa alia verba. *Si te non audierit, dic Ecclesiae.* Denique, si Praelatum non audierit, *sit tibi tanquam Ethnicus, et Publicanus*, hoc est cogatur, per poenas ecclesiasticas.

Q. Danturne casus, in quibus hujusmodi ordo omitti possit, et denuntiatio immediate fieri valeat Superiori?

R. Maxime, primus est si peccatum Proximi notorium sit. Secundus, si peccatum occultum cedat in damnum Communitatis: v. g. uti esset perduellio, proditio Patriae, haeresis, vel cedat in grave damnum tertii innocen-

tis, et privata correctio nihil profutura praevidentur. Tertius, si prudenter judicetur, quod sola Superioris monitio delinquentem retrahere possit a peccato, vel a periculo proximo ejus.

Q. In quibus potest quis graviter peccare, quoad fraternae correctionis praeceptum?

R. In his : et primo, si quis praevidens correctionem suam esse profuturam delinquenti, eam omittit, ne aliquod leve incommodum patiatur, vel ne delinquentem reddat sibi infensum, vel ob timorem alterius mali levis. Secundo, si sine justa causa ordinem a Christo praescriptum non servat. Tertio, si non corripiat, vel superiori denuntiet ex sincero charitatis affectu, scilicet, ut Proximus emendetur, etc. sed ex fine privato, v. g. odii, amaritudinis, ambitionis etc. (1).

CAPUT IX.

De Vitiis Charitati oppositis

Omne peccatum generaliter charitati opponitur vel formaliter, ut peccatum mortale, quod charitatis habitum destruit, vel dispositive, ut peccatum veniale, quod ad mortale disponit, et paulatim trahit. Quaedam tamen speciatim, et directe charitatem oppugnant, ut sunt odium Dei, et Proximi, Acedia, Invidia, Discordia, Contentio, Schisma, Bellum, Rixa, Seditio, et Scandalum. Hic de odio Dei, et Proximi sermo est quoniam de ceteris alibi.

Q. Quid est odium, et quotuplex?

R. Odium est actus mentis objectum adversantis. Duplex est nempe, odium personae, seu inimicitiae, et odium qualitatis, seu abominationis. Primum est illud, quo alicui personae, quae nobis displicet, malum volumus, quatenus ejus malum est. Secundum est illud, quo personam aversamur non secundum se, sed secundum aliquam qualitatem ipsi adhaerentem, quatenus illa qualitas nobis, aut alteri, aut communitati repugnat. Collet, Stampò.

Q. Odium Dei estne peccatum?

R. Omne Dei odium gravissimum peccatum est, quod parvitatem materiae non admittit; nam vel est odium inimicitiae, et directe, ac formaliter avertit a Deo, et directe opponitur charitati actuali. Vel est odium qualita-

(1) Multis de caussis potest quis ab ea correctione facienda excusari. 1. Si peccatum Proximi non est certum, dum in dubio non est obligatio correctionis, nisi in casu damni communis, et gravissimi, ut homicidii, et similium. 2. Si non effulgeat spes fructus, et correctio magis nocitura, quam profutura sit: tunc enim omittenda est, modo delinquens non versetur in mortis periculo, aut jam sit in mala fide, aut modo alii non sit in periculo perversionis. 3. Si non desit alius aeque idoneus, qui eum correpturus sit. 4. Si judicatur prudenter quod reus ex se resipiscat. 5. Si occasio, et tempus id non ferant, propterea dicunt DD. quandoque posse expectari delicti reiterationem, ut correctio fructuosior sit. 6. Si correctio non potest fieri, nisi cum gravi incommodo, cum haec obligatio sit charitatis. Item docet S. Thomas (2. 2. q. 33. a. 2.) tantum venialiter peccare eum, qui ex aliquo timore, aut cupiditate omitteret correctionem, dummodo non putaret sua correctione certo Proximum a peccato aversum iri: tunc enim eam omittendo, non excusaretur a mortali. *S. Ligorius Tract. IV. de Virt. Theol. Punct. 3. de correct. frater.* §. 21.

lis, seu abominationis, et est gravissime Deo injuriosum, quia per illud indicatur, quod in Deo reperiatur aliqua malitia, vel defectus, unde aversione dignus sit, cum tamen Deus sit essentialiter, et infinite bonus, et omnium perfectionum thesaurus indefectibilis.

Q. Odium Proximi estne peccatum?

R. Vel odium hujusmodi est odium inimicitiae, seu personae, et peccatum grave est ex genere suo, quia directe opponitur charitati Proximi, quae graviter nobis praecipitur. ***Qui non diligit, manet in morte,*** Joannis cap. 5. Dixi ***esse peccatum grave ex genere suo***, quia admittit parvitatem materiae, cum non immediate offendat charitatem Dei, ita ut si levem quis concipiat contra Proximum aversionem, vel ex levi displicentia ei aliquod malum leve optat, leviter peccat.

Si autem odium contra Proximum sit abominationis, seu qualitatis, et hoc sine ulla justa causa concipiatur, vel inordinatum sit, peccatum grave, vel leve putatur juxta materiam, seu odium. Dixi ***Si sine justa causa concipiatur, quia*** si hujusmodi odium oritur ex amore benevolentiae personae, quatenus hanc fraterne diligendo, volumus eam illo defectu expertem, et aversamur in ea solum vitium, et peccatum, ut malum ejus vel Proximi, tunc odium hujusmodi non est culpabile, nisi quando inordinatum sit.

Hinc optare, vel imprecari malum Proximo, quatenus malum ei est, aut dolere de ejus bono, quatenus ejus bonum est, est peccatum grave ex genere suo, nisi excuset levitas materiae, vel imperfecta advertentia; quia hi actus charitati adversantur, utpote qui ex odio oriuntur.

Item gaudere de malo Proximi, quia malum ejus est, aut gaudere de eo, quia ex illo malo oritur bonum privatum sui gaudentis, vel alterius; etiam peccatum grave ex genere suo est, quia opponitur charitati, ejusque ordini.

Contra vero, si quis optet malum affectu inefficaci, aut gaudeat de malo temporali Proximi, ob bonum suum spirituale, v. g. quia per tale malum peccator reducitur ad meliorem vivendi formam, et a peccato cessat; vel ob bonum commune Ecclesiae, Communitatis, Regni etc. excusatur a culpa, quia hoc desiderium, vel gaudium non laedit charitatem, sed est juxta charitatis ordinem, nam praefert bonum spirituale temporali, et bonum commune bono privato. Collet, Stampò.

Q. Quid dicendum de maledictione?

R. Maledictio ***est enunciatio verborum, per quam imprecando, vel optando, pronuntiatur malum contra se, vel contra Proximum***, v. g. Diabolus te rapiat, utinam morte subitanea moriaris, fulgur nunc me occidat etc.

Maledictio est peccatum grave, quando quis malum grave sibi, vel alteri ex animo deliberato optat, aut imprecatur, quia actus odii est. Neque excusatur a mortali, qui in fervore irae grave malum evenire sibi, vel alteri voluit, etsi statim doluisset, si postea evenisset, non excusatur inquam, quia revera passioni irae, in re gravi, deliberate consentit.

Q. Daturne casus, in quo quis imprecatur malum grave sibi vel alteri sine animo, et oretenus tantum, et tamen graviter peccat?

R. Maxime, et primo ratione contumeliae, cum scilicet alicui malum grave imprecatur in faciem ejus, seu coram eo in quo casu peccat contra charitatem, et contra justitiam; quia irrogat personae, quam diligere debet ex

praecepto charitatis, gravem injuriam, unde non solum peccat, sed tenetur etiam pro offensa irrogata ad satisfactionem. Secundo ratione scandali, si imprecando malum, licet oretenus, alicui pravum exemplum imprecandi malum grave praebet: sic Parentes graviter peccant dum coram filiis suis, aut aliis pusillis, vel illis, vel aliis malum grave, licet oretenus imprecantur, nam suo exemplo instruuntur illi vel ad irascendum, vel imprecandum. Antoine, Cuniliati.

Q. Quid ergo Confessarius debet exquirere a Poenitente, qui maledictionem confitetur?

R. Primo, an ex animo, vel oretenus protulerit maledictionem. Secundo, quod malum in specie exoptaverit, vel imprecatus fuerit, ut noscat Confessarius speciem, et gravitatem maledictionis, nam maledictiones, licet conveniant in ratione odii, ex quo oriuntur, sunt tamen diversae speciei, pro diversitate malorum exoptatorum: actus enim interiores diversam accipiunt speciem ab objectis exterioribus specie diversis. Tertio quales fuerunt personae, contra quas prolata fuit maledictio ex eadem ratione nuper adducta. Quarto coram quibus maledictio prolata fuit, ut intelligat, an adfuerit scandalum, vel contumelia. Quinto, an consuetudinem habeant maledictiones proferendi (1).

Q. Maledicere, seu imprecari malum creaturis irrationabilibus, estne peccatum?

R. Si quis maledicit illis, prout illae sunt creaturae Dei, peccat graviter, et peccatum suum equivalet blasphemiae, unde non admittit parvitatem materiae. Si maledicit illis, prout sunt utiles homini, etiam peccat graviter, vel leviter juxta mali qualitatem; quia malum Proximi optat, et videtur Proximo maledicere. Si maledicit illis secundum se consideratis, peccat venialiter (dummodo desit scandalum, conscientia erronea, vel utpote qui emittit verbum otiosum. Si denique maledicit illis consideratis secundum malum,

(1) Quaeritur utrum *maledictio mortuorum*, quae vulgo dicitur *bestemmia de' morti* sit vera blasphemia? Casus apud Doctores Morales non invenitur: tantum de eo fit mentio apud Auctorem libelli enunciati (*Istruzione per li Confessori di Terre*, ec.) Et insuper apud librum etiam citatum: *Opere contro l' abuso della bestemmia*. In utroque libello dicitur praedictam nequaquam esse blasphemiam, sed levem dumtaxat maledictionem. Idemque postea inveni tenere *Mazzotta* tom. 1. p. 338.

Et ita omnino tenendum censeo, quidquid alii dicant. Tota ratio in summa est, quia hujusmodi maledictio nequaquam continet neque in se ex objecto, neque per relationem ad mentem proferentium, injuriam aliquam contra Animas Purgatorii, ut contrarii contendunt. Non ex objecto, quia vox haec *Mortui* aliud in se non significat proprie, quam Cadavera (praedicatum enim Tò *Mortui* ad Corpora proprie, non ad Animas pertinet) ad summum significat *homines vita functos*, qui possunt esse salvi, et facilius damnati juxta communiorem opinionem, quae vult majorem partem adhuc fidelium damnari, non autem Animas purgantes, nisi forte in aliqua circumstantia sermonis, ubi expressa (et sic respondetur adversariis) de sacris rebus mentio fiat, puta quando dicitur: *Missa, dies, aut Congregatio mortuorum*. Ceterum in aliis locutionibus ordinarie talis vox nec in se, nec per communem acceptionem significat *Animas* Purgatorii, uti quando dicitur: *Ille timet a mortuis*: *Mortuis minime prodest ornatum sepulcrum*, et similia. Et hoc in dubium non videtur posse revocari. *S. Ligorius Theol. Mor. Tract. II. De secundo Praec. Decal. Cap. I. De Blasph. §. 130.*

cujus sunt causa, vel origo, et nullum peccatum est, quia maledictio refertur ad malum, non ad creaturas irrationales in se spectatas. Collet, Antoine, etc.

TRACTATUS IX.

DE RELIGIONIS VIRTUTE

Licet virtus Religionis Theologica non sit, cum non habeat immediate pro objecto Deum, uti habent *Fides*, *Spes*, *et Charitas*, sed solum actus, quibus ob summam, et infinitam ejus excellentiam Deus colitur, tamen Religio virtutum omnium moralium excellentissima, et praestantissima est. Objectum enim circa quod versatur propinquius, et perfectius est, quam objecta aliarum virtutum moralium, tendit in Deum, ideoque mihi visum est post Tractatum de Virtutibus Theologicis, hunc subnectere: quare sit:

CAPUT. I.

De natura, objecto, et actibus Religionis

Q. Undenam Religio dicitur ?

R. Religio, ut existimat D. August. lib. 20. de Civitate Dei cap. 4. a *relegendo* dicitur, quasi Religiosi vocentur, qui rursus diligendo eligant, quae negligendo amiserunt, vel ut putat Isidor. lib. 10 etymologiarum, Ciceronem secutus lib. 2. de natura Deorum, Religio a *relegendo* derivatur, cum Religiosi viri dicantur, qui omnia, quae ad cultum Dei pertinerent sedulo, et saepius tractant, et relegunt. Tandem Lactant. lib. 4. de vera sapient. cap. 28. dicit, quod Religio a religando derivat, uti patet ex istis; *Hac conditione gignimur, ut generanti nos Deo justa, et debita obsequia praebeamus, hunc solum noverimus, hunc sequamur. Hoc vinculo pietatis obstricti, et Deo religati sumus, unde ipsa Religio nomen accepit* (1).

Q. Quotuplici sensu Religio accipitur ?

R. Tripliciter : vel ut professio cultus Divini omnibus communis, qua quis servitio Dei mancipatur, et sic dicitur Religio Christiana, vel ut status, quo quis per tria vota solemnia Paupertatis, Obedientiae, et Castitatis Deo specialiter deputatur, uti est Religio Franciscana, Dominicana, etc., vel uti virtus moralis, de qua tractaturi sumus.

(1) Addesis illud Matt. XXII. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota Anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum, et primum mandatum.* Deus ergo, inquit Augustinus (Enchiridii cap. III.) colendus est *Fide*, *Spe*, *Charitate*. Sed charitate praesertim quae trium horum major est. *Hic est Dei cultus*, prosequitur idem Doctor (Lib. X. de civitate Dei cap. III.) *haec vera Religio, haec recta pietas, haec tantum Deo debita servitus.* Et epist. CXL, alias CXX. cap. 18. explicans haec verba Psalmi XXI: *qui timetis Dominum, laudate eum*, ait: *quis veraciter laudat, nisi qui sinceriter amat? Tantumdem ergo est, ac si diceret: qui*

Q. Quid est Religio uti virtus moralis?

R. Est virtus inclinans mentem ad exhibendum cultum, et honorem Deo debitum, tanquam Supremo omnium Principio, Domino, ac Fini.

Dicitur *virtus*, quia ad actus honestos, et laudabiles inclinat hominem, quod proprium virtutis est. Dicitur *moralis*, quia mores creaturae rationalis dirigit juxta rectae rationis praescriptum, et aliunde, ut supra dictum est, non attingit immediate Deum, sed cultum ejus; ex quo fit, ut non dicatur virtus Theologica, sed Moralis. Dicitur *inclinans mentem ad exhibendum cultum, et honorem Deo debitum*; hoc est actus illlos, quibus homo contestetur supremam Dei excellentiam, et suam etiam submissionem Deo debitam propter ejus excellentiam. Diciturdenique *tanquam supremo omnium principio* etc., quia homo contemplans, quod a Deo omnia fuerunt, sint, atque erunt, atque proinde omnia ditioni divinae sint posita, agnita etiam vilitate sua, se coram Deo omnium Domino profunde submittet, et internam hanc submissionem, vel exterius verbis, scilicet, sive alio corporis gestu, vel interius actibus quidem internis, nempe devotionis, orationis profitetur. Collet.

Q. Quodnam est objectum Religionis?

R. Objectum cui Religionis est Deus; quia haec virtus Deo cultum, honorem, et gloriam intendit exhibere, uti primo omnium Principio, ac Fini. Objectum *materiale* sunt omnes actus honesti, quibus debitus Deo honor exhibetur, ac Supremi Numinis Majestas, et hominis vilitas, et submissio agnoscitur. Objectum denique *formale*, est specialis illa honestas, quae in cultu Divino, qui Supremae Majestati, et primo omnium Principio, ac Fini exhibetur, relucet, seu est ipsemet Dei cultus, prout excellentiae divinae, et nostrae submissionis signum est.

Q. Quomodo colitur Deus?

R. Quia homo mente, et corpore a Deo formatus est, hinc est, quod suum primum principium, ac Dominum mente, et corpore recolere debet, ac venerari, hoc est actibus internis, et externis. Quare actus Religionis vel interni sunt, vel externi. Interni sunt illi, qui in animo consummantur, nec ad actionem exteriorem transeunt, uti sunt *Oratio*, et *Devotio*. Externi sunt illi, qui actione externa complentur, uti sunt *Juramentum*, *Laus Dei*, *Adoratio*, *Sacrificium*, *Oblatio*, *Primitiae*, *Decimae*. Hoc loco solum actus exteriores ita magis necessarios attingemus. Quoad ceteros videatur D. Thom. 2. 2. q. 82. et seq.

timetis Dominum, amate eum. Dixit enim homini, sicut scriptum est: Ecce pietas est sapientia, *Porro pietas cultus Dei est, nec colitur ille, nisi amando.* Demum enarratione in Psalmum LXXVII. *Hoc colitur, quod diligitur. Unde, quia Deus rebus omnibus major, et melior invenitur, plus omnibus diligendus est, ut colatur.* Praeterea quaecumque sit origo nominis, *Religio*, docet Angelicus Doctor (2. 2. quaest. 83. art. 1.) proprie importat ordinem ad Deum. *Ipse enim est, cui principaliter alligari debemus, tamquam indeficienti principio, ad quem etiam nostra electio assidue dirigi debet, sicut in ultimum finem, quem etiam negligentes peccando amittimus, et credendo, ac fidem praestando recuperare debemus.*

CAPUT II.

De natura, divisione, materia, et conditionibus juramenti

Q. Quid est juramentum?

R. Juramentum a *jure* dicitur, quia quod juramento asseritur, aut promittitur, tanquam firmissimum jus, seu decretum existimandum est. Ita D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 1., et ab eodem loco citato definitur: *Invocatio Divini Nominis in testimonium veritatis alicujus.*

Nota: finis, et effectus juramenti est confirmatio rei dubiae, seu controversae: ita ex Apostolo ad Hebr. cap. 6. *Omnis controversiae finis ad confirmationem est juramentum.* Et ad veram rationem juramenti non sufficit prolatio sola materialis juramenti, sed requiritur etiam animus, seu voluntas, et intentio saltem virtualis jurandi, seu Deum in testem invocandi, aliter non erit verum, sed fictum juramentum, quod solum ratione scandali, aut damni amovendi obligaret, non vero ratione Religionis. D. Thomas. 2. 2. q. 98. art. 3. ad 2. Praeterea ad verum juramentum requiritur etiam locutio, seu invocatio divini testimonii, et non sufficit sola adsertio: v. g. *coram Deo haec dico.*

Haec tamen locutio, seu petitio divini testimonii fieri potest non solum verbis, sed etiam quovis signo, quo exprimitur Dei invocatio, v. g. nutu, contactu Evangelii, tactu Scripturae etc. Imo etiam haec locutio potest esse mera interna, scilicet cum habetur interna voluntas jurandi, et sine ullo externo signo Deus interius invocatur in testem, *et obligat virtute Religionis.*

Q. Quotuplici modo potest quis jurare?

R. Duplici modo, scilicet explicite, et implicite. *Explicite*, quando quis expressis verbis invocat Deum, uti fuit juramentum D. Pauli 2. ad Corinth. *Testem Deum invoco. Implicite*, seu virtualiter, quando quis jurat per creaturas non absolute spectatas; sic enim ad blasphemiam, et idololatriam spectaret, sed ad Deum relatas, prout in illis divina virtus, et potentia specialiter elucet, uti fuit juramentum Moysis. Deut. cap. 3 et 4.: *Testes invoco Coelum, et Terram.*

Q. Quid si quis per aliquam rem, seu creaturam ignobilem juret: e.g. juro per hasce paleas?

R. Vel additur in obliquo nomen Dei: v. g. juro per hasce paleas Dei, et dico esse juramentum, quia ipsa explicita Dei denominatio importat relationem juramenti ad Deum, et Deum invocari probat: vel non additur nomen Dei, nec etiam in obliquo, et tunc juramentum est illusorium, seu jocosum, nisi proferens habeat tacitam jurandi intentionem; quia tunc esset verum juramentum.

Q. Quid de fide a Sacerdotibus interponi solita per sanctam eorum consecrationem, num vim juramenti habeat?

R. Non esse proprie juramentum, quamvis in foro externo uti juramentur accipiatur, imo non desunt plerique Theologi, et Canonistae, qui illud existiment proprie juramentum etiam in foro interno, et probant ex arg. Cap. *Ad aures*, de his, qui vi etc., ubi habetur: *Quod renuntiatio ele-*

ctionis, ob terrorem laicorum facta, irrita censeatur, nisi juramento, vel fide interposita confirmata sit. Advertendum tamen est, quod in omnibus modis loquendi, qui videntur tanquam juramenti formulae, habenda est ratio usus, et tenendae sunt circumstantiae, et intentio loquentis; juramentum enim est, si adhibeantur quaevis verba, vel signa cum intentione jurandi, licet illae jurandi formulae non sint.

Q. Quaenam est differentia inter juramentum, et votum?

R. Haec est differentia: nam in primo venit Deus uti testis, in secundo venit, uti promissarius. Primum ut obliget, sufficit, ut materia sit de re bona, et possibili. Secundum, ut sit de meliori bono.

Q. In quo differt juramentum, et adjuratio?

R. Differt in hoc, quod in primo venit Deus uti testis, in secunda venit Deus tanquam objectum timoris, vel amoris: in primo jurans apponit sibi Deum, in secunda apponit adjurans aliis Deum, primum est obligatorium, secunda vero non obligat.

Q. Quotuplex est juramentum?

R. Juramentum aliud est explicitum, aliud implicitum. Primum est illud, quo Dei testimonium expresse invocatur, v. g. *Deum testor, juro per Deum etc.* Secundum est illud, quo Deus tacite vocatur in testem, cum jurat per creaturas nobiliores, scilicet per *Coelum, Evangelia, Sanctos, Animam suam.*

II. Aliud est solemne, aliud est simplex. Primum est, cum fit aliqua solemnitate, idest cum certa verborum formula, puta *tactu Evangelii, Crucis*, etc. Secundum est illud, quod fit sine solemnitatibus.

III. Aliud est judiciale, aliud extrajudiciale. Primum est, quod fit coram Judice legitime interrogante. Secundum est, quod fit extra judicium.

IV. Aliud verbale, aliud reale. Primum fit per verba Divini Numinis contestationem significantia. Secundum per aliquam actionem, quae vel ex consuetudine, vel usu juramentum significet sine verbis, *uti per tactum Evangelii, per digiti elevationem, per tactum Scripturae.*

Tandem dividitur in Assertorium, Promissorium, Execratorium, et Comminatorium. *Assertorium* est illud, quo confirmatur dictum, vel factum de praesenti, vel de praeterito, aut propositum de futuro sine promissione; ut cum quis jurat *se facturum aliquid*, licet illud nemini promittat. *Promissorium* est illud, quo quis confirmat promissum, et se obligat alicui ad aliquid pro futuro, quod fieri potest vel absolute, vel sub conditione, aut expressa, aut tacita ex dispositione juris, vel intentione jurantis. *Execratorium* est illud, quo jurans vel sibi, vel alteri aliquod malum imprecatur a Deo falsitatis vindice, nisi verum sit, quod asseritur, v. g. *e vivis me tollat Deus, nisi verum sit hoc*, aut *per vitam meam*, nam sensus est: *damnum patiar a Deo in vita mea, si verum non est. Comminatorium* denique est illud, quo quis alteri comminationem alicujus mali infligendi factam confirmat, v. g. *per Deum te occidam.*

Q. Quaenam est materia juramenti?

R. Materia, circa quam omne juramentum versatur, est actio aliqua contingens, aliis non manifesta, honesta, et possibilis; quae si praesens sit, vel praeterita, est objectum juramenti assertorii: v.g. *juro me Deum credere, homicidium non commisisse etc.* Si vero actio futura sit, et est propria ju-

rantis, est subjectum juramenti promissorii: v. g. *juro me hoc facturum:* Dixi, *si est propria jurantis*, nam si est actio futura alterius personae, pertinet ad juramentum assertorium; cum enim nos juramus actionem alterius futuram, nihil aliud significare volumus, nisi quod nos credamus, et existimamus hic, et nunc, illum esse acturum talem actionem, quare si agens praeter jurantis probabiliter conceptam opinionem, postea non agat jurans perjurius censeri non debet, uti patet ex 1. Reg. 20, ubi Jonathas Davidi juravit, nihil mali eum a Saule passurum esse. Sic etiam, qui jurat veritatem aliquam speculativam, vel aliquem futurum eventum naturalem, aliud non intendit, nisi habere verisimilitudinem, et probabilitatem magnam suae opinionis, nam si certitudinem intenderet, temerarium esset juramentum, ut ait D. Thomas.

Q. Num licitum sit jurare?

R. Licitum esse habitis conditionibus, imo esse actum bonum a virtute Religionis profectum, uti patet ex illo Deuth. 6.: *Per nomen ejus jurabis, et illi soli servies*, et ratio est, quia pertinet ad cultum, et reverentiam Dei, seu ad cultum latriae juramentum; jurans enim tacite testatur Deum habere rerum omnium cognitionem, veracitatem, infallibilitatem, et providentiam humanarum rerum. Nec obstat illud Matth. 5. *Ego autem dico vobis, non jurare omnino*, quia S. August. Epistol. 89. et D. Thom. art. 2. ad 1. scite demonstrant, *quod ly non jurare omnino debet intelligi, sine necessitate, et rationabili causa*; tum quia frustra, vel levi de causa Divinum Nomen, quamvis ad confirmationem veritatis assumere, quamdam irreverentiam continet; tum quia frequenter sine necessitate jurandi, in perjurii periculum incidimus juxta illud Ecclesiast. *Vir multum jurans implebitur iniquitate.*

Q. Quot conditiones ad juramentum requiruntur?

R. Tres requiruntur: Veritas scilicet, Justitia, et Judicium, ut patet ex illo Hier. cap. 4. *Jurabis: vivit Deus in veritate, judicio, et justitia.* Ubi nota, quod veritas consistit in hoc, ut veracissimi Dei testimonium non adducatur in testificationem, et confirmationem rei falsae, aut mendacii. *Justitia* exigit, ut justissimi Dei testimonium non adducatur in confirmationem rei, aut dicti iniqui, et peccaminosi. *Judicium* denique requirit, ut juretur cum prudenti intellectus consideratione, maturo examine veritatis, pia ac reverentis affectione erga Deum, cum necessitate, et utilitate.

Q. Quid si desit in juramento veritas?

R. Esse perjurium, et peccatum mortale, sive veritas desit quoad totum, vel quoad partem. Imo grave peccatum est, si veritas adsit, attamen putatur deesse, vel dubia est juranti. Nec datur in hujusmodi veritate parvitas materiae; veritas enim consistit in indivisibili, et gravis injuria irrogatur Deo, si adducatur in testem falsitatis, sive in re magna, sive in re parva, vel jocosa: *Per hoc enim*, ait D. Thom. *datur intelligere, vel quod Deus veritatem non cognoscat, vel quod falsitatem testare velit.* Hinc juste Innoc. XI. Proposit. damnavit 24. (1).

Hinc dicendum, quod mortaliter peccat, qui jurat illud, de quo dubitat;

(1) *Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.*

nam exponit se periculo pejerandi sic etiam, qui jurat verum, sed ipse credit falsum esse; nam ipse habet sufficientem voluntatem adducendi Deum in testem mendacii, imo de facto jurat falsum, quod loquitur contra mentem, dum jurat.

Q. Quid si in juramento desit justitia?

R. Vel materia est levis, et dico esse peccatum leve, nisi fiat cum quadam contumelia, vel cum periculo perjurii, quia levis est irreverentia, quae Deo irrogatur. Vel materia est gravis, et dico esse duplex peccatum grave loquendo de juramento de opere futuro, si intentionem habeat illud exequendi; unum, quia vult rem malam exequi, et opponitur illi virtuti, cui opponitur opus, alterum contra Religionem, quia Deum deducit in testem sui iniqui propositi. Loquendo tamen de juramento assertorio proprie dicto, scilicet de re praeterita, vel praesenti, et distinguendum est: vel juramentum confirmet aliquod dictum, vel opus, quod gravem injuriam Proximi contineat, et dico esse peccatum grave, quia gravis injuria videtur inferri Deo, si nomen ejus assumatur ad talem confirmationem iniquam. Vel juramentum confirmat propriam culpam mortalem praeteritam sine delectatione, et jactantia, et dico esse peccatum leve, si sine necessitate fiat, eo quia juramentum non cadit supra assertionem uti malam, sed uti veram. Dixi, *sine delectatione, vel jactantia*; quia si istae concurrant, equidem est peccatum grave ratione delectationis, et jactantiae.

Q. Quid si desit in juramento judicium?

R. Vel judicium deest, eo quia jurans non considerat necessitatem, et gravitatem rei exigentis juramentum, et dico esse peccatum leve, dummodo non adsit contemptus, scandalum, aut periculum pejerandi quia levis injuria Deo irrogatur: vel deficit judicium in decernendo, num verum sit, necne, quod juratur et dico esse peccatum grave, *si gravis sit negligentia*, etiamsi contingat esse verum, quod juratur quia quantum est de se, exponitur periculo pejerandi. Num tamen hoc peccatum possit dici perjurium proprie dictum, litigant DD. Probabilius vero negatur, quia perjurium habet pro fundamento mendacium, sed qui aliquid asserit minus considerans, num verum sit, non mentitur, sed exponitur periculo mentiendi. Semper tamen contra virtutem Religionis peccat.

Q. Num peccet ille, qui habet consuetudinem jurandi absque debitis conditionibus?

R. Peccat graviter, quia propter nimiam facilitatem jurandi contractam, temere jurat, ac proinde est in periculo morali jurandi sine prudenti discretione, num verum sit, quod juratur, ideoque in morali periculo pejerandi. Hinc ait Eccles. 25. *Vir multum jurans implebitur iniquitate.*

Q. Num possit quis jurare rem uti certam, quando hanc audivit a viro fide digno?

R. Dico non posse, sed addi debet causa illius notitiae: puta scio hoc, quia audivi a tali viro, *cum enim juramus, ea quae vidimus, juramus; ut* ex cap. *Testes* 3. q. 9.

Q. Num adsit aliqua obligatio jurandi?

R. Maxime: primo quando a Superiore legitimo interrogante exigitur juramentum; nam sicut Judex, et Superior habet jus exigendi veritatem, sic et ad ejus confirmationem juramentum, ut certior fiat. Secundo, quan-

do juramentum necessarium est ad subveniendum Proximo; nam tunc lex charitatis urget, quae obligat ad subveniendum Proximo medio licito, ut est juramentum.

CAPUT III.

De Juramento Promissorio

Licet juramentum promissorium sit illud, quo quis confirmat promissum, et se obligat alicui ad aliquod de futuro, attamen continet etiam juramentum assertorium; nam qui jurat se aliquid facturum, in primis Deum testem adducit, quod hic, et nunc habeat voluntatem faciendi opus; deinde Deum ipsum testem adducit, et fidejussorem, quod opus re ipsa sit adimpleturus.

Q. Quotuplex est juramentum promissorium?

R. Duplex, unum per se stans, seu nudum, et simplex, alterum firmans promissionem. Primum est illud, quod obligat ex virtute solius Religionis, ne videatur Deus adductus in testem mendacii, nec continet promissionem aliquam subsistentem, vel pactum erga alterum. Alterum est illud, quod obligat non solum ex virtute Religionis, sed etiam ex aliqua alia virtute, scilicet justitiae, et fidelitatis. Hinc si quis juramento firmavit promissionem alteri factam, et acceptatam, et postea non adimplet promissionem, peccat contra Justitiam, et contra Religionem. Si vero promissio jurata facta fuerit Deo, dupliciter peccat. 1. Contra Religionem, quia est Deo infidelis in promisso. 2. Quia in vanum assumpsit nomen Dei, et ejus testimonium. Porro si promissio jurata facta fuit Deo simul, et homini, uti v. g. si quis votum juratum emisit dandi eleemosynam pauperi talem promissionem acceptanti. Si violetur talis promissio, tria peccata committit: duo contra Religionem ratione juramenti, et ratione voti, et tertium contra justitiam, et infidelitatem ratione promissionis acceptatae a paupere.

Q. Num in veritate juramenti promissorii detur parvitas?

R. Vel loquitur de veritate in intentione, quae consistit in eo, quod jurans habeat animum adimplendi quod promittit, et dico non dari parvitatem, licet promissio sit de re levi quia semper venit Deus tanquam testis falsitatis, hinc committit perjurium, qui jurat dare centum, cum intendat in mente dare nonaginta novem. Vel loquitur de veritate in executione, et dico cum D. Antonino, et D. Thoma 2. 2. q. 110. art. 3. ad 5. dari parvitatem materiae ideoque esse peccatum veniale, rem promissam sub juramento non implere, quando est in parva materia, sive sit materia partialis, sive sit totalis. Nam ideo non datur parvitas in defectu primae veritatis, quia gravissima injuria Deo irrogatur, cum adducitur ut testis mendacii, etiamsi levissimi; at potest dari parvitas in secunda veritate, scilicet *in executione*, quia rem futuram promittens juramento, Deum adducit tantum in testem se habere hic, et nunc animum adimplendi promissionem, et se obligare ex auctoritate Dei ad illam praestandam pro capacitate rei promissae, unde non adimplens promissionem, non dicit mendacium, sed tantum infideliter agit.

Q. An ex juramento promissorio ficto oriatur obligatio?

R. Vel loquimur de juramento facto absque animo jurandi, et dico non

oriri obligationem ex vi juramenti, quia non est juramentum verum; sed fictum. Dixi, *ex vi juramenti*, quia ratione scandali, vel damni inde orituri, vel orti, sic jurans tenetur ad juramenti executionem, ne videatur Deus adductus in testem mendacii, et ne juramentum sit injusta causa damni. Vel loquimur de juramento facto animo jurandi, sed non obligandi, et dicunt aliqui non oriri obligationem ex vi juramenti, quia Deus non acceptat juramentum, nisi secundum hominis intentionem, licet ratione scandali, vel damni teneatur jurans ob rationem supra allatam. At nos dicimus etiam oriri, quia jam hoc juramentum ita praestitum, est verum juramentum, eo quia habetur voluntaria invocatio Dei in testimonium, et obligatio inseparabilis est a juramento, supposita materia licita, nec jurans potest illam evitare, sed tenetur adimplere ob interpositam Dei auctoritatem. Hinc Clerus Gallicanus hanc damnavit Propositionem: *Qui jurat cum intentione non se obligandi, non obligatur ex vi juramenti*. Vel loquimur de juramento facto absque animo adimplendi, et dico ex vi juramenti oriri obligationem, quia intentio adimplendi non est de substantia juramenti, sed quid accessorium.

Q. Num licitum sit ficte jurare, et absque animo jurandi, etiam stante causa?

R. Esse illicitum, quia sic jurans committit mendacium; nam exterius significat se habere animum jurandi, quem tamen non habet. Praeterea abutitur nomine Dei ad decipiendum Proximum, quod est irreverentia contra Deum Hinc Innoc. XI. damnavit Propositionem num. 15. (1).

Patet etiam ex Innoc. III. in cap. *Super eo* de usuris, ubi habetur: *Ne pro vita quidem defendenda nobis licitum est mentiri*.

Q. An iste talis jurans peccet graviter, vel leviter?

R. Vel jurat verum absque animo jurandi, et dico peccare leviter, quia habetur solum mendacium. Excipe si fiat in contractu, aut judicio legitimo, vel in alia re, aut in circumstantia gravi; nam in hisce casibus peccat graviter, quia est gravis abusus nominis Dei, contrarius fini juramenti; nam si homines scirent in his casibus, posse aliquem ficte jurare, nihili facerent juramentum. Vel jurat falsum absque animo jurandi, et dico peccare graviter; quia invocatione externa adducitur Deus in testem mendacii; quod fieri non potest sine gravi ejus injuria, et irreverentia.

Q. Quaenam est materia juramenti promissorii?

R. Esse rem bonam, honestam, et possibilem. Hinc juramentum de re, vel opere malo, etiam veniali nullam obligationem parit; quia juramentum non est vinculum iniquitatis ex Cap. 4. quando de jurej. Idem dic de juramento faciendi aliquod opus indifferens, quia si hoc opus non cohonestetur cum aliquo fine bono, juramentum nec etiam tenet, quia est otiosum, proindeque malum. At si hoc juramentum illicitum, vel inutile, per aliquam circumstantiam factum sit postea honestum, et licitum, nec etiam obligat ob Reg. Jur. 18 in VI. *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit*. Hinc si quis juravit illam domum non ingressurum amplius, licet postea justa superveniat causa ingrediendi, non cogitur abstine-

(1) *Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.*

re ab ingressu ratione juramenti. Sic etiam si Titius contra fidem priorum sponsalium, alia sponsalia contraxit cum juramento, priore Sponsa ante nuptias mortua, cogendus non est ad secunda sponsalia, quia juramentum et promissionem de re illicita continebant, ideoque ab initio irrita.

Q. Num juramentum de re impeditiva majoris boni obliget, aut contra consilia Evangelica?

R. Minime, quia non est de materia sufficienti ad juramentum, ipsique congrua, unde si quis jurat se non ingressurum Religionem, peccat jurando, sed illud servare non tenetur. Quare ait. D. Thom. 2. 2. q. 89 art. 7.: *Si quis jurat se non facturum aliquod melius bonum, quod tamen facere non tenetur, peccat quidem jurando, in quantum ponit obicem Spiritui Sancto, qui est boni propositi Spirator, non tamen peccat juramento servando, sed multo melius facit, si non servet.*

Ubi nota I., quod si jurata res non semper impediat majus bonum, sed in aliquo tantum casu, tunc valet, et obligat juramentum, scilicet adveniente illo casu potest jurans commutare juramentum in rem meliorem, unde si quis juravit tali hora oraturum, tenetur ad juramentum, quod si cognoscat, tali hora fore Deo gratius, si opem ferat moribundo, ad sui libitum ferre potest illi opem suam, et ratio est, quia Deus in gratiam cujus juravit censetur remittere obligationem juramenti, ut opus ipsi acceptius fiat.

II. Quod si juramentum factum contra consilia Evangelica, vel de re impeditiva majoris boni emissum sit homini, et ei utile sit, obligat ex virtute Religionis; quia in juramento homini facto non attenditur ad hoc, quod sit majus, vel minus honestum, quod permittitur, sed quod sit homini utile. Hinc sponsalia jurata obligant, licet vitam coelibem impediant.

Q. Num juramentum factum de re prohibita per aliquam legem sit obligatorium?

R. Vel res est prohibita per legem naturalem, Divinam, et Canonicam, et dico non esse obligatorium, quia de re illicita est, et contra bonos mores; unde Concilium Lateranense III. cap. 19 ajebat: *Non sunt dicenda juramenta, sed perjuria, quae contra utilitatem Ecclesiasticam, et SS, Patrum veniunt instituta.* Vel res est prohibita, per legem Civilem, et subdistinguo, vel est prohibita, quatenus est contra bonum commune, aut contra bonum tertiae personae, et dico non esse obligatorium; quia illicitum est bono publico damnum inferre, vel proximo injuste nocere: unde in *L. Jus pubblicum* D. pactis, habetur: *Juri publico privatorum pactionibus, vel juramentis derogari non potest,* et in Cap. *cum contingat* de jurej., dicitur: *Servandum juramentum, cum in alterius praejudicium non redundat.* Vel est prohibita, quatenus est contra bonum particulare jurantis, et dico esse obligatorium, quia quisque potest cedere juri suo.

Hinc alienatio fundi dotalis prohibetur lege civili, at si fiat ab Uxore, et suo juramento confirmetur, obligat ex virtute Religionis cit. cap. *Cum contingat.* Transactio super relictis in Testamento non valet, nisi lecto testamento ex *L. De his etc.* D. de Transactionibus; at si adjungatur juramentum, obligat ex virtute Religionis. Ad haec contractus a minore initus alienando bona sua immobilia, sine Curatoris, vel Judicis auctoritate, non obligat; secus, si adjungatur juramentum. Auth. *Sacramentum Puberum* C. si adversus venditorem; quia possunt observari omnes isti casus absque dispendio salutis aeternae, et sine damno tertii.

Q. Utrum juramentum promissorium solvendi usuras Mutuatori, sit obligatorium?

R. Esse obligatorium, ut ex Cap. *Debitores* de *jurej*: *Debitores ad solvendas usuras, in quibus se obligaverant, cogi non debent. Si vero de ipsorum solutione juraverint, cogendi sunt Domino reddere juramentum.* Haec obligatio tamen non est ex justitia, quia Usurarius nullum titulum habet accipiendi usuras; sed ex virtute Religionis erga Deum, ne videatur nomen ejus adductum in testimonium mendacii.

Q. Num juramentum promissorium per metum gravem extortum sit obligatorium?

R. Maxime, *est enim voluntarium*, uti patet ex Cap. 8. de jurej., ubi Pontifex loquens de juramento metu gravi, et injuste extorto, dixit: *Non est tutum quemlibet contra juramentum suum venire, nisi tale sit, quod servatum vergat in interitum salutis aeternae.* Neque obstat cap. 2. de jurej. ubi dicitur. *Episcopum Laodicensem ab Arnulpho Comite rebus suis spoliatum, et jurare compulsum, quod ablata non repeteret, nullius juramenti vinculo posse constringi;* nam respondetur ex Glossa ibidem, quod juramentum praestitum erat de rebus Ecclesiae non repetendis, quod servari non poterat absque peccato.

Hinc captivus, qui juravit se rediturum ad captivitatem, vel carceres, tenetur redire etiam cum periculo vitae, si hoc praevidit, cum juravit; etiamsi mors, carceres, vel captivitas sint injusta, nam cum ejus executio, nempe reditus, est actus licitus, et opus fortitudinis, patientiae, magnae veracitatis, et fidelitatis, ideoque est materia juramenti. Nec ille censetur se occidere, sed tantum se exponere periculo mortis ob justam causam. Sic etiam reus, qui juravit non fugiturum, tenetur non fugere etiam cum periculo vitae, si hoc praevidit; nam juramentum de re licita praestitum in gratiam alterius, obligat. In adductis tamen casibus licitum est petere relaxationem juramenti. Ad haec, qui juravit latroni ex metu gravi se daturum pecuniam, tenetur juramentum adimplere, nisi ei relaxetur, pecuniam solvere, licet solutam in judicio repetere potest: quod si juravit non repetere, poterit accusare latronem de delicto ad publicam vindictam. At si etiam juraverit non accusare, poterit denuntiare, ut *ex officio* Judex procedat; si vero etiam juraverit non denuntiare, tunc juramento non obligatur, si denuntiatio necessaria sit ad publicum bonum, et ad avertendam aliis perniciosam latronis injuriam.

Verum si juravit non petere relaxationem, Superior ex Cap. *Debitores* potest relaxare ipso non petente (1).

Q. Num Matrimonium gravi metu celebratum accedente juramento promissorio, de ratum habendo illud, et firmum de facto confirmetur?

R. Minime, sed irritum remanere, ut ex cap. 2. *de eo, qui duxit etc.*, ubi Alex. III respondit: *Si quis gravi metu cogente, Nuptias juratus contraxit cum una, postea libere cum altera posterius, non prius valet Matrimonium.* Adverte, quod si jurans per juramentum intendit, se omni tem-

(1) Ex D. Thoma (2. 2. quaest. 89. art. 7.) *potest repetere in judicio quod solvit, vel Praelato denuntiare, non obstante quod contrarium juravit, quia tale juramentum vergeret in deteriorem exitum: esset enim contra justitiam publicam.*

pore habiturum esse ratum, et firmum contractum, Matrimonium secundum se invalidum habet vim sponsaliorum juratorum; nam videtur jurasse, se tale Matrimonium, cum poterit, ratificaturum, et confirmaturum: unde tenebitur ex virtute juramenti, nisi relaxationem impetret, remoto metu denuo Matrimonium contrahere. Quod si dubitetur, num jurando habuerit talem intentionem, judicandum est non habuisse, sed voluisse, tunc illud actum praesentem confirmare. Neque obstat Textus in Cap. *ex literis* de despons. impub.., quia in illo casu puella nullo modo consentiens a parentibus jurata, et desponsata fuit; quare mirum non est, quod omnino libera pronuntietur.

Q. Num valeat juramentum promissorium per dolum, et errorem emissum, et alteri praestitum?

R. Vel error, aut dolus est circa substantiam rei promissae per juramentum, et dico sive ipse sit antecedens, sive concomitans, juramentum non esse obligatorium, quia sicut nulla est promissio, ita et nullum juramentum, unde si quis juravit alteri donaturum anulum, quem credebat cupreum; non tenetur, si illud inveniat aureum. Vel error, et dolus est circa qualitatem, etiamsi sit antecedens, et dico juramentum esse obligatorium, nisi relaxatio accedat, vel qualitas redundat in substantiam, aut fuit intenta tanquam conditio principalis, et sine qua non; quo in casu nec etiam est obligatorium.

Q. Quod si juramentum fuit alteri praestitum per errorem circa causam?

R. Vel error est circa causam motivam, et finalem, et dico non esse obligatorium; quia deest consensus, et jurans censetur jurare sub tacita conditione: *Si res ita est.* Vel est error circa causam impulsivam; et dico juramentum esse obligatorium, quia adfuit consensus.

Q. Num juramentum firmat contractum nullum, et obligat ex justitia?

R. I. Juramentum non confirmat contractus nullos Jure Naturae, nam juramentum non mutat naturam illorum, nec potest supplere defectum substantialem, propter quem sunt irriti.

II. Juramentum non confirmat contractus nullos jure positivo, quatenus praejudicantes bono communi, quia bonum commune non potest, nec debet cedi pacto privatorum, tum quia eo ipso, quo contractus sunt in detrimentum Communitatis, res promissa exequi non potest sine peccato, ac proinde juramentum nullius roboris est: sic ex Cap. 12. de Foro compet. et cap. 28. de jurej. Hinc si Clericus cum juramento renuntiet privilegio fori non obligat tale juramentum, utpote quod sit contra bonum totius status ecclesiastici, dict. cap. 12. de For. compet.

III. Juramentum non confirmat contractus initos per metum gravem injustum, et contractus continentes injuriam, vel turpitudinem ex parte illius, cui juratur, vel ex parte illius, a quo exigitur juramentum, adeoque tales contractus rescindi possunt ut ex cit. cap. 28. de jurej. Ratio est, quia qui injuriam intulit, tenetur jure naturae, et in conscientia injuriam resarcire, remittendo jus ex promissione adquisitum, ideoque, qui extorsit juramentum, non habet jus firmum, et irrevocabile; juramentum enim non tollit injuriam acceptam, ac proinde jurans ob injuriam acceptam petere, ac obtinere potest relaxationem.

Hinc inferes quod si legitimus Magistratus, sive ecclesiasticus, sive laicus ob justam causam, v. g. dolum, metum, etc. judicavit promissionem juratam servandam non esse, eo ipso cessat juramenti obligatio, etiam ex virtute Religionis, quia juramentum promissorium hanc tacitam conditionem imbibit: *Nisi promissionem, vel contractum, aut ipsemet Promissarius remittat, vel legitimus Judex ob justam causam rescindat, aut retractet.* Quin si promissor jurans compellitur ad solvendum, statim ad judicialem Forum recurrere potest, ut nisi adversarius sponte juramentum remittat, cogatur a Judice ad remittendum, et si nec etiam nolit, Judex ipse relaxationem juramenti relaxet.

Hic nota, quod cum dicitur *Judex laicus relaxare obligationem juramenti,* intelligitur de relaxatione indirecta, quae fit vel ratione materiae, vel supplendo vicem ejus, cui juratum est, dummodo materia temporalis sit, et persona cui remittitur subdita, unde factum Judicis in tali casu reputatur factum partis. Nam si loquitur de relaxatione directa, quae fit per modum dispensationis, aut absolutionis, haec pertinet ad Judicem ecclesiasticum; utpote qui nomine Dei juramenti obligationem relaxat. Layman.

Q. Quinam ergo contractus nulli juramento firmantur?

R. Contractus, qui principaliter, et immediate nulli sunt, quatenus laedunt utilitatem privatam contrahentium, modo adsit justitia ex parte illius, in favorem cujus fit juramentum, et ratio est, quia quisque potest renuntiare favori pro se directe introducto per legem, nisi ob aliquam causam id sibi prohibeatur. Ergo posita tali renuntiatione perinde est, ac non esset jus positivum infirmans talem contractum.

Hic tamen nota, quod si Legislator ita irritavit contractum, ut nullam vim habeat in conscientia, quantumvis contrahentes velint, tunc non firmabitur juramento, quia subditus non potest derogare potestati, ac voluntati Superioris, et juramentum cum sit accessorium contractui, non potest facere ut id, quod non est, valeat, uti habetur in Pragmat. unic. de S.C. Vellejano, ubi Petrus de Toledo, Prorex Regni, ann. 1543. vetuit mulieribus renuntiare S. C. Vellejano *etiam cum juramento, sive pro viris, sive pro extraneis facta fuit intercessio* (1).

Q. Quomodo juramentum in dubio est interpretandum?

R. Stricte esse interpretandum propter gravem, quam in se continet Religionis obligationem, atque perjurii periculum, sic ex cap. 1. de jurej. in VI.

Ex Glossa Cap. cit. Juramentum praestitum circa materiam juris est interpretandum secundum limites juris. Sic Clericus, qui juravit residentiam, potest abesse in casibus a Jure concessis, ex Cap. 13. *de Clericis non residentibus.*

Q. Quaenam conditiones tacite continentur in omni juramento promissorio, licet absolute facto?

R. Plures contineri juxta Glossam in cap. *Quemadmodum* de jurej.

I. *Si potuero,* nam nemo obligatur ad impossibile.

II. *Salvo jure, et auctoritate Superioris,* ita ut Superior possit illud irritare, vel relaxare.

(1) Videsis nostras additiones ad Tit. de dote, in quibus illa omnia, quae Jure novissimo sancita fuerunt recensere satagimus.

III. *Nisi is, in cujus gratiam juratum est, obligationem remittat*; nam obtenta remissione juramentum amplius non obligat: ultima est, *si res in eodem statu permanserit, sive notabiliter mutata non fuerit*. Hinc sponsus post sponsalia jurata potest resilire ab illis ob fornicationem, vel notabilem supervenientem sponsae deformitatem (1).

Q. Num juramentum fieri possit per Procuratorem?

R. Maxime, dummodo tamen Procurator habeat speciale mandatum ad jurandum in causa speciali, cap. ult. de juram. calumn. in VI., quia sicut obligat juramentum per epistolam, aut scripturam jurantis subscriptione munitam, ut ex Cap. *Optatum* distinct. 100., ita et per Procuratorem, et licet Procurator dicat; *Juro*, dicit tamen ex persona sui principalis, et in Animam ipsius jurat, ideoque si juramentum Procuratoris falsum sit, principalis censetur esse perjurus, quamvis, si Procurator falsitatis conscius fuit; eodem crimine et poena tenebitur, quia agentes, et consentientes pari poena puniuntur, ex cap. 1. de officio Delegat.

Q. Num ex juramento promissorio in hominis utilitatem edito oriatur actio in foro externo?

R. Vel juramentum est confirmatorium promissionis ab altero acceptatae, et dico oriri actionem ex eodem tam in foro Civili, quam in Canonico; quia juramentum in tali casu non solum inducit obligationem Religionis erga Deum, sed etiam firmat obligationem fidelitatis, ac justitiae erga hominem, et jus ad ejus executionem compellit ob reverentiam juramenti. Vel juramentum est per se stans, id est solum obligans ex virtute Religionis, et dico non parturire actionem in foro externo: et ratio est, quia actio *est jus prosequendi in judicio, quod sibi debetur*, adeoque oritur ex justitia, sed in juramento per se stante nullum est debitum ex justitia: ergo etc. Verum advertendum, quod Judex ecclesiasticus possit compellere hunc jurantem ad servandum juramentum.

Q. Num obligatio juramenti promissorii transeat ad heredes?

R. Vel loquimur de obligatione, quae unice oritur ex virtute Religionis, et dico non transire ad heredes, quia talis obligatio omnino personalis est, solumque jurantem afficit, non autem heredes. Ita D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 2. 4. Vel loquimur de obligatione, quae oritur simul ex Religione, et Justitia, et dico transire ad heredes, quia per mortem jurantis, licet cessaverit obligatio Religionis, quae erat personalis, remansit obligatio justitiae, quae erat personalis simul, et realis, ideoque transit ad heredes, quia omnia onera realia defuncti secundum vires hereditatis aditae suscipiunt.

(1) Omne juramentum intelligitur factum sub sequentibus conditionibus. 1. Si ille, cui promissio facta est, eam acceptet, aut non eam remittat. 2. Nisi status rerum notabiliter mutetur, aut nisi adsit aliqua circumstantia, quae si praevisa fuisset juramentum praestitum non esset. 3. Si non cessat causa finalis, ob quam promissio facta est. 4. Si altera pars observat quod pollicita est. 5. Nisi Superiores prohibeant quominus promissio executioni detur. 6. Si promissio adimpleri potest sine gravi damno. Hinc si promittis secretum non teneris ad illud aperiendum cum gravi tuo damno. Si autem promitteres secretum servare etiam cum periculo vitae, probabile est te non teneri. Item etiam si promittis te secretum non proditurum in medendo morbis, non teneris illud celare, cum caeteroquin aliquis esset in gravi periculo mortis. *S. Ligorius homo apost. cap. II. de Juramento* §. 18.

Q. Quibus ex modis tollitur obligatio juramenti promissorii?

R. Pluribus modis, et I. materiae mutatione, scilicet, si res jurata fiet impossibilis, vel illicita ob Superioris prohibitionem, vel prorsus inutilis ob intentum finem, vel noxia ei, cui facta est promissio. II. Condonatione facta ab eo in cujus favorem facta est promissio *dummodo possit condonare sine damno alterius.* III. Irritatione facta ab eo, qui subjectam habet voluntatem jurantis, vel materiam juramenti. IV. Dispensatione facta a Superiore habente ordinariam potestatem ecclesiasticam in foro externo dispensandi in votis stante justa causa, ut sunt Episcopi, Praelati Regulares etc. Tamen advertendum est, quod juramentum factum in favorem tertii, et a tertio acceptum, non potest relaxari aut commutari etiam in melius a Superiore absque consensu tertii, nisi in tribus casibus I. Ob bonum commune, quod privato praeferri debet. II. In poenam alicujus criminis commissi ab eo, cui juratum est, in materia tantum, quae Superioris jurisdictioni subjacet. III. Ratione injuriae juranti illatae; puta si juramentum fuerit vi, metu, vel dolo extortum.

Q. Juramentum execratorium estne licitum?

R. Maxime, quia est actus Religionis, dummodo adsit veritas, judicium, et justitia. Hoc juramentum tamen summopere cavendum est ex *Soto, Salm.*, et aliis, ratione scandali, quod ordinarie oritur. In veritate hujus juramenti non datur parvitas materiae, et ea deficiente praeter speciem sacrilegii, habetur alia species malitiae, nempe contra charitatem sui, aut proximi, licet de hoc scholastici non amice conspirent.

Q. Num comminatorium juramentum sit adimplendum?

R. Semper ac poena est justa, et non est impeditiva majoris boni, aut non est ablata causa, ob quam impleri debet, esse adimplendum, ne videatur Deus adductus in testem mendacii. Dixi: *si poena est justa;* nam si sit injusta, vel impeditiva majoris boni, aut ablata est causa punitionis, juramentum non est adimplendum; quare Pater, qui juravit se puniturum filium, vel famulum, non tenetur eos punire, si poena jurata digni non sint, quia invalidum fuit ab initio juramentum, utpote de re illicita, sicut etiam non tenetur, si punitio videatur plus obfutura, quam profutura, vel si filius correctus sit, vel corrigi paratus; nam mutatus est status rei, et habet hanc tacitam conditionem juramentum comminatorium, *nisi sit melius non servare*: *nisi punitio inutilis sit:* Juramentum enim sicut non est vinculum iniquitatis, ita nec etiam impeditivum majoris boni, aut vinculum rerum inutilium.

Q. Juramentum comminatorium estne licitum?

R. Si poena est justa, et non impeditiva majoris boni, et causa subsistit, et adsit animus infligendi poenam, juramentum est licitum, quia nihil deest ad essentiam juramenti, si desit animus, est illicitum defectu veritatis. Si poena est injusta, et habetur animus èam infligendi, duo peccata habentur, contra Religionem, et contra illam virtutem, cui opponitur malum, si vero desit animus illam infligendi, unum peccatum admittitur, quia deest veritas.

Q. Quinam possunt jurare?

R. Extra forum judiciale omnes rationis compotes, etiamsi impuberes, vel pueri, ut ex cap. 1. de delictis puerorum. Dixi *extra forum judiciale*, nam in foro judiciali non admittuntur juramenta impuberum ex Cap.

74. *Parvuli*, q. 5. Hinc ait Bonacin., quod ad solemniter jurandum in causis civilibus requiratur pubertas, in causis vero criminalibus aetas viginti annorum.

Q. Quinam alii non admittuntur in judicio?

R. Perjurii, ut ex cit. cap. *Parvuli*, quia quem semel pejerasse constat, suspicio est, iterum pejeraturum. Excipe tamen, si debeant jurare de fidelitate exercenda, de calumnia amovenda, vel alio onere subeundo, ne videatur commodum ferre ex propria iniquitate. Item Sacerdos, non quia adsit perjurii suspicio, sed quia credendum est ei ratione suae dignitatis, sine juramento, ut ait D. Thom. q. 89. art. 10. Unde levi de causa ad juramentum non compellendus, et si juret, debet jurare, sicut ceteri Clerici, in manu Judicis ecclesiastici ex Can. *Nullus Clericus* Caus. 11. q. 1. si cogatur ad jurandum: excipe si voluntarie juret, ut credatur, arg. cap. *Ex rescripto de jurej.* et si celebret contractus sibi non vetitos, in quibus semper apponi debet jusjurandum. Item infames, sive jure, sive facto ex cap. *Super eo* de Testibus. Item socii criminis, ex cap. *Veniens* dict. Tit. Et denique personae viles. In his enim omnibus cadit suspicio, et periculum perjurii.

CAPUT IV.

De Voto

Nomen voti sumitur aliquando pro desiderio, et prece, ut Prov. 31. *Quid dilecte votorum meorum?* Aliquando pro promissione Deo facta, ut apud Eccles. cap. 5. *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere, displicet enim ei infidelis, et stulta promissio.* Aliquando pro re ipsa voto promissa, ut Deuth. cap. 12. *Offertis in loco illo holocausta, et victimas vestras, vota atque donaria.* Hic tamen sumitur pro promissione Deo facta unde definitur: Promissio deliberata, et spontanea facta Deo de meliori bono.

Dicitur *promissio*, ut intelligatur, quod ad votum non sufficit nudum propositum boni operis in Dei honorem, ut habetur ex cap. *Litterarum* de voto, sed requiritur voluntas se obligandi.

Dicitur *deliberata et spontanea*, quia ad votum, sicuti et ad ceteras promissiones, requitur *plena advertentia*, et liber voluntatis consensus.

Dicitur *Deo facta*, quia votum est actus Religionis, et quidem làtriae, qui soli Deo debetur. Et licet aliquando votum fiat B. Virgini, vel Sanctis; tamen est intelligendum, quod votum fiat Deo, in honorem B. Virginis, vel Sanctorum, ut ait D. Thomas 2. 2. quaest. 88. art. 5.

Dicitur *de meliori bono*, quia votum debet esse de re, quae melior sit suo opposito, uti si quis voveat castitatem, quae melior est statu nuptiali.

Q. Quaenam requiruntur ad votum?

R. Ex communi sententia haec requiruntur:

I. *Animus se obligandi*, nam nemo sponte suscipit obligationem sine animo se obligandi, ut ex Cap. 3. de voto.

II. *Advertentia, et deliberatio, qualis sufficit ad peccatum mortale*, quia votum est actus humanus.

III. *Ut promissio sit voluntaria*, nam votum, cum sit actus humanus, voluntarium debet esse, ac liberum.

IV. *Ut sit de meliori bono*

V. *Ut sit de bono possibili*

VI. *Ut res promissa sit in potestate voventis*

Q. Quotuplex est votum?

R. Multiplex est. I. Vel est reale, vel personale, vel mixtum. ***Reale*** est illud, quo promittitur pecunia, vel alia res. ***Personale*** est illud, quo promittitur actio personalis, vel omissio illius, ut voveo jejunium, voveo non ludere. ***Mixtum*** est illud, quo promittitur et actio, vel omissio personalis, et aliquid pretio aestimabile ab ea distinctum, ut voveo ire Romam, et offerre lampadem argenteam D. Petro.

II. Votum vel est reservatum, vel non reservatum. Primum est illud, quod solum a Summo Pontifice dispensari, vel commutari potest. Secundum est illud, in quo Praelatus inferior dispensare potest.

III. Vel est solemne, vel simplex. ***Solemne*** est illud, quod ab Ecclesia approbatum, et absolute, et publice, ac in perpetuum acceptatum est, ut accidit in professione Religiosa, et in susceptione Sac. Ordinum. ***Simplex*** est illud, quod emittitur absque acceptatione Ecclesiae saltem in perpetuum.

IV. Vel est absolutum, vel conditionatum. ***Absolutum*** est illud, quod fit absque ulla conditione. ***Conditionatum*** est illud, quod fit sub aliqua conditione, *ut voveo eleemosynam, si mater mea convaluerit*.

V. Vel est perpetuum, vel temporale. ***Temporale*** quod fit ad tempus certum, *ut voveo jejunium per mensem die Veneris*. ***Perpetuum*** quando non habetur determinatio temporis, nec obligationi constitutus est finis: *uti voveo castitatem*. Tandem dividitur votum in poenale simplex, et poenale duplex. ***Poenale simplex*** est illud, quo promittitur Deo poena subeunda, dato quod violet promissum: v. g. *Nolo ludere, et si lusero, voveo eleemosynam*. ***Poenale duplex*** est illud, quod coalescit duplici voto: uno, quo promittit aliquid facturum, vel non facturum, altero quo se obligat ad poenam, dato quod violet primum votum: *Uti voveo non ludere*, et *si lusero, voveo eleemosynam*.

Q. Quaenam est differentia inter votum, et promissionem?

R. Haec est, quod votum obligat ex virtute Religionis, cum sit actus, quo colitur Deus: promissio vero obligat vel ex virtute fidelitatis, vel justitiae. Votum debet esse de meliori bono, promissio sufficit, si sit de re bona. Votum fit Deo: promissio fit etiam hominibus.

Q. An votum obliget, et quomodo?

R. Obligat sub peccato, et est de fide, ut patet ex Deut. cap. 23. *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus, et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Haec tamen obligatio ex genere suo gravis est, cum sit actus Religionis; verum potest esse levis ratione parvitatis materiae.

Q. Num possit vovens obligare se sub veniali in voto de re gravi?

R. Maxime: quia votum est lex privata, quam vovens libere sibi imponit, Legislator autem potest in materia gravi obligare sub levi, et licet obligatio voti ex Lege Divina oriatur, oritur tamen cum dependentia a voluntate voventis. Expice tamen vota status Religiosi, quae sunt per se vota graviter in perpetuum valitura, et obligant secundum Regulas.

Ex Benedicto XIV. resolutione suorum casuum materia levis in voto est votum quinque pater, quinque Ave, et Gloria.

Q. An possit quis se obligare sub gravi, quando materia est levis?

R. Minime, quia obligatio commensurari debet cum materia. Hinc materia, quae est ex omni parte levis, non est gravis obligationis, quia Deus non videtur acceptare talem obligationem irrationabilem. Quod si dubitetur, num sub gravi, num sub levi vovens voluerit se obligare, attendenda est materia voti, quod in tali casu non aliter obligat, quam si esset lex de ea materia a Deo, vel ab Ecclesia lata.

Q. An votum nunquam peccandi sit obligatorium?

R. Vel loquimur de voto nunquam peccandi mortaliter, et dico esse obligatorium, quia est de re possibili, vel loquimur de vota non peccandi venialiter, et videndum. Vel loquimur de voto evadendi omnia peccata venialia, quae committuntur cum deliberatione imperfecta, et dico non esse obligatorium, quia est de re impossibili, quatenus requiritur speciale privilegium ad illa evitanda, uti fuit definitum a Trident. sess. VI. Can. 23. ubi haec habentur: *Si quis hominem semel justificatum. . . dixerit posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.* Vel loquimur de voto evitandi omnia peccata venialia, quae committuntur cum plena deliberatione, et dico esse obligatorium, quia est de re possibili, quatenus possibile est homini cum ordinaria Dei gratia, ut nunquam in peccatum plena animi deliberatione consentiat. Violatio est levis, cum talis est materia.

Q. Quid dicendum, quando votum partim est de re possibili, et partim de re impossibili?

R. Vel partes totius rei promissae sunt divisim, et sine dependentia inter se, et dico teneri ad partem possibilem: *quia utile per inutile non vitiatur, si utile ab inutili separari possit* ex Reg. Jur. 37. in VI. Hinc si quis emiserit votum jejunandi singulis diebus hebdomadae, et postea non potest jejunare omnibus diebus, tenetur jejunare illis diebus, quibus potest, quia singulorum dierum jejunium sensu diviso vovit. Vel partes totius collective, et per modum unius promissae sunt, et dico non teneri ad votum, quia ruente una parte, ruunt et aliae, quia non fuit intentio voventis observare unam partem absque alia. Hinc si quis voverit se peregrinaturum in cilicio, si peregrinari non potest, cilicio induere se non adstringitur.

Si pars principalis est possibilis, vovens tenetur ad votum, quia, ruente accessorio, non ruit principale. Hinc si non potest ferre cilicium, tenetur peregrinari. Hoc valet si votum non sit emissum per modum unius, ita ut intellexerit non se obligare ruente una parte.

Q. Quid dicendum de illo, qui emisit duo vota inter se incompossibilia, eodem tempore servanda, ad quodnam votum tenetur?

R. Vel unum est dignus alio, et dico teneri ad dignius, et melius quia unusquisque potest commutare votum in melius, vel sunt aequalia, et dico teneri ad primum, quia primum ad se obligavit, quod est dicendum, quando dubium est, an votum primum sit majus, et gratius Deo, quia obligatio voti prioris non infirmatur a voto posteriori, nisi constet, hoc esse majus; quia stat promissio pro primo voto.

Q. An validum sit votum de re honesta ad finem pravum ?

R. I. Si finis pravus est ex parto rei votae, seu per votum promissae, votum nullum est, et illicitum, nec obligationem parit, quia peccaminosum, et objectum hujus voti absolute malum est, et intendit vovens Deum habere suae cooperatorem iniquitatis. Hinc si quis vovet eleemosynam daturam, ad hoc ut laudetur, quando largitur eleemosynam, vel vovet eleemosynam ad impetrandam a Deo rem illicitam, votum semper est nullum ob rationem supra illatam, sic etiam si meretrix voveat dare pauperibus partem turpis quaestus, si multum quaestum faciat, nullum est etiam tale votum; nisi tamen hoc sibi fecerit per modum poenae, vel poenitentiae; quia tunc tenetur ad votum, quia objectum voti est bonum.

Resp. II. Si finis pravus est ex parte voventis, valet votum, quia bonitas voti emissi non desumitur ex bonitate actus ipsius voventis, sed ex objecto voti, et pravitas finis se tenet solum ex parte voluntatis, quam impellit ad vovendum. Hincsi quis Religionem Carthusianorum voveatex inordinato appetitu vescendi piscibus, valet votum, quippe objectum, cujus integrum bonum est, licet finis quo voluntas vovendi excitata fuit, malus sit; consensus enim voti Religiosi non dirigitur in pisces, sed in paupertatem, castitatem, et obedientiam regularem, et pisces solum vovendi occasionem, et incitamentum praebent. Hic adverte, quod finis pravus ex parte rei votae habetur, quando res promissa dirigitur ad malum finem. Ex parte voventis habetur, quando ipse vovendi actus dirigitur ad malum finem.

Q. Num votum de re indifferenti sit obligatorium ?

R. Minime, nisi aliquo fine bono, et honesto cohonestetur, quia tale opus in individuo, eo ipso malum est, quia otiosum, et fine debito destitutum. Hinc nullum est votum non comedendi in festo S. Laurentii carnes assas.

Q. An matrimonium sit materia voti ?

R. Ordinarie loquendo non potest esse, quia status continentiae matrimonio oppositus melior, ac beatior est, teste Apostolo I. ad Corinth. 7. Dixi *ordinarie*: quia dantur casus, in quibus matrimonium est materia voti, uti si matrimonium sit necessarium ob bonum commune ex gr. *Ecclesiae, vel Regni, ne bellum oriatur ob prolis defectum*, si quis teneatur contrahere ob deflorationem puellae, vel ad legitimandos filios, si patiatur incontinentiam, ita ut non possit se continere, tunc si reperitur ligatus voto nubendi tenetur juxta illud Apostoli: *Melius est nubere, quam uri.*

Q. Num votum non petendi Episcopatum, aut non acceptandi sit validum ?

R. Cum D. Thoma 2. 2. quaest. 185. art 2. vel animus voventis est non petere, aut non acceptare Episcopatum, etiamsi Superior jubeat praecepto obedientiae, vel bonum commune id postulet, et dico irritum esse tale votum, quia bonis moribus repugnat. Vel animus est voventis non petendi ex se, et ex se non acceptandi, ad hoc, ut suum avocet animum a cupiditate ambitionis, ab innumeris periculis Animae suae, et dico esse validum tale votum, quia de re bona, nempe vult custodire humilitatem, vult securius providere Animae suae in non appetendo, et acceptando, tam quammaxime formidabili onere (1).

(1) Quaeritur, an valeat votum non amplius vovendi? Valet, si quis est nimis pro-

Q. Num votum per dolum, vel per errorem emissum valeat?

R. Vel error, aut dolus versatur circa substantiam rei votae, et dico non esse obligatorium, quia cum incogniti nulla sit voluntas, ideo, qui rei substantiam ignoratam vovit, non habuit voluntatem eam vovendi, seu ad illam se obligandi. Vel error, ignorantia, aut dolus versatur circa accidentalia, seu circumstantias, quae in substantiam non redundant, et dico esse obligatorium, quia circumstantiae sunt connexae rei promissae: ideo qui hanc voluntarie vovet, etiam illas vovisse censetur, nisi expresse excludat. Hinc si aliquis emittat votum eleemosynam faciendi pauperi alias inimico, tenetur ad votum, licet si scivisset esse inimicum, non fecisset, dummodo amicitia non sit causa finalis.

Q. Num error circa causam reddat nullum votum?

R. Vel error versatur circa causam finalem, et dico esse nullum, quia votum censetur factum sub tacita conditione: *si causa finalis subsistit.* Hinc si aliquis emittat votum jejunandi per mensem causa obtinendi aliquam dignitatem, quam existimat vacasse, non tenetur ad votum, si postea inveniat alteri esse collatam. Vel versatur circa causam impulsivam, et dico esse validum, quia adest sufficiens voluntarium. Hinc si quis voveat adire Romam, ut visitet limina Apostolorum, sed libentius causa visendi amicum, tenetur ad votum, quamvis inveniat amicum esse mortuum. Excipe tamen vota solemnia Religionis, et Sacri Ordinis, quae non irritantur per errorem circa causam tum finalem, tum impulsivam, quia si hujusmodi statum assumit, censetur vel absolute illum assumere, etiamsi intercedat error circa causam, quae motivum extrinsecum vovendi est.

Q. Qua ratione interpretanda sunt vota?

R. Interpretanda sunt I. Secundum voluntatem, et intentionem voventis, quia ex ista omnis vis, et mensura obligationis oritur.

II. Si de voventis intentione non constat, tunc inspicienda est materia voti, et secundum ejus naturam, ac conditiones votum est interpretaudum; quia quisque promittens praesumitur tali modo se obligare voluisse, sicuti rei promissae natura postulat.

III. Si materia voti inspecta, adhuc remaneat dubium, votum interpretandum est juxta proprietatem, et communem acceptionem verborum, quibus vovens in vovendo usus est, quae interpretatio stricte, et non ample fieri convenit. Ita DD. communiter (1).

nus ad vovendum cum periculo vota postea non observandi. Unde si postea ipse emittit aliquod votum, peccat, sed votum postea emissum, remanet firmum, modo intentionem non habuerit, ut omnia futura vota sint invalida, et hanc intentionem non revocaverit, prout revocata judicaretur, si ipse memor primi voti emiserit secundum. Si quis autem emiserit plura vota incompossibilia, teneretur ad dignius, et si essent aequalia, ad anterius juxta communiorem. *S. Ligorius homo apost. cap. III. de Voto* §. 28.

(1) Qui vovet audire Missam quotidie, probabiliter die festivo non tenetur audire duas. Qui vovet recitare Rosarium, sufficit ut recitet tertiam partem, et utique satisfacit, si cum socio recitet. Qui vovet jejunare quolibet Sabbato, probabiliter non tenetur, si eo die accidat Natalis Domini modo expresse hoc etiam non promiserit.

Si quis satisfacit operibus voti, quin voti recordetur, non tenetur ad aliud, quia quilibet habet voluntatem generalem prius satisfaciendi operibus debitis, et postea

Q. Quo tempore vota sunt adimplenda ?

R. Vel in votis fuit praefixum tempus adimpletionis, et dico eo tempore adimplenda esse, quia ita se obligavit vovens, ita aut si tali tempore non adimpleat, peccat, etiamsi proponat alio tempore adimplere. Quod si ex impotentia, vel negligentia votum tempore definito non adimpleatur, debet postea adimpleri, ex impotentia tamen non peccavit, ex negligentia infra: nisi ex intentione voventis, vel voti natura res promissa sit affixa certo die ad honorem alicujus Sancti, vel Mysterii, cujus tunc memoria celebratur, tunc enim obligatio cum die extinguitur. Vel non fuit praefixum tempus, et dico voventem teneri quamprimum commode, et recte potest judicio Prudentis, ita ut sine rationabili causa differat, peccat graviter, vel leviter juxta proportionem morae, et materiae voti.

Q. Num vovens teneatur adimplere votum ante tempus a se definitum, si praevideat impedimentum futurum tali tempore ?

R. Vel tempus fuit praefixum ad suspendendam obligationem, usque ad tale tempus, aut opus vovetur, ut proprium onus certi diei, vel temporis, et dico non teneri voventem praevenire, quia non vovit actum, nisi tali die faciendum, unde ante illum non obligat votum. Hinc si aliquis voveat jejunium die D. Joannis servandum, non tenetur illud adimplere ante tempus, quamvis praevideat tali die non posse jejunare. Vel fuit praefixum ad differendam adimpletionem, et dico teneri voventem persolvere ante terminum, si praevideat impedimentum futurum; quia tunc votum statim ac fiat, obligat absolute, ut infra terminum designatum adimpleatur. Hinc si quis voveat sex diebus mensis jejunare, tenetur praevenire, si praevideat quod non possit jejunare post quintum vigesimum diem.

Q. Votum indeterminatum quoad qualitatem, vel quantitatem, ad quid obligat voventem ?

R. Inspicienda est 1. mens voventis, deinde inspiciendae sunt circumstantiae loci, temporis, personae, et consuetudinis, et si ex istis hoc determinari non possit, tunc sufficit minima quantitas, vel qualitas utilis, sub ea promissione contenta, modo non sit tam parva, ut censeatur votum potius irrideri. Sic vovens calicem alicui Ecclesiae, debet saltem offerre ex argento, et auricalco, quia est inferioris qualitatis ex iis, quibus Ecclesia uti solet, sicut si voveat Religionem in genere, potest ingredi quamcumque, etiam laxiorem approbatam, quia sic servat essentialia.

illis ex devotione. Ita communissime. *Lessius*, *Sanch.*, *Laym. etc.* Et generaliter loquendo qui habet rationes probabiles satisfecisse voto, non tenetur ad aliud, ut dicunt *Lugo*, *Laym.*, *Ronc.*, *Bossius*, *Viva*, *et Salm.*, *Carden*, *Bardi. etc.*

Sed dices: ille est certe ligatus voto, et dubie solutus. At hic distinguendum dubium facti a dubio juris. Si quis emisit votum, et deinde dubitat, an facto illud impleverit, tenetur equidem implere, sicut certus de debito, et dubius de solutione, tenetur solvere, quia dubia solutio non aequivalet debito certe contracto. Sed hic sermo est de jure circa factum, nam sicut constat votum fuisse emissum, sic etiam constat jam fuisse impletum opus promissum. Restat igitur dubium juris, an opere impleto de facto, et extante probabili satisfactione de jure, adsit obligatio satisfaciendi voto: et hic dicimus quod facta probabili satisfactione, obligatio juris evasit libera, et consequenter dubia etiam possessio illius: obligatio autem dubia, quae adhuc dubie possidet, nequit inducere onus praestandi rem certam. *S. Ligorius loc. cit. §. 31.*

Q. Num obligatio voti sit personalis, ita ut solum voventem obliget?

R. Maxime, quia obligatio voti ex proprio voluntatis consensu nasci debet, ergo non alium, quam ipsum voventem obligat. Hinc si aliquis in se sponte suspiciat obligationem exequendi alterius votum, non ex aliena, sed ex propria obligatur voluntate ex virtute justitiae, vel fidelitatis, et etiam ex virtute Religionis, si animus fuit formalem voti obligationem in se suscipere, quod videtur esse casus. Cap. *Licet* de voto, et voti red.

Q. Num votum mixtum sit adimplendum ex qua parte est reale, dato quod non possit exequi qua parte est personale?

R. Vel utrumque, scilicet partem realem, et partem personalem quis vovit per modum unius, et cum dependentia unius ab alia, ita ut ad utramque simul, aut neutram obligari voluit, et dico non teneri ad partem realem, dato quod vovens non possit exequi partem personalem, quia non fuit intentio voventis observare unam partem absque alia. Vel utramque partem divisim, et per modum plurium quis vovit, et dico teneri ad partem realem, si pars realis est divisibilis a parte personali, *quia utile per inutile non vitiatur, si utile ab inutili separari possit* ex R. J. 37. in 6. Si vero non est divisibilis, et videndum, si pars realis est principalis, et dico teneri ad talem partem, quia principale trahit ad se accessorium. Vel pars est accessoria, et dico non teneri, quia cessante principali, cessat accessorium.

Q. Num obligatio voti transeat ad heredem defuncti, qui votum suum non implevit?

R. Vel votum est personale, et dico non transire ad heredem, quia obligatio personalis expirat cum persona, vel votum est reale, et dico transire ad heredem post aditam hereditatem, et sumitur ex Cap. *Ex parte* de censibus, et ratio est, quia heres voluntarie adeundo hereditatem defuncti, sicut commoda adquirit, et jura ejus, ita etiam onera, et debita, ac reales obligationes ejus suscipit, inter quas connumeratur votum reale.

Hinc I. descendit, quod obligatio, quae heres tenetur ad solvenda vola realia defuncti non est ex virtute Religionis, sed ex virtute justitiae, ratione aditae hereditatis una cum omnibus ejus juribus, et oneribus.

II. Si Testator prohibuerit heredi, ne realia sua vota persolveret, nihilominus tenetur, atque ad id cogi a Judice potest sub poena hereditatis amittendae, arg. Cap. *Licet* de voto, quia heres voluntaria hereditatis aditione tacito quasi contractu suscipit omnes obligationes reales defuncti; unde sicut tenebatur defunctus, ita et ipse.

III. Heres non tenetur persolvere vota ultra vires hereditatis defuncti, unde si deductis debitis, et necessariis expensis funerum, medicaminum, salvaque heredibus necessaria legitima etc., nihil superest de re hereditaria, ad nihil tenetur.

IV. Persolutio votorum praeferenda est omnibus legatis, etiam piis, quia prior, et potior est obligatio votorum, quippe quae defunctum adstringebat non ita obligatio legatorum. At vero debita justitiae votorum executioni heres praeferre debet, quia vota solvenda sunt ex bonis defuncti, sicut et legata, bona tamen defuncti censentur, quae supersunt, deducto aere alieno ex *L. Mulier* D. solut. Matrim.

Q. Num detur casus, in quo heres teneatur satisfacere votis personalibus defuncti?

R. Maxime, et I., quando sponte se obligavit heres talia vota adimplere, quia obligatio oritur ex consensu, et quisque se obligare potest, dum vult.

II. Si sub ea conditione adimplendi talia vota heres non necessarius institutus est, quia potuit Testator tali conditioni suam alligare voluntatem, cum ei liberum erat heredem instituere illum, vel non instituere.

Q. Quid dicendum, quando plures sunt coheredes, et vota realia sunt persolvenda?

R. Nullum teneri in solidum, sed quemlibet teneri pro rata, quia qui in una sola parte est heres, tantum secundum illam tenetur. Excipe tamen casum, in quo res per votum promissa sit in specie apud unum ex coheredibus, hic enim tenetur votum adimplere, licet actionem habeat repetendi a suis coheredibus portiones a se persolutas pro se, et ab illis debitas, *modo a Testatore aliter cautum non sit.*

Q. Quot peccata committit qui votum poenale non servat?

R. Vel est simplex poenale, et dico committere unum peccatum, vel est duplex, et dico committere duo peccata, quia in primo habetur transgressio unius voti, in secundo duplicis voti. Hinc si aliquis dicat: *nolo ludere, et si lusero, voveo eleemosynam*, ludendo non peccat, tamen ad eleemosynam tenetur. Si vero dicat: *voveo non ludere, et si lusero, voveo eleemosynam*, peccat ludendo, et tenetur post ludum ad eleemosynam, et si eleemosynam non eroget, peccat.

Q. Quid si obligatio voti poenalis valide emissi per dispensationem sublata fuerit?

R. Eo ipso cadere obligationem poenae: ratio est, quia poena habet ordinem ad transgressionem, sed post dispensationem non habetur transgressio voti: ergo neque poena. Hinc si quis voverit non ludere, et si luserit, voverit eleemosynam, si obtinuit dispensationem, quoad votum non ludendi (quae concedi non debet), non tenetur ad eleemosynam, si postea luserit. Observa tamen, quod si poena sit contracta ante dispensationem obtentam, tenetur ad dictam poenam, quia dispensatio respicit futurum, non praeteritum, et vovens contraxit jam vinculum poenae. Ita Salmantic. Adverte tamen praedictam dispensationem concedi non posse, nulla namque esset ob deficientiam justae causae, quae essentialiter requiritur in dispensatione voti.

Q. Quid si vovens immemor voti poenalis actionem ponat, quae sub voto cadebat, num teneatur ad poenam?

R. Minime, quia non voluntarie votum frangit, nec poena est per se ludo adnexa, ideoque ignorantia hujus legis excusat a poena.

Q. An votum poenale obliget toties, quoties, ita ut toties teneatur quis ad poenam, quoties ludit?

R. Si vovens pro una vice se obligavit, semel peccat. Si absque limitatione vovit, semper peccat, sive poena sit ordinaria, sive extraordinaria, quia virtute Religionis semper tenetur.

Ex Layman, Salmanticensibus, aliisque pro prima vice tenetur, quia non est verisimile, quod voluerit se obligare ad talem poenam toties, quoties (1)

(1) Qui vovet si ludat se aliquam poenam subiturum, sufficit, ut prima vice se

Q. Num votum conditionatum obliget a principio ?

R. Vel votum fuit emissum sub conditione de praesenti, vel de praeterito, et dico statim obligare, dato quod conditio apposita a principio existat, quia hujusmodi conditio quando existit non suspendit consensum. Vel fuit emissum sub conditione de futuro necessario, et dico etiam obligare a principio, quia ista conditio a principio habetur pro impleta. Vel fuit emissum sub conditione de futuro contingenti honesto, et possibili, et dico non obligare a principio, sed post verificatam conditionem, quia tunc habetur consensus, uti viveo dare centum pauperibus, si navis ex Asia venerit.

Q. Num oriatur aliqua obligatio ex voto emisso sub conditione de futuro contingenti?

R. Quamvis non oriatur obligatio perfecta ex illo, oritur tamen aliqua imperfecta, et suspensa, quae verificata conditione perficitur, et absolvitur, nam primo vovens tenetur servare propositum servandi votum, si conditio evenerit. Secundo non debet, se interim, dum eventus conditionis speratur, inhabilem reddere ad executionem voti. Hinc si aliquis voverit, ingressurum Religionem, si pater ex India incolumis venerit, non potest licite contrahere matrimoninm, etiamsi Pater longo tempore immoretur, donec de ejus morte certior fiat.

Q. Quid de eo qui emisit votum sub conditione aliqua lege prohibita, quam ipse ponit propria voluntate, causa se eximendi a voto?

R. Istum non tantum peccare contra virtutem, quam laedit, sed etiam contra Religionem, violando quodammodo pactum cum Deo initum; censetur enim dicto vovendi modo, tacite promisisse, quod saltem aliquem evitandi peccati conatum adhiberet, vel saltem dolo, et fraude non uteretur. Hinc si aliquis votum emittat se ingressurum Religionem, si spatio unius anni fornicationem non committat, et causa se eximendi a voto fornicatur, non tantum peccat contra castitatem, sed etiam contra Religionem, violando quodammodo pactum cum Deo initum. Praeterea probabilius tenetur ad votum adimplendum, perinde ac si conditio impleta esset; nam habetur ex *L. in executione §. ultim.* D. do verbor obligat. *Quicumque sub conditione obligatus curaverit, ne conditio extiterit, nihilominus obligatur*; cui consentit. Reg. 66. in VI. *Cum non stat per eum, ad quem pertinent, quominus, conditio impleatur, haberi debet perinde ac si impleta fuisset.*

Q. Quid dicendum de eo, qui emittit votum sub conditione, quae dependet a sua voluntate, si volantarie eam non ponat, ut se eximat a voto?

R. Iste non peccat, nec ad votum tenetur, cum adhuc liber sit a voto, ac proinde potest obligationem modo licito vitare.

Q. Quid de illo, qui emisit votum sub conditione, quae dependet ex alterius voluntate?

R. Non peccare voventem, licet eventum impediat conditionis, modo nihil per vim, aut dolum agat, et legitimam habeat causam, ne persona, a qua dependet, consentiat. Uti si quis emittat votum se ingressurum Religionem, si Pater consenserit, non peccat, etiamsi poenitentia ductus, pre-

illi subjiciat, sed si voveat non ludere sub tali poena, tunc quoties ludit, toties dabit poenam; excipe tamen si ludendo *penitus sit immemor voti. S. Ligorius Ioc. cit.* § 30.

cibus, vel rationibus propositis agat, ut Pater dissentiat, nam vovens tenetur non impedire, nisi ex justa, et rationabili causa.

Q. Quid dicendum de voto emisso sub duplici conditione: an requiratur verificatio utriusque, et vovens teneatur ?

R. Vel sunt appositae copulative, et dico requiri, quia ad veritatem propositionis copulativae utriusque partis requiritur complementum. Uti voveo jejunium, si Pater consenserit, et soror nupserit. Vel sunt appositae disjunctive, et dico sufficere unius verificationem; quia ad veritatem propositionis disjunctivae sufficit verificatio unius tantum partis, uti voveo calicem aureum Ecclesiae, si Parochus sit doctus, vel pauper (1).

Q. Quinam possunt emittere vota?

R. Omnis homo viator tam pubes, quam impubes, postquam rationis usum sufficientem ad voti naturam cognoscendam assecutus fuit, nisi aliunde impeditus fuit. Ubi duo sunt advertenda, quod vota ante septimum aetatis annum concepta, irrita censentur, nisi probabilissima conjectura adsit, adfuisse sufficientem rationis usum, et quod vota edita post septennium praesumuntur valida, nisi habeatur judicium probabile satis defuisse sufficientem rationis usum (2).

Q. Quibus ex causis potest voti obligatio cessare?

R. Ex pluribus causis, scilicet irritatione, dispensatione, commutatione, cessatione causae finalis, notabili mutatione, et lapsu temporis. De his tribus jam supra loquutum est. Remanet dicendum de tribus antecedentibus, quae frequentius accidere solent.

§. I. *De voti irritatione*

Irritatio est annullatio voti facta ab habente potestatem dominativam, quae duplex est: directa, et indirecta; prima est illa, quae fit ab eo, cui voluntas voventis est subjecta. Secunda est illa, quae fit ab eo, cui materia voti est subjecta.

Irritatio differt a dispensatione: nam prima fit a potestate dominativa, secunda a potestate jurisdictionis spiritualis; ad primam non requiritur causa pro ejus validitate, ad secundum requiritur, prima fit etiam dissentiente vovente, secunda fit eo consentiente. Differt etiam irritatio directa ab indirecta; nam vota directe irritata non reviviscunt amplius, quia irritatio directa totaliter abstulit voti obligationem, et quod semel extinctum fuit, nunquam reviviscet. Vota vero irritata indirecte reviviscunt, quia fuerunt irritata, quatenus vovens erat alteri obligatus, et votum erat alteri praejudicativum, hinc cessante obligatione, et praejudicio, reviviscit votum.

Q. Num Summus Pontifex possit irritare vota Fidelium, et quomodo ?

(1) Qui facit votum disjunctivum, et postea eligit satisfactionem alterutrius partis, ad illam tenetur, licet post electionem altera pars redderetur impossibilis. Secus si altera pars redderetur impossibilis ante electionem, nam tunc ad nihil tenetur, dummodo illi mora non eligendi non fuisset culpabilis. Facta nihilominus electione, probabile est quod semper possit eligere partem, quam malit. *S. Ligorius loc. cit.* §. 31.

(2) Legibus latis in Utriusque Siciliae Regno cautum, quod nemo religiosa vota emittere possit, nisi expleto XXI. aetatis suae anno.

R. Posse, sed vota Religiosorum directe; nam cum sit ipse omnium Religiosorum Caput, et Regularium omnium Superior, ipsi principaliter obedientiae professio fit, et nomine illius a Praelato inferiore acceptatur. At vota ceterorum tantum indirecte irritare potest, quatenus Ecclesiae bono, et regimini, cujus ipse supremam curam, et jurisdictionem habet, praejudicium afferunt, uti est votum peregrinandi per multum tempus editum ab Episcopo, vel a Clerico ad residentiam obligato, ut ex Cap. *Magnae* de voto.

Q. Quinam potest, et quomodo irritare vota Religiosorum?

R. Superiores eorumdem directe posse irritare vota Religiosorum suorum, exceptis votis, quae ex Instituto Religionis fiunt, et voto strictioris Religionis ingrediendae constat tum ex commun. DD. sensu, tum ex Cap. *Monacho* causa 20. q. 4. Quia sic fert natura status Religiosi, et voti obedientiae, per quod Religiosus abdicavit jus omne disponendi de seipso, et cuncta in Superiorum potestatem transtulit; unde habetur in Cap. 27. de elect. in 6. *Velle, et nolle non habet Religiosus, sed illius, quem vice Dei supra caput suum posuit, et cujus imperio se subjecit, voluntate dependeat.* Unde in votis eorumdem inest semper imbibita conditio: *Si Superior non contradicat.*

Q. Num Praelatus Ordinis possit irritare vota Novitiorum suorum, et quomodo?

R. Potest, sed non directe, cum adhuc voluntatem suam Praelato non subjecerint per obedientiae votum. Solum ergo indirecte, quatenus gubernationi ordinis, cui pro illo tempore subsunt, praejudicium aliquod afferunt. Unde si Novitius a Religione egrediatur, reviviscit votum, quippe quod non extinctum, sed pro illo tempore impeditum fuit. Non est tamen negandum, quod hi Praelati, si exempti sint a jurisdictione Episcopi possint dispensare, vel commutare vota suorum Novitiorum, quia Novitii privilegiis sui Ordinis gaudent.

Q. Num Praelatus Ordinis possit rescindere votum in Religione emissum, etiam postquam ille Regularis creatus est Episcopus, et in Episcopatu votum non confirmavit?

R. Minime, nam ad irritandum votum requiritur potestas dominativa erga sibi subjectum: Regularis autem adepto Episcopatu, non est subjectus Praelato Ordinis, sed immediate Summo Pontifici, non solum ut Episcopo Episcoporum, sed etiam ut Supremo Regularium Ordinum Praelato, cui edidit votum obedientiae.

Q. Num Abbatissa, vel Priorissa possit irritare vota suarum Monialium?

R. Potest irritare tantum indirecte, quatenus praejudicium aliquod afferunt regimini bono Monasterii, cujus ipsa caput est. Non desunt tamen, qui defendunt, etiam posse directe, quia Moniales promittunt obedientiam Abbatissae.

Q. Num Pater possit, et quomodo irritare vota filiorum suorum?

R. Vel agitur de votis impuberum, et dico quod Pater potest irritare omnia vota illorum tum realia, tum personalia directe, etiamsi adimplenda sint post pubertatem; patet ex Num. cap. 30. *Si contradixerit Pater, vota, et juramenta in aetate adhuc pupillari emissa, irrita erunt.* Item sanxit Concilium Triburiense ann. 895. relatum in cap. *Puella* caus. 20. quaest. 2.

ibi: *Puella, si ante duodecim annos aetatis sponte sua sacrum sibi velamen assumpserit, possunt statim Parentes ejus, vel Tutores factum irritum facere, si voluerint.* Quin in defectu Patris, etiam Avus paternus, non autem Mater, uti probabilius aliqui docent, nisi sit Tutrix: ratio est dispositio juris Canonici, quod votis Impuberum ob horum imbecille judicium apposuit hanc tacitam conditionem: *Nisi Pater, vel Tutor contradixerit*, cit. cap. *Puella* 20. q. 2.

Vel agitur de votis puberum: et dico posse Patrem ea irritare tantum indirecte, quatenus praejudicium afferunt disciplinae, et rectae gubernationi familiae suae, in qua habet Pater jus regendi filium, donec exeat a patria potestate, unde non potest Pater irritare vota Castitatis, Religionis, Jejunii, Rosarii etc. emissa a filio, postquam factus est pubes: pubes enim in ordine ad obsequium divinum habet jus disponendi de se, et suis actionibus personalibus, quae non adversantur rectae gubernationi familiae. Collet.

Q. Num pater possit irritare directe post pubertatem vota emissa a filio in impubertate?

R. Si impubes adepta pubertate non rata habuit vota emissa in impubertate, potest, quia illa vota per tractum temporis non amiserunt illam conditionem, *Nisi Pater contradixerit*, sed semper manent subjecta Patri, idque expedit ad subveniendum indiscretioni liberorum. Quod dicendum non est probabilius de Tutore: quia eo ipso, quod pupillus fit pubes, Tutor fit curator, cui persona pupilli jam facti minoris non committitur, nisi tantum indirecte § 2. Instit. de Curat. *Lib.* 1. At pater semper manet Pater.

Q. Num pater possit irritare vota realia filiorum puberum?

R. Potest tantum indirecte, si votum sit de bonis, quorum administratio spectet ad ipsum Patrem.

Q. Num Tutor, vel Curator possit irritare vota pupilli, vel minoris, et quomodo?

R. Tutor potest directe, quia succedit loco Patris, ideoque quidquid supra dictum est de Patre circa vota filii impuberis, dicendum de Tutore circa vota pupilli. Curator vero tantum indirecte, si agatur de votis minoris circa bona, quorum administratio pertinet ad Curatorem, et si talia vota praejudicium afferunt tali administrationi: aliter non potest. Concina.

Q. Num maritus possit irritare vota Uxoris?

R. Potest irritare vota Uxoris indirecte tantum, quatenus juri suo, quod habet ad conjugii usum, et familiae gubernationem, praejudicium aliquod afferre possunt. Mulier enim non est subjecta viro simpliciter, et in omnibus actionibus alioquin liberis, sed solum quatenus vinculum matrimoniale exigit: quare Mulier absoluta libertate vovere potest eleemosynam de bonis paraphernalibus, jejunium moderatum, preces etc.

Q. Num Uxor possit irritare vota Mariti?

R. Potest tantum indirecte ea vota, quae derogant juri suo, quod habet in corpus viri; sic potest irritare vota de immoderata abstinentia, de longa peregrinatione. Excipe tantum votum proficiscendi ad Terram Sanctam, in subsidium Terrae Sanctae, quod edi potest a Viro, etiam invita Uxore, ob publicam Ecclesiae necessitatem, ut ex Cap. *Ex multa* §. 4. De voto, et vot. redempt. Porro irritare potest Uxor vota realia Mariti, si cedunt in

detrimentum dotis, vel aliorum bonorum suorum, quorum administratio penes maritum est.

Q. Num votum Uxoris de non petendo debito, possit a viro irritari dato quod non fuerit emissum de licentia ejus?

R. Minime, quia uxor non obligatur viro ad conjugii usum petendum, sed solum ad reddendum petenti. Adverte tamen, quod si tale votum emiserit vir, qui plerumque cedit in praejudicium uxoris, prae verecundia debitum petere non audentis, si maritus nunquam petat, potest in tali casu uxor illud irritare, *quia unum esset, ac si vovisset nec petere, nec reddere*, ita *Sanchez, Layman*, aliique. Adhaec votum uxoris de non petendo debito interdum observari non debet, si maritus aegre ferat, ideoque discordiae causam praebere videatur; nam votum non debet esse majoris boni impediens. Id tamen non fiat absque consilio prudentis Confessarii.

Q. Num unus ex conjugibus potest irritare votum de non observanda castitate, quam ipsi communi consensu voverunt in matrimonio?

R. Minime: quia uterque cessit juro suo, mutuo namque consensu vitam coelibem Deo spoponderunt; neuter ergo potestatem amplius habet solvendi deliberatam promissionem Deo factam. Concina.

Q. Num ille, qui irritandi voti potestate praeditus, possit irritare votum, posteaquam semel licentiam dedit vovendi, et votum approbavit?

R. Maxime, dummodo gubernativam in vovente potestatem habeat tanquam Superior, et Caput, ut est Episcopus pro suis Clericis, Praelatus Regularis pro Religiosis suis, Maritus, Pater, Tutor, Dominus, qui licet vovendi licentiam suis dederit, votumque approbaverit, nihilominus mutata sententia votum infirmare potest, quia dando licentiam, vel votum approbando, nequaquam á se potestatem gubernandi, adeoque praecipiendi, et vetandi abdicasse censetur. Adverte tamen, ut id recte, et sine peccato fiat, necesse est, ut justam, et rationabilem causam irritans habeat; alioquin neque irritans, neque vovens bene se habet coram Deo.

§. II. *De voti dispensatione*

Voti dispensatio est absoluta condonatio rei promissae Deo facta, nomine, et vice Dei a Superiore legitimo, tamquam ejus Vicario. Quare non dispensat Superior in Lege Divina servandi votum; nam obligationem servandi votum non relaxat, tum cum ipsa viget, sed solum ipsam promissionem, seu rem promissam remittit nomine, ac vice Dei, et tanquam ejus Vicarius. Lex autem Divina non obligat ad servandam promissionem Deo factam, cui Deus per suum Vicarium cessit.

Q. Num ad voti dispensationem requiratur causa?

R. Maxime: ita ut si sequatur dispensatio sine justa causa, eadem nulla erit, cum potestas dispensandi in Jure Divino Praelatis ecclesiasticis collata est in aedificationem, non in destructionem. Ad rem Bernard. lib. 3. de consider. cap. 10. exclamat: *Si necessitas urget excusabilis dispensatio est, ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est . . . . cum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.*

Q. Undenam possunt deduci causae pro dispensatione voti?

R. Pluribus ex capitibus: 1 ex actu vovendi, si absque prudenti, et per-

fecta deliberatione, in ira, metu, tenera aetate etc. factum sit votum, vel ex alia causa, quae potuit minuere voluntarium, uti error circa causam impulsivam, arg. Cap. 2. et Cap. 7. de voto etc. 2. Ex materia voti, si scilicet spectata corporis constitutione voventis, naturae fragilitate etc. periculum ipsi majoris ruinae pariturum videatur 3. Ex difficultate exequendi postea superveniente, vel antea non praevisa 4. Et necessitate, vel magna utilitate ex Cap. 1. de voto. Hic adverte, quod quo dignius, et majus est votum, eo major causa requiritur ad dispensandum illud.

Q. Quinam possunt dispensare in votis?

R. Summum Pontificem, et Episcopos, et alios habentes jurisdictionem quasi episcopalem jure ordinario posse certum est, sed alios Ecclesiasticos ex delegatione illorum. Hinc Pontifex potest dispensare in votis omnium Fidelium. Episcopus in votis suorum subditorum non reservatis. Quod datur haec potestas in Pontifice, et Praelatis, est de fide, ut apparet ex Matth: 16. et 18. *Quaecumque solveritis super terram: erunt soluta et in Coelo.* Quae verba utpote generalia intelligi debent de omni vinculo voluntario contracto ab homine erga Deum: et haec Potestas ad externam Ecclesiae gubernationem pertinet, sicut potestas ferendi leges, et censuras; unde non est potestas ordinis, sed jurisdictionis ecclesiasticae.

Q. Num Archiepiscopus possit dispensare in votis Suffraganeorum?

R. Maxime potest dispensare in votis Suffraganeorum suorum, quia sunt sibi subjecti: in casu tamen, quo Episcopus injuste iis denegaverit dispensationem, et iidem ad Archiepiscopum appellarunt. Alii dicunt etiam posse tempore, quo visitat eorum Dioeceses, sed aliqui rectius negant, cum id nullo jure expressum reperiatur.

Q. Num dentur vota, in quibus solus Summus Pontifex potest dispensare?

R. Maxime: et sunt quinque, quae reservata dicuntur, et sunt votum simplex castitatis, votum ingrediendi Religionem adprobatam: et tria vota peregrinationis, scilicet ad limina Apostolorum, ad Terram Sanctam, et ad Compostellam: ita colligitur ex Extrav. *Etsi Dominici* de poenit.; et remiss.

Q. Num possit Episcopus aliquando dispensare in his votis?

R. Maxime ex benigna Epikeja, quando adest urgens necessitas, et non habetur facilis aditus ad Pontificem, et est in mora periculum gravis damni spiritualis, vel temporalis: quia in his casibus credendum est, noluisse Pontificem sibi talem dispensationem reservare. Hinc nota quod quando Episcopus ratione necessitatis dispensat in votis reservatis, ejus dispensatio non plus se extendit, quam necessitas postulat; unde si cum aliquo dispensavit in voto castitatis, ut matrimonium contraheret peccabit contra votum, si fornicabitur, vel soluto eo matrimonio, aliud novum contrahet sine Pontificis dispensatione.

Q. An Episcopus possit dispensare circumstantiam additam voto reservato, qua ablata votum remaneat quoad substantiam?

R. Maxime, quia non est proprie dispensare in voto reservato quoad substantiam. Hinc Episcopus potest dispensare circumstantiam ingrediendi Religionem strictiorem, peregrinandi pedester etc.

Q. Votum reservatum commutatum a legitima potestate in materiam non reservatam remanetne adhuc reservatum?

R. Minime, quia votum reservatum per commutationem est jam extinctum, et ejus loco succedit materia non reservata. Tantum si petatur dispensatio talis voti ab Episcopo, exprimendum est votum esse ex commutatione voti reservati, quia Episcopus difficilius dispensat.

Q. Num in generali concessione dispensandi vota a Pontifice obtenta veniat facultas dispensandi in votis reservatis?

R. Minime, quia quae specialim reservata sunt, ea specialem, et expressam mentionem postulant, ut aperte significatur in cit. Extrav. *Etsi Dominici*, et in Cap. *Si Episcopus* de poenit. et remiss. in VI.

Q. Quot conditiones requiruntur, ut votum Castitatis sit Papae reservatum?

R. Plures, quarum I est, ut sit perfectum II. Ut sit certum III. Ut sit integrum, idest excludat omnem carnis commixtionem IV. Ut sit perpetuum V. Ut sit absolutum. Ultima, ut factum sit amore virtutis castitatis. Hinc sequitur:

I. Perfectum, scilicet emissum sub obligatione gravi, sine ullo metu etiam levi, et reverentiali, ita *Sanch*, *Bonac*. et *Less*. Nam reservatio intelligitur de voto emisso sub obligatione proportionata ad materiam voti et stricte est intelligenda, et de votis omnino libere emissis. Hinc votum castitatis sub levi, vel ex metu levi, vel non cum plena voluntate, utpote non perfectum, non est reservatum.

II. Votum servandi castitatem ad certum tempus non est Papae reservatum, quia non est perpetuum.

III. Votum servandae castitatis conjugalis nec est Papae reservatum, quia non est integrum.

Nec Papae reservatum votum non nubendi, vel non petendi debitum conjugale, vel votum non fornicandi, aut mulierem non tangendi, quia haec vota non continent castitatem integram, et simpliciter dictam. Sicut non est reservatum votum Sacri Ordinis suscipiendi, quia illud non est votum castitatis, sed assumendi statum, cui castitas adnexa est.

IV. Non est Papae reservatum votum poenale castitatis, v.g. *Si fornicatus fuero, voveo castitatem*, quia votum poenale non fit cum directo affectu erga rem promissam, seu castitatem, sed potius cum animi aversione, ut timore hujusmodi obligationis contrahendae, vovens revocetur a crimine.

V. Votum conditionatum castitatis, et etiam ingrediendae Religionis, v. g. *Si convaluero, voveo castitatem*, ante impletam conditionem reservatum non est, quia non continet circa castitatem consensum absolute, et simpliciter. Verum post conditionem impletam, videtur esse votum omnino reservatum, quia sicut alii contractus conditionati verificata conditione censentur absoluti, ita etiam promissio facta Deo, nempe votum. Ita communiter DD.

Q. Num votum alternativum tum castitatis, tum Religionis ingrediendae, vel peregrinationis reservatae, cujus altera pars reservata non est, sit Papae reservatum?

R. Minime quia certum, et determinatum non est circa rem reservatam unde posse Episcopum dispensare in hoc voto; *ante electionem materiae*

reservatae, *Voveo me ad limina Apostolorum iturum, vel centum aureos Pauperibus daturum, voveo castitatem perpetuam, vel perpetuam abstinentiam a carnibus*. Neque refert, quod progressu temporis altera pars non reservata ad adimplendum impossibilis fiat; nam licet tunc vovens necessario teneatur ad partem reservatam, id tamen non provenit ex voventis intentione, sed ex eventu accidentali, ideoque nihilominus poterit Episcopus dispensare. Quod si vovens se determinet ex propria voluntate ad partem reservatam: tunc evadit votum Papae reservatum, quia tunc votum assumit materiam certam, scilicet reservatam, ex nova voventis intentione.

Q. Quid si dubitetur de valore voti reservati?

R. Sive dubium sit juris, sive sit facti, potest in tali voto Episcopus dispensare, quia cum reservatio sit odiosa, stricte facienda est, ideoque ad casus certos restringi debet, nec dubios comprehendit.

Q. Num votum continentiae perpetuae a Conjugibus libero, et mutuo consensu editum, sit Papae reservatum?

R. Maxime, quia est revera votum continentiae integrae, et perpetuae. Quamvis aliqui DD. existiment posse Episcopum in tali voto dispensare non absolute, sed solum ad petendum, et reddendum debitum tempore conjugii; sed hoc non satis probabiliter asseritur.

Q. Num ille, qui ligatus voto non nubendi contrahit Matrimonium, peccet, et possit petere, et reddere debitum post contractum?

R. Maxime, peccat graviter contra votum, contrahendo Matrimonium, quia votum violat, at potest post contractum petere, et reddere etiam intra bimestre: quia jam factus est impotens ad votum servandum. At si aliquis emiserit votum non fornicandi, non peccat contrahendo Matrimonium; quia illud votum excludebat solum illicitam copulam, non vero licitam copulam conjugalem.

Q. Quid de illo, qui ligatus voto castitatis, contrahit Matrimonium?

R. Primo peccat contrahendo Matrimonium, quia exponit se evidenti periculo non servandi votum.

II. Intra bimestre non potest neque reddere, neque petere; quia potest servare votum eo tempore absque injuria alterius; nam alter Conjux non habet tali tempore jus petendi, ideoque non habet ipse obligationem reddendi.

III. Peccat consummando Matrimonium pro prima vice, etiam elapso bimestri, quia non elegit Religionem, in qua poterat absque injuria alterius Conjugis servare votum.

IV. Post consummationem non potest petere, quia tenetur servare votum eo meliori modo, quo potest, at tenetur debitum reddere alteri Conjugi petenti ob jus, quod habet, ex Cap. *Quidam* de convers. Conjugat. Denique soluto Matrimonio per mortem, continentiam servare debet; ita ut licet voveos acceperit dispensationem ad petendum, non ideo tamen mortua Conjuge, potest aliud matrimonium contrahere sine Summi Pontificis dispensatione ad contrahendum.

Q. Quid de Conjuge, qui post matrimonium contractum edit votum castitatis?

R. Vel vovit solum non exacturum debitum, et dico teneri ad votum, quia exigere debitum est in potestate Conjugis, et mortuo Conjuge potest con-

trahere novum Matrimonium cum simili obligatione non petendi, si votum non petendi non fuit ad illud solum Matrimonium praecise restrictum. Vel vovit absolute castitatem, et videndum: vel nondum Matrimonium est consummatum, et dico teneri ingredi Religionem ad servandam castitatem, quia si voluit finem, praesumitur voluisse medium hujus finis a se cognitum, *vel rectius petere dispensationem*. Vel Matrimonium est consummatum, et dico, quod si votum factum fuit cum consensu alterius conjugis, omni modo obligatur voto, quia ille juri suo renuntiavit, vel factum fuit ignorante, vel non consentiente Conjuge, tenetur reddere, quia non potuit praejudicare innocenti, at non potest petere, quia tenetur servare votum eo meliori modo, quo potest.

Q. Num detur casus in quo talis vovens non teneatur reddere Conjugi petenti?

R. Maxime, et est quando factum fuerit divortium perpetuum, *vel cessavit in perpetuum obligatio reddendi*, quia ratione hujus altera pars non habet jus petendi, adeoque vovens tenetur servare votum.

Q. Quaenam conditiones requiruntur, ut votum Religionis ingrediendae sit Papae reservatum?

R. Plures, scilicet ut sit perfectum, certum, perpetuum, absolutum, et de Religione adprobata.

Q. Quid de illo, qui ad servandum votum Religionis illam ingreditur, sed ab illa postea expellitur, num teneatur denuo ingredi illam?

R. Vel expellitur culpa propria, et dico denuo teneri ingredi, quia nemo ex propria culpa commodum reportare debet. Vel expellitur absque sua culpa; et dico non teneri, quia fecit quantum potuit, ut servaret votum, dummodo tamen fuerit de determinato Monasterio votum; nam si in genere voverit Religionem, expulsus ab uno, teneatur ad aliud ingredi Monasterium, vel Religionem, usquedum aliquod inveniat Monasterium, ubi recipiatur.

Q. Quid de illo, qui post votum a se de certa Religione, vel de Religione strictiori intranda emissum, Religionem aliam, vel laxiorem ingreditur, et profitetur?

R. Ex Cap. 5. de Regularibus in VI. voto priori non obstante, licite remanere potest in ipsa, in qua professus est, quia votum simplex videtur exstinctum per votum solemne. Attamen pro voto non impleto erit eidem poenitentia facienda.

Q. Quid de illo, qui ligatus voto Religionis profitendae Matrimonium contrahit?

R. I. Peccat graviter contrahendo ob evidens periculum, cui se exponit, violandi votum.

II. Infra bimestre non potest neque reddere, neque petere ad hoc, ut non fiat impotens ad servandum votum per matrimonii consummationem.

III. Tenetur ingredi Religionem infra bimestre sub gravi; quia potest servare votum absque injuria alterius Conjugis.

Ultimo, potest reddere, et petere post consummationem, quia nondum habeat votum castitatis, sed tamen habet votum de vovenda castitate solemniter, a cujus voti adimpletione impeditus est, donec matrimonium consummatum perseveret.

Q. Quaenam conditiones requiruntur, ut tria vota peregrinationis sint Papae reservata?

R. Plures, scilicet, ut sint certa, perfecta, absoluta, et ut sint facta causa devotionis.

§. III. *De voti Commutatione*

Voti commutatio est substitutio unius materiae pro alia materia voto subjecta. Quae tripliciter fieri potest, in melius scilicet, in aequale, et in minus. Differt tamen commutatio a dispensatione, quia per dispensationem extinguitur voti obligatio: per commutationem subrogatur solum una res pro alia, remanente obligatione voti. Dispensatio fieri non potest ab ipsomet vovente, commutatio vero fieri potest in aliquod evidenter melius, ab ipso vovente, ut ex Cap. *Pervenit* 3. de jurej., ubi Pontifex rescripsit: *Promissum non infringit, qui illud in melius commutat.* Qui enim opus promissum in aliud melius commutat, is abundantius satisfacit suae obligationi.

Hic adverte, quod *pro melius* hoc in loco intelligitur id quod spectatis omnibus est Deo gratius, unde non est semper melius id, quod ex genere suo praestantius est: sed quod saluti spirituali voventis magis expedit, cupiditates suas efficacius coercet, et voluntatem Deo perfectius subjicit. In dubio vero, num res sit melior, nec ne, pro commutatione requiritur auctoritas Superioris, ut ex cap. 1. de voto.

Q. Num ad commutationem voti requiratur causa?

R. Vel commutatur in melius, et non requiritur causa, quia sufficit pro commutatione haec causa, quod per illam cultus Dei augeatur per exhibitionem rei melioris. Vel commutatur votum in aequale, vel in minus, et requiritur semper causa, ut valida sit commutatio, quia Deus non videtur concedere, ut solutio rei sibi debitae fiat sine causa in re alia non meliori.

Q. Num ad commutandum votum in aequale, vel in minus requiratur auctoritas Superioris legitimi ecclesiastici?

R. Dico requiri, quia talis commutatio est actus ecclesiasticae jurisdictionis exterioris. Unde Papa, et Praelati ecclesiastici jurisdictionem habentes possunt vota commutare, vel alii Ecclesiastici jure delegationis.

Q. Num ille, qui habet facultatem dispensandi vota, possit eadem commutare etiam in minus?

R. Maxime, quia qui habet majus, habet et minus, uti ex R. J. 53. in 6. *Cui licet, quod est plus, licet utique, quod est minus, praesertim in eodem genere.* Sed plus licet ei, qui dispensare potest, quia potest totum remittere, ergo etc.

Q. Num vota reservata possunt a Praelato ecclesiastico commutari?

R. Non posse quia eorum commutatio pertinet ad Summum Pontificem; ita ut Praelatis inferioribus non competat, nec etiam vi Jubilaei, nisi expressa mentio fiat in edicto. Ubi adverte, quod si in tali edicto detur facultas commutandi tria vota Peregrinationis: ita commutanda sunt, ut labor itineris compensetur cum aliis operibus poenalibus, et expensae, quae erogandae erant, applicentur aliis piis usibus, puta eleemosynis etc. ut ex cap. *Magna* 7. de Voto (1).

(1) Ex Bulla Cruciatae Regno Neap. concessae commutari possunt omnia vota

Q. Num possint commutari vota realia cum praejudicio tertii?

R. Minime, quia si non possit aliud pro alio solvi, promissario non consentiente, L. 2. §. 1. D. de rebus cred., a fortiori, promissario invito rationabiliter; sed invitus rationabiliter praesumitur, quando commutatio cedit in damnum sui, ergo etc. Et hinc fit, quando datur privilegium dispensandi, vel commutandi vota, vel additur, vel subintelligitur clausula, ut id fiat sine praejudicio tertii. Porro commutatio, vel dispensatio dicitur facta cum praejudicio tertii si alicui certae Ecclesiae, vel personae pauperi etc. per acceptationem voti jus adquisitum fuit. Quare si ante acceptationem a Rectore Ecclesiae, vel ab alio ejus Administratore faciendam, cum nondum actio, et jus competat, vota in alicujus certae Ecclesiae commodum edita commutari, vel dispensari vellent, justa stante causa, posset Praelatus juxta communiorem sententiam commutare, vel dispensare; quia nullum jus illi Ecclesiae adhuc adquisitum est.

Dantur casus, in quibus possunt talia vota commutari vel dispensari, non obstante praejudicio tertii. I. Si persona illa, in cujus favorem cedit votum, jus suum sponte remittat, quod intelligitur etiam de Ecclesiae Praelatis, et Rectoribus, concurrente debita causa, et observata juris forma. II. Si publica causa, vel utilitas id exigat, potest Summus Pontifex dispensare, vel commutare de plenitudine suae Potestatis, praesertim si erat votum in favorem Ecclesiae, vel Loci pii, quorum ipse Supremus Dominus est; quia bonum commune debet praeferri bono privato Fidelium.

Q. Num ipse vovens possit omnia vota in melius commutare?

R. Minime, nam non potest sibi commutare, nec etiam in melius vota reservata sine licentia, et auctoritate Pontificis. Excipe tamen si haec vota reservata commutet in votum professionis Religiosae in aliqua Religione adprobata, in quod votum omnia vota tum personalia tum realia ipse vovens commutare potest, ut habetur ex Cap. *Scriptura* 4. de voto: *Reus fracti voti non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam noscitur Religionis observantiam commutare:* ita etiam D. Thomas 2. 2. q. 88. art. 12. ad 2. (1).

simplicia, etiam reservata in Poenitentiae Sacramento, uti patet ex declarat. Emi. Commis. Zuroli apud Vellam tom. 2. dub. XI.

(1) Communiter admittunt DD. licite posse fieri commutationem ab eadem persona, si fiat in melius, quia minus in meliori continetur. Et notandum hic 1. quod si commutatio fiet in opus melius, non requiritur causa, secus vero si in aequale. Ceterum pro justa causa, sufficiet minoratio periculi transgressionis, et etiam sufficiet major propensio subjecti; et opus si est dubie aequale, sufficiet notabilis molestia in eo adimplendo. Si autem opus commutatur in minus, est probabile cum *Sanch, Tamb. Candido etc.* quod valide, et licite adimpletur minus, si postea suppleatur per aliud opus adjunctum. Notandum 2. quod qui habet facultatem commutandi vota, non potest commutare, nisi in aequale, ita ut non appareat excessus notabilis et manifestus, juxta communem sententiam. Probabilius est vota realia posse commutari in personalia, et personalia in realia, ut dicunt *Suar. Less. Laym. Castropal. Salmant. etc.* Notandum 3. quod, facta commutatione voti, semper licet reassumere primum opus, licet commutatio sit facta in melius, dummodo secundum votum non acceptetur tanquam novum, ut recte dicunt *Castrop. Prado etc.* Sed si unquam opus commutatum redderetur impossibile, quaeritur an debeat reassumi primum votum. Affirmandum, si commutatio fuerit facta propria electione, secus si

Q. Quomodo commutanda sunt vota ?

R. Convenientius esse, ut vota realia commutentur in alia onera realia, et personalia in alia onera personalia, sed tamen hoc non est necesse; nam aliquando votum personale in reale onus commutari potest, vel e contrario, uti melius Superiori videbitur magis expedire saluti spirituali voventis, ut apparet ex cap. 2. de vot., ubi votum mixtum peregrinationis solis eleemosynis redimitur.

Q. Num ille, qui habet facultatem commutandi vota simpliciter, possit illa commutare in minus ?

R. Minime; si facultatem etiam non habeat dispensandi; nam nomen commutationis aequalitatem significat apud omnes. Hinc cum privilegia extendi non possint ultra verborum proprietatem, et communem acceptionem, sequitur quod habens facultatem vota commutandi, quae est instar privilegii, non potest commutare illa, nisi in aequale. Quae aequalitas accipienda est moraliter, non mathematice, et scrupolose.

Q. Num vovens post factam commutationem teneatur regredi ad primum votum, dato quod opus, in quod commutatio facta est, fiat postea inutile, et impossibile ?

R. Non tenetur redire ad primum, quippe quod per legitimam jurisdictionem extinctum est, obligatio autem semel extincta non reviviscit ex L. *Qui res* §: *Arcam* D. de solutionibus. Hinc si quis voverit peregrinationem Hierosolymitanam, et tale votum postea in Religionis professionem commutavit, si postea e Religione ejiciatur, non tenetur peregrinationem perficere; quia cum tale votum fuit commutatum in professionem religiosam, et vovens executus est commutationem, extinctum fuit, quod autem semel extinctum, nunquam reviviscit. *At si commutatio facta sit ab ipso vovente, tenetur redire ad primum votum.*

Q. Num post commutationem voti possit vovens regredi ad primum?

R. Potest ad arbitrium votum primum exequi, vel opus illud, in quod commutatio facta fuit, vel denique ab alio simili potestate praedito novam commutationem petere, quia sive commutatio facta fuerit in rem minorem admixta dispensatione, sive in aequalem, aut majorem, cedit in favorem voventis: *quisque autem potest favori suo renuntiare, et quod in gratiam alicujus conceditur non potest in ejus dispendium retorqueri* ex regula Juris 61. in IV.

Q. Num votum fictum, seu exterius factum sine animo vovendi, vel se obligandi peccatum sit ?

R. Maxime, quia illa simulatio est mendacium aliquod, et vana usurpatio Nominis Dei, continens irreverentiam contra Deum. Quod peccatum leve sit, an mortale, secluso scandalo, litigant Doctores. In votis tamen solemnibus, fictionem certum est esse mortalem; quia fit gravis injuria Religioni, ideoque Deo, et Ecclesiae.

auctoritate Ecclesiae. Et id etiam si opus evasit impossibile propria culpa. Notandum 4. quod qui habet facultatem commutandi pro aliis (idem dicendum de dispensatione) habet etiam pro seipso, ut docent *Suar. Azor. Sanch. Salmant. Prado*, et alii ex S. Thoma, qui expresse docet Praelatum posse secum dispensare in voto emisso. *S. Ligorius homo apost. loc. cit.* §. 38.

Q. Quibus aliis modis tollitur obligatio voti?

R. Pluribus aliis, et I. Cessante causa finali, ob quam factum est, nam cessante causa, cessat effectus: cap. 60 de appellat., et cessante causa finali, cessat etiam intentio voventis. Hinc si vovisti pauperi victum quotidianum daturum, ille autem postea dives, vel minus indigens factus sit, cessat obligatio voti.

II. Cessat votum desitione, vel mutatione materiae notabili, uti si materia voti antea honesta, fiat turpis, vel indifferens, vel impeditiva majoris boni, vel impossibilis, quia tunc cessat materia voti, quod debet esse de meliori bono. Praeterea si votum observari non possit sine gravi periculo mortis, vel gravis damni in bonis temporalibus, in statu, vel honore, nisi constet, voventem in tali casu, et eventu voluisse se obligare, et ratio est quia materia non est eadem, nec voventes communiter intendunt tunc se obligare.

Nota, quod si post votum obveniant difficultates tales: quas vovens si praevidisset, non vovisset, quia haec praecogitari poterant, ac debebant, quod si non fecerit, sibi imputet. Quare requiritur mutatio ita notabilis, et casus ita inopinatus, ut praesumi possit voventis intentionem ad hujusmodi casum specialem non se extendisse, sed excepturum fuisse, si in mentem venisset, vel interrogatus fuisset de eo.

Hinc si quis vovit jejunaturum omnibus diebus Veneris nihil cogitans de Christi Nativitate in diem Veneris aliquando incidente, non videtur teneri ad votum tali die. Hinc tamen advertendum est quod si mutatio, vel impedimentum, aut impossibilitas non est perpetua, sed temporalis, tunc obligatio voti non tollitur, sed suspenditur, ut ex cap. *Quod super* de voto.

III. Extinguitur votum, si tempus elapsum sit, quod vovens determinavit causa obligationis restringendae, et finiendae. Unde si quis voverit jejunaturum die Nativitatis B. Virginis, et eodem die sive culpate, sive inculpate non jejunavit, voto solutus est: si culpate tamen, peccavit.

CAPUT V.

De Adoratione, Decimis, Primitiis, et Oblationibus

Q. Quid est Adoratio, et quotuplex?

R. Adoratio late sumpta, *est exterior testificatio, qua alterius excellentiam significare volumus, et nostram erga illum submissionem ob ejus excellentiam.* Haec duplex est: Politica, seu Civilis, et Supernaturalis.

Politica est illa veneratio, quae exhibetur Viris Principibus Sapientibus etc. ob eorum excellentiam naturalem. Talis fuit adoratio Abrahami, cum adoravit filios Heth Genes. 23.

Supernaturalis autem est veneratio alteri exhibita propter excellentiam ejus supernaturalem, quae triplex est Dulia, Hyperdulia, et Latria.

Dulia est veneratio, quae Angelis, et Sanctis impenditur ob eorum excellentiam supernaturalem creatam.

Hyperdulia est veneratio, quae debetur SS. Dei Genitrici Mariae, ob singularem ejus supra omnes Sanctos, et Angelos excellentiam supernaturalem creatam.

Latria denique, quae adoratio stricte sumpta dicitur, est illa, quae exhibetur Deo ob increatam, et infinitam ejus excellentiam. Quare Latriae cultu colendus est Deus, cultu Hyperduliae B. Virgo, et cultu Duliae Sancti, et Angeli colendi sunt. Adoratio enim, et cultus commensurandus cum excellentia, propter quam exhibetur. Collet, Antoine.

Q. Estne locus determinatus, in quo colendus est Deus?

R. Si sermo sit de loco Jure naturali, aut Divino praescripto, certum est nullum designatum locum esse, sed cum Deus praesens sit ubique, eum ubique adorare possumus, et debemus. Ecclesia vero, Deo ipso praescribente, templa erexit, in quibus Sacrificia, solemnesque divini cultus attestationes celebrarentur. Tres congruentes rationes adfert Angelicus, quibus evincit convenientem, atque decentem templorum institutionem 2. 2. q. 84. art. 3. ad 2. *Determinatus locus eligitur ad orandum, non propter Deum, qui adoratur, quasi loco concludatur, sed propter ipsos adorantes. Et hoc triplici ratione: Primo quidem propter loci consecrationem, ex qua specialem devotionem concipiunt orantes, ut magis exaudiantur, sicut patet ex adoratione Salomonis III. Reg. VIII. Secundo propter sacra Mysteria, et alia sanctitatis signa, quae ibi continentur. Tertio propter concursum multorum adorantium, ex quo fit oratio magis exaudibilis.*

Q. Quid sunt Decimae?

R. Decimae sunt decima pars bonorum mobilium juste quaesitorum Ecclesiae Ministris exsolvenda. Dicitur *bonorum mobilium*, scilicet grani, vini, fructuum, arborum, pecorum, hortorum etc. ut ex cap. *Non est* de Decim.

Decimae aliae sunt praediales, et sunt illae, quae solvuntur ex fundis, puta agris, vineis, hortis etc.

Aliae sunt personales, et sunt illae, quae solvuntur ex lucro personali.

Aliae denique sunt mixtae, quae solvuntur tum ex persona, tum ex fundo, scilicet ex foetu pecorum, lana, caseo etc.

Q. Quo Jure praestandae sunt Decimae?

R. Quoad substantiam spectatae, et quatenus sunt necessarium stipendium Ministrorum Ecclesiae sunt de jure Divino, ut ait D. Thomas q. 85 art. 1. *Dignus est operarius mercede sua*, ait Dominus Matth. 10. et Luc. 10, et ex Apostolo ad Corinth. Epistola 1. 9. idem evincitur. Quod determinationem de jure positivo Ecclesiastico, ut ait idem D. Thomas cit. loc., at licet aliqui Textus in Jure Canonico reperiantur, ubi dicitur, *Decimas esse de jure Divino praestandas*, intelligendi tamen sunt quoad substantiam, non vero determinationem. Et postquam lex ecclesiastica de decimis justa ratione lata fuit, et a populo acceptata, contra justitiam peccat, et quodammodo contra Deum sacrilegus est, qui decimas defraudat, Can. *Decimas* caus. 16. quaest. 7. Cap. *Tua* de decim., et Trident. sess. 25. Cap. 12. de reformat.: et ratio est, quia decimae sunt justum stipendium, et legitima substentatio Clericis per Ecclesiasticum praeceptum assignata pro spiritualibus officiis, quibus Deo inserviunt nomine totius populi.

Q. Quaenam personae tenentur solvere decimas?

R. Omnes, et solae personae, quae in spiritualibus subditae e manu Sacerdotis Sacramenta suscipere debent; decimae enim dantur pro spirituali cura, ac ministerio, quod Fidelibus exhibetur. Hinc non tenentur ad de-

cimas Infideles, et Judaei, quia legibus ecclesiasticis non obligantur. Clerici tamen ex ecclesiasticis redditibus nullas decimas persolvere tenentur, quia Ecclesia voluit ejusmodi redditus absque deminutione pervenire ad Beneficiatos, quia ipsi iisdem fidelibus in spiritualibus inserviunt.

Q. Cuinam sunt solvendae decimae?

R. Solvendae sunt Ecclesiae Parochiali, ad quam quisque Fidelium pertinet, vel intra cujus terminos praedia sita sunt, ut ex cap. 2. de restit. spoliat. in VI. Ubi adverte, quod quarta pars decimarum spectato jure communi solvenda est a Parocho Episcopo ordinario, ut ex Cap. *Conquerente*, de offic. Ord.

Q. Quandonam solvendae sunt decimae?

R. Decimae praediales solvendae sunt, cum primum fructus solo separati, et collecti sint, ut ex Cap. *Cum homines* de decim: at hic ait Glossa, quod si rusticus fuit in mora solvendi, periculum decimarum ad ipsum spectat, neque opus est, ut a Parocho petantur, vel exigantur, quia tempus ipsum interpellat pro Parocho.

Q. Quid si sint morosi ad decimas solvendas?

R. Parochus non potest per vim extorqueri, aut ob eam causam ab Ecclesiae aditu, vel a Sacramenti partecipatione prohibere, sed debet Episcopum monere, ut illos cogat; quia universim non est concessum creditori bona debitoris invadere propria auctoritate, et ad crediti solutionem perstringere. Si neque monitis Episcopi obediant, adeant Ordinarios Judices, qui reluctantes ad decimas cogant. Vide Cavall. ad tit. de decim.

Q. Quibus ex titulis potest quis adquirere jus exigendi decimas?

R. Pluribus ex titulis. I. Per collationem Parochialis beneficii, cui tale jus assignatum reperitur.

II. Per transactionem, puta si plura praedia, de quorum jure decimandi litigatur, transigatur, seu componatur amicabiliter, ut uni parti haec, alteri alia praedia assignentur, vel ut decimae dividantur; quae transactio sit fiat inter Clericos per auctoritatem Episcopi, vel Pontificis, perpetua est. Adverte, quod in tali transactione nullum extrinsecum pretium intervenire potest, nam aliter, cum jus decimarum sit spirituale, simonia committeretur.

III. Per permutationem, hoc est, si jus decimarum unius Ecclesiae, cum jure decimarum alterius Ecclesiae permutetur, cum consensu Episcopi, ut ex Cap. *Nulli* de rebus Ecclesiae non alienandis. Ubi nota, quod jus decimarum, quia spirituale est, sine simonia vendi non potest, sic nec etiam sine simonia cum re temporali permutari potest, ita colligitur ex Cap. ultim. de rerum permutatione. Quin tale jus decimarum formaliter sumptum ne gratuita quidem concessione Laicis concedi potest, aut privilegio, ut ex Cap. *Quamvis*, Cap. *Prohibemus* de decimis, quia Laici, sicut spiritualia Fidelibus ministrare non possunt, sic etiam incapaces sunt talis decimarum juris, fundati in hujusmodi privilegio. At si materialiter tale jus spectetur, scilicet in ordine ad solam utilitatem fructuum percipiendorum separatam a spirituali jure, Laicis distrahi, et concedi potest per venditionem, locationem, concessionem, privilegium etc. Uti scite D. Thom. 2. 2. q. 86. art. 3. demonstrat.

IV. Per praescriptionem, hoc est si jus decimarum ab aliquo Clerico,

vel Ecclesia, ex justo titulo, et spatio quadraginta annorum, praescriptum fuit; sine tamen titulo tempore tam longo, ut ejus initii nulla extet hominum memoria, et sumitur ex Cap. *Ad aures* de praescriptionibus, et ex Cap. 1. de praescriptionibus in VI. Dixi *ab aliquo Clerico*, quia laicus nunquam potest praescriptione adquirere jus decimarum, etiam bona fide, et tempore immemorabili, ut ex Cap. *Causam* de praescriptionibus, sive formaliter tale jus concipiatur, quatenus scilicet spirituale est, sive materialiter, scilicet in ordine ad fructus decimarum percipiendos.

Q. Quid sint Primitiae?

R. Primitae sunt primi fructus agrorum, vinearum, hortorum, ut apparet ex Exodo, Levitico, et ex Num. Primitiarum autem Sacerdotibus offerendarum antiquissimus fuit in Ecclesia usus, unde de iis loquitur D. Thom., Ambros., Origines, aliique. Hodie tamen pluribus in locis talis obligatio desuetudine abolita est.

Oblationis nomen pluribus significationibus accipi solet. I. Oblatio late sumpta significat quidquid Deo offertur, unde comprehendit decimas, et primitias. II. Sumitur minus late pro omni munere Deo oblato sive in vita, sive in morte, distincto tamen a decimis, et primitiis, et sub tali acceptione dicuntur oblationes defunctorum, scilicet ea, quae mortis causa Ecclesiae sunt legata, de quibus loquitur Concil. Vasense sub Julio Papa celebratum, et Concil. Arelat. 2. III. Pro dono, quod Fideles ad altare sive per se, sive per manus Diaconi deferre solent.

Q. Quaenam personae possunt offerre oblationes ecclesiasticas?

R. Soli Christiani, et ab Ecclesia non praecisi, seu excommunicati, ita ex Concil. Eliberit. Cap. 28: quia offerre munera in Ecclesia, et recipi, est quaedam ecclesiastica communicatio, cujus Fidelis solus non praecisus, capax est.

Q. De quibus rebus oblationes accipiendae sunt?

R. De rebus juste adquisitis; unde de illicite adquisitis, vel de iis, quae restitutioni obnoxia sunt, neque fieri, neque recipi possunt oblationes, uti ait D. Thomas ex illo Ecclesiast. *Immolantis ex iniquo, oblatio est maculata.* Unde ea, quae vel ex justitia, vel pietate aliis tradenda sunt, oblationis materia esse non possunt. Et speciali jure prohibitum est, ne oblationes raptorum recipiantur. Cap. *Super eo* de raptor. Oblationes usurariorum, Cap. *Quia in omnibus* de usur. et oblationes meretricum, et aliorum ex peccato mercedem retrahentium repudiandas esse, ait D. Thomas 1. 86. art. 3. ad 1.

CAPUT VI.

De Horis Canonicis

Ut materiam hanc, quae multa scitu necessaria complectitur, clariori methodo pertractemus, videndum est I. Quid sunt horae Canonicae, et qui ad eas teneantur II. Quomodo Officium debeat recitari, et quo tempore, et ordine III. Discutiendae sunt tum causae, quae ab Officii recitatione dispensant, tum obligationes eorum, qui non recitaverunt.

§. I. *Quid sunt Horae Canonicae, et qui ad eas teneantur*

Q. Quaenam est definitio horarum Canonicarum, seu Officii Divini?

R. Hanc tradit Cardinalis Bellarminus lib. 1. de bonis oper. cap.10. *Divinum Officium est certa ratio publice laudandi, precandique Deum, mente simul, et voce, auctoritate Praesulum Ecclesiae instituta.* Dicitur *certa ratio*, quia non quaelibet laus Deo oblata nomen obtinet officii Divini, sed tantum ea, quae fit forma servata, et praescripta ab Ecclesia, constatque Psalmis, Hymnis, Lectionibus, et Precibus. Additur *publice*, quia Divinum Officium persolvitur publico nomine totius Ecclesiae in bonum commune a publicis Ministris. Dicitur *laudandi*, *precandique*, *ut* distinguatur Ecclesia triumphans, quae cum post universale judicium in omnibus suis membris triumphavit, solas laudes Deo persolvat: nunc vero Ecclesia, usque dum militat, et bellum agit, laudes, preces, et supplicationes adjungit. *Tò Deum* additum in definitione significat, quod soli Deo divinum officium persolvitur. Additur *mente simul et voce*, quoniam sic praecipit Ecclesia; idcirco additur ultima particula *auctoritate Praesulum etc.* Quod praeceptum, recitandi nempe Officium juxta formulam institutam ab Ecclesia, latum est in pluribus Conciliis, ut in Milevitano Can. 12., in Toletan. IV, cap. 2., et a S. Gregor. VII. in Concil. generali numerus Psalmorum; et Lectionum praescriptus est, uti habetur in Can. *In die* de consecrat. dist. 5.

Q. Quot partes in horis Canonicis continentur?

R. Septem partes continet officium, seu horas, scilicet Matutinum cum Laudibus, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas, et Completorium, juxta illud Davidis: *Septies in die laudem dixi tibi.* Et ut correspondeant etiam septem Mysteriis principalioribus Passionis Christi, ut ait Glossa in cap. 1. de celebrat. Missar.

Haec sunt septenis, propter quae psallimus horis.
Matutina ligat Christum, qui crimina purgat:
Prima replet sputis, causam dat Tertia mortis:
Sexta Cruci nectit, Latus ejus Nona bipartit:
Vespera deponit, Tumulo Completa reponit.

Q. Unde oritur obligatio recitandi horas Canonicas?

R. Ex triplici titulo, scilicet ex Sacri Ordinis susceptione: ex professione Religionis, et denique ex receptione beneficii. Unde ratione primi tituli ad hujusmodi recitationem tenentur Subdiaconi, Diaconi etc. ratione secundi Religiosi professi, etiamsi in Sacris non constituti, et Moniales choro deputatae, et ratione tertii, qui beneficium, vel Capellaniam ecclesiasticam receperunt, etiamsi nondum ascenderint ad Ordines sacros. Id patet ex cap. *Dolentes* de celebrat. Missar., et ex Concil. Lateran. V. sess. 9.

Q. Num isti teneantur sub gravi, vel sub levi ad horas Canonicas?

R. Teneri sub gravi, ita ut si omittatur vel omne Officium, vel aliqua ejus notabilis pars, peccent graviter, uti habetur ex cit. Cap. *Dolentes.*

Q. Num excommunicati, suspensi, interdicti, vel degradati liberentur a tali onere?

R. Minime; quia aliter isti reportarent commodum ex proprio delicto. Quaestio probat Sacerdotem triremibus damnatum Officio teneri. Item dican-

dum de incarcerato, vel de capto a Piratis, si possit. Si quis tamen coacte ordinatus fuisset, non teneretur ad Officium, nisi voluntarie postmodum uteretur ordine suscepto. Ratio est, quia tale onus nemini invito ordinato imponi potest.

Q. Quinam veniunt nomine beneficiatorum?

R. Veniunt illi, qui receperunt beneficium, sive simplex, sive Curatum, uti Rectoriam, Canonicatum, Episcopatum etc., vel qui receperunt Capellaniam collativam, scilicet illam, quae auctoritate Episcopi recta est, et ab ipso confertur.

Q. Num ille, qui habet duo beneficia, teneatur ad duplicem recitationem?

R. Minime, uti constat ex praxi, quia multiplicatio titulorum non multiplicat obligationem. Hinc nec etiam ordinatus in Sacris, qui est simul Beneficiatus, tenetur ad duplex Officium recitandum.

Q. Num ille, qui titulo beneficii, et titulo Ordinationis sacrae tenetur ad horas Canonicas, et committat duplex peccatum in Confessione detegendum, si omittat earum recitationem?

R. Maxime, nam peccat contra Religionem, quia ratione Ordinis sacri ex motivo Religionis ad illam se obligavit, et contra justitiam, quia ratione beneficii tenetur ex justitia ad pensum Officii; cum propter Officium datum sit beneficium.

Q. Qui metu coactus suscipit beneficium, subjacetne horarum Canonicarum oneri?

R. Si beneficiatus nolit percipere fructus, neque ad horas recitandas adstringitur, si contra redditibus frui velit, ad horas solvendas obstringitur, quia tunc, qua voluntate percipit fructus, vult quoque beneficium. Quamvis enim coacte susceperit, voluntarie tamen, et libere retinet beneficium.

Q. Ille, cui beneficium confertur, ut pulset organa, aut artem, uti grammaticam, aliamve scientiam doceat, teneturne ad horas Canonicas recitandas?

R. Si soli fructus ex beneficio percepti alicui conferantur tamquam merces, et stipendium laboris, et id constat ex fundatione beneficii: collator namque non potest imponere onus beneficio, quod in fundatione non habet, tunc nulla est recitandi horas Canonicas obligatio: contra vero, si beneficium reapse conferatur cum onere docendi praefatas artes, tunc recipiens beneficium suscipit onus persolvendi Officium eidem beneficio adnexum. Concina.

Q. An beneficiatus, qui habet beneficium tenue, teneatur ad Officii recitationem?

R. Adesse litigium inter DD. Verum probabilius dicendum est, quod teneatur, dummodo aliquos fructus percipiat, quia sponte sua Beneficiatus tale beneficium accipiens, sponte sua etiam acceptat onus illi adnexum, sicut Vir, qui contentus parva dote, uxorem accipit, illam alere tenetur. Porro Concil. Lateran., et Pius V. in sua Bulla onus imponit Beneficiato sine distinctione, an beneficium tenue sit, vel pingue habeat. Ita Layman, Barbosa, aliique.

Q. An duo, qui de beneficio contendunt, ambo teneantur ad Officii recitationem?

R. Si jus utriusque vere dubium est, neutrum ad Officium etiam post aditam possessionem teneri; talis enim possessio nec pacifica est, nec jus certum tribuit. At si constet alterutri de jure suo certo, ex Jurisperitorum sententia, tunc longe probabilius est eum lege Officii teneri, quia ex tali possessione licet nondum pacifica, sequitur jus moraliter certum. Collet. Non debet tamen percipere fructus; nam ille, qui possidet, percipit fructus ad Officium tenetur.

Q. An beneficiatus, qui omittit culpabiliter recitationem praeter peccatum, teneatur ad aliquid?

R. Teneri ad restitutionem fructuum sui beneficii pro rata omissionis recitationis officii, et temporis, qui fructus vel in fabricam ejusdem beneficii vel in eleemosynas pauperum sunt erogandi, statuit Concil. Lateran. cit. sess., et Pius V. in sua Bulla, incip. *Ex proximo Lateranensi.*

Q. Quaenam est haec rata, quam restituere debet?

R. Omnes fructus illi diei congruentes tenetur restituere, si totum Officium omiserit: si matutinum cum laudibus, dimidiam partem, si omnes reliquas horas, etiam dimidiam, si aliquam tantum, sextam partem: et hoc non solum qui unicum beneficium, sed etiam qui plura possidet, observare tenetur, ita ut omnes fructus omnium beneficiorum cum dicta distributione solvere debent. Ita ex cit. Bol.

Q. Num haec restitutio sit facienda ante, vel post Judicis sententiam?

R. Facienda est ante Judicis sententiam, et constat ex prop. 20 ab Alexandro VII. damnata (1).

Q. Num sufficiat talem Beneficiatum fecisse ante omissionem Officii eleemosynas ex fructibus beneficii, ut deobligetur a tali onere restitutionis?

R. Minime, ut patet ex Prop. 33. ab eodem Alexandro VII. proscripta (2).

Q. Num teneatur ad horas canonicas, qui habet Capellaniam?

R. Si Capellania sit collativa, seu auctoritate Episcopi erecta, et ab eodem conferatur, procul dubio, qui illam habet, horis Canonicis recitandis subjectus est, quia hujusmodi Capellania est verum beneficium ecclesiasticum. Si vero neque erecta sit, neque conferatur ab Episcopo, exemptus est ab horis recitandis, qui illam habet; quia tunc nullo modo dici potest habere beneficium ecclesiasticum.

Q. An ille, qui habet pensionem ecclesiasticam teneatur ad horas Canonicas ex vi talis pensionis?

R. Si pensio sit omnino laicalis, quae confertur, ut stipendium ac merces ob laborem, aut ob alia servitia pulsandi organa, aperiendi fores etc., et non tenetur, quia ejusmodi pensiones etiam saecularibus conferuntur. Si vero conferatur Clerico, uti Clerico, et exigant in recipiente aliquem Ordinem, seu Tonsuram, et tunc recipiens tenetur non ad horas Canonicas, sed ad recitationem Officii parvi B. M. Virginis, ita ut moraliter peccet, illud vel in totum, vel quoad partem notabilem omittendo sine urgenti cau-

(1) *Restitutio a Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus Divinum Officium non debetur in conscientia ante Judicis sententiam declaratoriam, eo quod sit poena.*

(2) *Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea fecerit Beneficiarius de fructibus beneficii.*

sa, et fructus congruentes suos non facit, ut ex Bulla cit. Pii V. ibi: *Quicumque pensiones, fructus, aut alias res ecclesiasticas, uti Clericus percepit, eum modo praedicto ad dicendum Officium parvum B. M. Virginis decernimus obligatum.*

§. II. *Quomodo Officium debeat recitari, et quo tempore, et ordine*

Q. Quomodo recitandum est Divinum Officium?

R. Variae sunt Theologorum responsiones quoad hunc quaesitum, sed nos a Textu non recedamus. In cit. Cap. *Dolentes* de celebr. Missarum clare patet, quod Divinum Officium *studiose, et devote* recitari debet. Ad studiosam recitationem pertinet, ut integre, clare, et distincte, et absque interruptione notabili, et culpabili recitetur Officium. Ad devotam vero spectat, ut cum debita intentione orandi, et attentione simul interiori, et exteriori recitetur. Patet etiam ex Concil. Later. IV., ubi habetur: *distincte praecipimus, ut Divinum Officium nocturnum, et diurnum, quantum ei dederit Deus studiose pariter celebrent, et devote.* Studium illud, et devotio sine seria attentione consistere non possunt. Devotio enim pure externa non est devotio, sed hypocrisis juxta illud Matth. 15. *Hypocritae bene prophetavit de vobis Isaias dicens, populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.*

Q. Num satisfaciat huic praecepto, qui mentaliter Psalmos dicit, aut inter se legendo lectiones, et orationes percurrit?

R. Minime, quia recitatio est praeceptum Ecclesiae, cui per actus internos tantum satisfieri non potest. Unde recitans debet ita proferre verba, ut possit saltem ab ipsomet audiri, ad hoc ut satisfaciat suo muneri, ut ajunt Salmantic., non autem elata voce ut fastidium efficiat aliis.

Q. Quid si aliquis obtruncat verba syncopando, vel syllabas absorbendo, ita ut sensus confundatur, vel verba priora versiculis ultimis conjungendo?

R. Nec etiam satisfacere, quando verborum sensus deperditur, et fit in magna quantitate, quia tunc non dicitur integra recitatio, si vero verba non amittant suum sensum, vel fiat in parva quantitate, tunc est veniale peccatum.

Q. Ad quid tenetur ille, qui cum socio recitat privatim Officium?

R. Tenetur proferre alternatim versus Psalmorum, ita ut possit a socio distincte audiri. At Responsoria, Orationes, et alia hujusmodi possunt ab alterutro dici, dummodo alter audiat, quia tunc auditus loco prolationis substituitur: melius autem erit, si uterque recitent partem suam.

Q. Num recitans cum socio suae obligationi satisfaciat, si ita festinanter recitet, ut antequam socius verba sui versiculi proferre desinat, proferat ipse, quae sibi competunt verba?

R. Minime, si sit in notabili quantitate haec conjunctio, quia cum versus, et verba confundantur, non habetur integra, et distincta recitatio, sicuti a jure requiritur.

Q. Num Nocturni separari possint a Laudibus, vel unus ab alio?

R. Maxime, stante justa causa, quia antiquitus separabantur. Dixi *stante justa causa*, quia sine illa habetur peccatum veniale, quia non serva-

tur ordo ab Ecclesia praescriptus pro Officii recitatione, ut ajunt Salmanticenses.

Q. Num liceat in privata recitatione invertere horarum ordinem, v. g. recitare Tertiam ante Primam, vel recitare Officium diei sequentis, nondum persoluto Officio diei praecedentis?

R. Maxime, stante justa causa; et remoto scandalo, et contemptu, nam ordo horarum est accidentalis recitationi, ideoque justa de causa, et sine contemptu praetermitti potest. Ita Salmanticenses.

Q. Quid si invertatur ordo ipsius horae, v. g. legere lectiones in Matutino ante psalmos, vel preces, et postea psalmos?

R. Nec etiam peccare, qui sic invertit, dummodo justa de causa fiat, et absque scandalo, et contemptu, quia ordo Officii est accidentalis, ut supra dictum est, ideoque justa stante causa omitti, vel inverti potest, uti ajunt laudati Salmanticenses. Advertatur tamen, ne tam facile fingatur causa, quae revera adesse debet; et gravis in inversione psalmorum, lectionum, et precum, aliter erit confusio detestabilis in ordine recitationis.

Q. An peccet mortaliter, qui Missam celebret ante recitationem Matutini cum Laudibus absque causa?

R. Minime, quia celebratio Missae, et recitatio horarum sunt diversa, nec ullam habent inter se connexionem. Difficulter tamen a veniali excusabitur, tum quia Matutinum non dictum debita hora, tum quia Rubrica Missalis Romani sic praecipit; quod praeceptum, etsi in se non si tam rigorosum, tamen si omittatur sine causa, quis dubitat, quod non saltem venialiter peccetur? Vide Salmantic., Collet, Cuniliati. Aliter tamen si fiat ex contemptu, vel adsit scandalum.

Q. Quo loco sunt recitandae horae Canonicae?

R. Pro recitatione privata non est ab Ecclesia locus assignatus, unde in quocumque loco, dummodo hic decens sit, et aptus ad orationem, huic oneri potest satisfieri. Pro recitatione tamen publica assignatur Chorus, unde in Cathedralibus, Collegiatis, et quasi Collegiatis, et in Ecclesiis Religiosorum Choro addictorum, et Monialium, quae Choro deputatae sunt, tenentur Canonici, Religiosi, ceterique Choro deputati integras horas in Choro recitare, saltem per numerum convenientem recitantium, aliter mortaliter peccant Choro deputati, et Ecclesiae Rectores, etiamsi illud Officium privatim recitent, et etiamsi omissio fiet horae unius tantum, imo unius psalmi non exigui. Ita Salmanticenses.

Q. Quo tempore sunt recitandae horae Canonicae?

R. Singulis diebus omnes, et integras horas Canonicas esse recitandas ab iis, qui ad recitationem tenentur, uti apparet ex cit. Cap. *Dolentes*, et cit. Bulla; quae obligatio incipit a puncto mediae noctis antecedentis diei, et desinit in puncto mediae noctis diei sequentis. Unde non satisfaceret tali praecepto, si ante mediam noctem Primam, vel alias horas subsequentis diei recitaret, quia Divinum Officium est pensum singulis diebus adnexum, uti habetur in dicto Cap. *Dolentes*. Excipe tamen Matutinum cum Laudibus, quod ob inveteratam, receptamque consuetudinem potest post Completorium diei antecedentis tempore opportuno dici, uti communiter DD. omnes tenent.

Q. Quanam parte diei sunt recitandae horae Canonicae?

R. Pro recitatione publica in Choro facienda licet matutinum cum Laudibus esset recitandum post mediam noctem, Prima, orto sole, Tertia ante

Missam solemnem, Sexta post illam, Nona circa meridiem, Vesperae die inclinante: et Completorium sub initium noctis; tamen consulte est standum Consuetudinibus Ecclesiarum, quae mutari sine rationabili causa non possunt sine peccato, ratione scandali, uti communiter DD. omnes. Pro recitatione vero privata consultum est publici Chori tempora observare, eique se conformare, quia privata recitatio quamdam habet habitudinem ad publicum Chorum, ut ait. Layman. Ceterum si quis uno tempore Officium integrum recitet, quacumque hora illud recitet, non censetur peccare mortaliter, imo nec venialiter, si fiat ex aliqua rationabili causa, et secluso contemptu, et scandalo, ut supra diximus. Hic nota: quod in recitatione Officii laudabilior sit anticipatio quam dilatio, cum praevenire sit prudentiae, tardare vero negligentiae. D. Antoninus in 3, par. tit. 13.

Q. Num ille, qui heri Officium non recitaverit, teneatur duplici recitationi?

R. Minime, quia est onus adnexum diei, quo praeterito, non obligat amplius.

Q. Num possit quis unico Matutino cum Laudibus satisfacere duplici Officio, scilicet diei praesentis, et crastini, si utroque die recitandum sit idem Officium?

R. Minime, quia sunt duo onera, quibus duplex debet correspondere satisfactio, et patet etiam ex Prop. 35. damnata ab Alexandro VII. (1).

Q. Num est peccatum mortale officium longius privata auctoritate in aliud brevius commutare, et unum pro alio dicere, v. g. pro Officio feriali, Officium de Sancto?

R. Maxime, quia non satisfacit suo oneri, qui privata auctoritate scienter Officium pro Officio commutat, etiamsi semel fiat in anno, nam Officium non est recitandum ad libitum recitantis, sed secundum formam praescriptam a Pio V. in sua Bulla posita initio Breviarii Romani. Unde observandum est Breviarium Romanum, et Directorium Dioecesanum, et juxta illa instituere recitationem (2).

§. III. *De causis ab Officii recitatione excusantibus.*

Q. Quaenam sunt causae ab horarum recitatione excusantes?

R. Possunt reduci ad quatuor juxta Salmanticenses, quae sunt infirmitas, et quidem tales, ut non sine magna difficultate, vel corporis periculo horae Canonicae possint recitari: gravis, et honesta occupatio, quae sine notabili sui, vel Proximi incommodo differri, vel omitti non potest, ut si quis periculose aegrotantis confessionem ad mediam noctis protrahendam excipere debeat, aut ad concludendam pacem, et finem seditioni imponendum vocatus, per diem totam impediatur. Ratio est, quia charitati, ut quae virtutum regina sit, ceterae virtutes cedere debent. Impotentia extrinseca, si non habeat Breviarium, vel intrinseca, scilicet, si sit coecus, vel mutus, et dispensatio justa de causa a Summo Pontifice obtenta.

(1) *Unico Officio potest quis satisfacere duplici praecepto pro die praesenti, et crastino.*

(2) Merito Alexander VII. hanc Propositionem proscripsit: *In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit praecepto.*

Q. Quid si dubitetur, an infirmitas sit talis, ut excuset?

R. Quod debeat se committere Medicorum judicio, vel Superioris consilio adquiescere, quia quoties in hac re bona fide proceditur, et cum prudenti judicio excusationis, nulla committitur culpa.

Q. Num excusetur Clericus Beneficiarius, qui ut per integrum diem studio literarum vacet, per alium oneri recitationis satisfacit?

R. Minime, quia tale onus est personale, et proprium ipsius Beneficiarii, idcoque per se adimplendum. Hinc habetur in contrarium Prop. 21. ab Alex. VII. proscripta: (1).

Q. Num caecus, qui scit memoriter horas, teneatur illas recitare?

R. Maxime, quia praeceptum est de oratione vocali, quae memoriter haberi potest, non tamen de lectione: idem dic de surdo, vel surdastro, qui se audire non potest, nam talis auditus de se non est necessarius.

Q. Num ille, qui non potest totum officium recitare, teneatur ad illam partem, quam potest?

R. Maxime, et patet ex Prop. 34. ab Innoc. II. damnata (2).

Q. Num Summus Pontifex possit Clericum dispensare ab Officii recitatione?

R. Maxime stante justa, et rationabili causa, quia quilibet Legislator dispensare potest in lege sua: at praeceptum recitandi Officium est Ecclesiasticum, ergo Pontifex potest dispensare. Episcopi vero ab Officii recitatione dispensare non possunt, quia inferior in lege Superioris non dispensat, nisi de ejusdem consensu, et porro Lex obligans Beneficiarios, et Clericos ad Canonicas preces lata ab Ecclesia est, cujus Caput est Pontifex. In casibus tamen occurrentibus dispensare pro temporum, et circumstantiarum varietate, et ex rationabili causa suos subditos possunt Episcopi, quia et Pontifex id concessisse rationabiliter praesumitur, et Consuetudo invecta id confirmat. Concina, Collet, aliique.

CAPUT VII.

De vitiis Religioni oppositis.

Ex genere suo sunt mortalia peccata Religioni opposita, et graviora iis, quae sunt contra alias virtutes morales; nam opponitur virtuti inter morales praestantissimae. Haec duplicis generis sunt, alia, quae opponuntur per excessum, et comprehenduntur nomine superstitionis. Alia per defectum, quae irreligiositatis nomine exprimuntur. Antoine. Species superstitionis sunt Idololatria, Divinatio, vana observantia, Maleficium, atque Magia. Species irreligiositatis sunt Tentatio Dei, Blasphemia, Perjurium, Violatio voti, Sacrilegium, et Simonia. Nos fuse non loquimur de istis, quia quisque potest addiscere copiose hanc scientiam apud Doctores, sed solum de iis magis scitu necessariis, praecisa mora verba facimus.

(1) *Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio literarum vacet, satisfacit suae obligationi, si Officium per alium recitet.*

(2) *Qui non potest recitare Matutinum, et Laudes, potest tamen et reliquas horas, ad nihil tenetur, major pars trahit ad se minorem.*

41. ait: *Annuntiate, quae futura sunt in futurum, et scimus, quia Dii estis vos*. Hoc notato:

R. Divinatio est inquisitio rei occultae ope daemonis facta: dicitur, *rei occultae*, id est rei, quae ab hominibus propria industria cognosci nequeunt; in quo advertendum est, quod si res illa occulta solum a Deo cognosci possit, uti sunt secreta cordis, et futura libera, committit tacitam idolatriam, si petat quis cognitionem illius a daemone, quia tribuit cultum Deo debitum, daemoni.

Divinatio ex parte pacti duplex est, una cum expressa invocatione daemonis, et altera cum tacita, ac implicita ejusdem invocatione. Prima habetur, cum quis verbis daemonem invocat, vel factis, utendo aliquo medio, per quod putat daemonem cooperari. Secunda habetur, quando quis adhibet vana, et improportionata media ad aliquod occultum sciendum; uti si quis invertendo cribrum, furem petit cognoscere, aut proferendo aliqua verba.

Species Divinationis expressae sunt plures. Prima dicitur divinatio somniorum; seu illa, quae fit per somnia. Secunda dicitur praestigium, quae habetur per praestigiosam apparitionem daemonis ingerentis se aspectui, vel auditui hominum. Tertia dicitur Necromantia, quae fit per mortuos in speciem suscitatos. Quarta dicitur Chyromantia, quae per lineas manus fit. Quinta dicitur Geomantia, quae habetur per figuras apparentes in aliquo corpore terrestri, ut in ligna etc. Quare si habeatur in aqua dicitur Hydromantia, si in aere Areomantia, si in igne Pyromantia, si in visceribus animalium immolatorum in aris daemonum dicitur Haruspicium.

Species divinationis tacitae sunt plures. Prima fit per somnia, quae dicitur observantia somniorum, secunda fit per avium, piscium, aut aliorum animalium observationem, quae dicitur Augurium. Tertia fit per lineamenta corporis, puta vultus, manus etc., quae dicitur Physiognomia. Quarta dicitur Astrologia. Quinta Sortilegium.

Q. Quotuplex est Astrologia?

R. Duplex est; una dicitur naturalis, et est illa, quae ex siderum concursu praenuntiantur effectus, qui cum illis connexionem naturalem habent, uti ecclypses, venti, pluviae etc., quae est licita, quatenus non habetur concursus cum daemone. Altera dicitur divinatoria, seu judiciaria, et est illa, qua ex siderum concursu futura libera praedicuntur, uti Petrum fore auctorem furti, esse contracturum tale matrimonium etc., quae a Sacra Scriptura, Patribus, et Conciliis, et praesertim a Bulla Xysti V., quae incipit *Coeli Moderator, et Terrae*, et a Bulla Urbani VIII., quae incipit *Inscrutabilis*, graviter damnatur, ac prohibetur, quatenus superstitionem continet.

Q. Sub qua poena Astrologia judiciaria prohibetur?

R. Sub poena denuntiationis, et excommunicationis latae sententiae S. Pont. reservatae, quae est tum contra Astrologos, tum contra eos, qui illos consuluerunt, sive eorum judicia, sive praedictiones, super praemissis receperint. Quin ex citatis Bullis ista poena contrahitur, etiamsi hujusmodi Astrologi illud non certo se affirmare protestantur.

Q. Quid de eo, qui pronuntiat ex astris temperamentum, qualitatem, vel inclinationem alicujus viventis, puta, quod sit subjectus irae, superbiae etc.?

R. Non peccare, quando cum tenuissima probabilitate hoc praenuntiat. Ita Suarez cum aliis communiter.

Q. Quid est Sortilegium?

R. Est illud, quo quis vult explorare eventus futuros, vel veritatis occultae manifestationem per sortes. Triplicis generis sunt sortes: aliae dicuntur divisoriae, quae applicantur ad dividendas hereditates, ad litem dirimendam, quae per se malae non sunt, sed saepe bonae, ac utiles juxta illud Prover: 18. *Contradictiones comprimit sors, et inter potentes quoque dijudicat.* Quod est intelligendum, quando jus utriusque partis est aequale, et utraque pars in sortitionem consentit. Tamen adverte, quod sortes omnes vetitae sunt in electionibus Ecclesiasticis. Cap. 3. de sortilegiis. Et etiam in officiis saecularibus ob periculum eligendi indignum, aut minus dignum; nam beneficia, et officia tam ecclesiastica, quam saecularia conferri debent dignioribus, qui non sorte, sed diligenti inquisitione rationis cognosci possunt.

Aliae dicuntur consultoriae, et sunt illae, quibus Dei voluntas consulitur; quae sunt licitae, quando mittuntur cum fiducia, et reverentia debita in Deum urgente necessitate, scilicet quando alia via nequit quis occurrere gravi necessitate, aut Ecclesia magnum inde emolumentum sit habitura; nam sine necessitate tentaretur Deus, et esset periculum deceptionis diabolicae, ideoque sub anathemate prohibentur. Can. *Sortes* 26. q. 5.

Aliae dicuntur divinatoriae, et sunt illae, quibus quis utitur ad aliquod occultum cognoscendum ope daemonis, quod sortilegium per se est mortale; quia intervenit in eo tacita daemonis invocatio, et nunquam sunt licitae.

Q. Quid sit specialiter dicendum de divinatione per somnia?

Ante responsionem nota. Somnia possunt provenire, vel a Deo, vel a dispositione naturali, vel a malo spiritu: hoc notato:

R. Licet alia somnia possint esse a Deo, tamen ille, qui facile, et temere somniis credit, non excusatur a gravi culpa, etiamsi dicat se credere illa esse a Deo, nam morali periculo daemoniacae deceptionis exponitur, et quantum est ex se vult illis credere, etiamsi a daemone sint, juxta illud Ecclesiastic. 34. *Multos enim errare fecerunt somnia, et exciderunt sperantes in illis.* Tamen certum est, quod non sint a Deo somnia ad peccatum, vel ad aliquod imprudens, aut vanum impellentia, aut quae remanent homine animo turbato, et minus prompto, ac propenso ad virtutum opera.

Q. Num divinatio, et quaelibet praedictarum species sit mortalis?

R. Maxime ex genere suo, sive fiat cum expressa daemonis invocatione, sive non; quia importat servitutem, et consortium cum daemone. Tamen adverte, quod divinatio cum pacto expresso, saepe habeat alia flagitiosa adjuncta, puta abjurationem Baptismi, apostasiam a Christo, idolatriam erga daemonem per genuflexionem, sacrificium etc. Quae tamen cum divinatione per pactum implicitum non concurrere solent. Praeterea divinatio per peccatum expressum, numquam a mortali excusatur peccato, quia nimis gravem, et manifestam deformitatem habet, at divinatio per pactum implicitum interdum excusatur a mortali peccato, puta propter ignorantiam, vel propter imperfectionem superstitionis, v. g. si non certa fides, sed solum timor quidam, aut suspicio conjiciatur eventus ita eventuri. Ita Cajet., Concin., aliique.

§. II. *De vana Observantia, Maleficio, et Magia*

Q. Quid est vana observantia?

R. Vana observantia est superstitio, qua quis adhibet media vana, et inutilia, ac improportionata ad obtinendum aliquem effectum; vel est illa, qua quis ex observatione eventus fortuiti actiones suas dirigit. Ex quo patet, vanam observantiam in hoc differre a divinatione, quod illa tendit ad aliquod praestandum, vel impediendum, ista vero ad aliquid occultum sciendum. Quae vana observantia fit, vel cum expressa invocatione daemonis, uti si quis daemonem verbis invocet, vel usurpet aliquid, per quod scit daemonem operari, vel cum tacita invocatione daemonis, ut si quis ad aliquod consequendum adhibeat media vana, et improportionata, nec a Deo instituta.

Q. Quot sunt species vanae observantiae?

R. Tres sunt, una dicitur *ars notoria*, altera *observantia sanitatum*, et ultima, *observantia eventuum*. Prima est illa, qua quis utitur mediis vanis, puta verbis ignotis, certis precibus, aliqua potione ad scientiam aliquam statim, et sine studio obtinendam. Secunda est illa, qua quis utitur mediis vanis, uti certis signis nominibus ignotis etc. ad morbos hominum, vel animalium sanandos, aut ad vitam conservandam. Tertia est illa, qua quis ex eventu fortuito conjicit aliquid prosperi, vel adversi, et ita actiones suas dirigit: uti si quis audiat canentem noctuam, et ob id malum augurium sibi praesagiens, domum revertatur, vel omittat negotia, quae erant peragenda.

Vana observantia, et singulae ejus species sunt peccatum mortale ex genere suo, quia continent aut expressam, vel saltem implicitam cum daemone societatem, et expresse prohibetur in Cap. *Quis* 26. q. 7. (1).

Q. Quid est maleficium?

R. Maleficium est ratio nocendi aliis ope daemonis, ex quo colligitur, quod maleficium continet triplicem malitiam, scilicet contra Religionem, Charitatem, et Justitiam.

Q. Quotuplex est maleficium?

R. Duplex est, unum dicitur veneficium, et aliud amatorium, seu philtrum. Primum est illud, quo alicui personae, vel ejus bonis damnum infertur. Secundum est illud, quod adhibetur ad carnalem amorem, vel odium excitandum, daemone humorem, et phantasiam commovente, unde gravis oritur tentatio, quae tamen libertatem non tollit. Hinc philtro infecti in rem veneream consentientes vere peccant mortaliter.

Q. Quotuplici modo tolli potest maleficium?

R. Triplici modo, scilicet mediis naturalibus, quae possunt adhiberi ad maleficium tollendum, v. g. medicina etc., mediis supernaturalibus, puta

(1) Vana observantia, et usus alicujus medii improportionati ad obtinendum aliquem effectum, ut est uti inspectione certarum figurarum, aut caeremoniarum, aut signorum, aut certarum orationum tali situ recitatarum, aut cum verbis sacris, aut vanis mixtarum, aut cum fiducia certa probatarum ut aliquam scientiam adquirat sine studio, aut ut liberetur ab aliqua infirmitate, aut ulnere. Omnes istae sunt vanae observantiae, quae sunt graviter illicitae. Et de istis praecipue interrogandi sunt Milites, Nutricae, Veterinarii, seu jumentorum Medici, Pastores, et Rustici. *S. Ligorius homo apost. de superstit. §. 36.*

confessione sacramentali peccatorum, Eucharistiae sumptione, exorcismis ecclesiasticis, quibus debemus uti ad maleficium tollendum, et mediis superstitionis, quae nullatenus sunt adhibenda, cum sint intrinsece mala. Unde patet, posse uti mediis naturalibus ad tollendum maleficium, puta medicinae etc, et rursus posse uti mediis supernaturalibus, nequaquam vero mediis superstitionis. Ita DD: omnes.

Q. Num licitum sit dissolvere signum malefici, ut diabolus nocere desinat?

R. Maxime, dummodo id fiat absque novo maleficio, vel superstitione, quia ejusmodi solutio signornm, secluso novo maleficio non est invocatio daemonis ex natura rei, sed potius aversio prioris pacti per maleficium cum daemone initi, et destructio operum diaboli.

Q. Quid est Magia?

R. Magia est ratio efficiendi mira, hoc est, quae habent causam occultam, sed creatam, ac proinde quae non superant vires naturales hominis, vel Angeli. Quae duplex est, naturalis, et superstitiosa. *Naturalis* est ratio efficiendi mira cum mera industria humana absque daemonis opera. *Superstitiosa* est ratio efficiendi mira ope daemonis, estque species vanae observantiae.

Magia superstitiosa potest esse duplex, scilicet cum pacto implicito, uti si quis utatur magorum signis, ac mediis cum spe aliquid efficiendi, et cum pacto expresso, cui interdum alia flagitia solent adjungi, v. g. expressa apostasia a Christo, et diaboli adoratio juncta cum infidelitate, blasphemia in Christum, et Sanctos, sacrilega tractatio rerum sacrarum, et specialim Sanctissimae Eucharistiae, non raro etiam foedissima peccata per carnalem cum diabolo in phantastico corpore commixtionem.

Q. Num Magia sit licita?

R. Magiam naturalem licitam esse, quia utitur mediis naturaliter aptis ad effectum absque ope daemonis. Illicitam vero esse superstitiosam; nam semper continet societatem cum daemone, et tacitum ejus cultum, ac venerationem.

Q. Num Magia superstitiosa sit peccatum grave?

R. Magiam per pactum expressum esse peccatum grave, ut patet ex jam dictis, quod dicendum etiam de magia per pactum tacitum, quae ex genere suo, est peccatum grave, eo quia semper habetur societas, et benevolentia erga daemonem. Ita communiter DD. (1).

(1) Illud heic subtexendum praestat quod nuper ab Apostolica Sede de magnetismi animalis usu sancitum.

Feria IV. die XXI. Aprilis 1841.

In Congregatione Generali S. Romanae, et Universalis Inquisitionis habita in Conventu S. Mariae supra Minervam coram Eminentissimis, et Reverendissimis DD. Romanae Ecclesiae Cardinalibus contra hereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus proposita supradicta instantia. Iidem Eminentissimi, et Reverendissimi DD. dixerunt: *Usum magnetismi, prout exponitur, non licere.*

Eadem die Sanctissimus D. N. Gregorius div. prov. PP. XVI. in solita audientia R. P. D. Assessori impartita, audita suprascripta relatione, risolutionem Eminentissimorum, et Reverendissimorum DD. Cardinalium approbavit — Angelus Argenti S. Rom. Univ. Inquis. Notarius.

Nota: Malefici, Magi, Divinatores nunquam sunt absolvendi, nisi abjurent, et dissolvant omne cum daemone pactum, et commercium, quin omnia signa, magicae artis instrumenta, libros scholas ligaturas comburant, et damna illata resarciant. At si chirographum dederint daemoni, opus non est extorqueri ab eo illud, uam poenitentia sufficit ad ejus destructionem. Antoine. Porro adsunt censurae Dioecesanae contra maleficos, magos, divinatores etc., uti sunt in Dioecesi Neapolitana, sed ut magis Confessarius munus suum rite faciat, observet suae Dioecesis casus quoad hanc materiam (1).

§. III. *De tentatione Dei, blasphemia, et perjurio*

Q. Quid est tentatio Dei?

R. Est probatio, seu experimentum inordinatum alicujus divinae perfectionis verbis, vel factis.

Q. Quotupliciter tentatur Deus?

R. Dupliciter, expresse, et tacite: *expresse*, quando aliquid fit, vel omittitur ex directa intentione sumendi experimenti de aliqua Dei perfectione, uti si quis projicitur in puteum, credens eum cadentem Angelos excipere vel petatur miraculum, ut innotescat Dei potentia, vel ejus in aliqua re voluntas, omissis mediis. *Tacite*, seu implicite, quando quis ad obtinendum finem ordinariis mediis non utitur, puta si quis velit sanitatem, et nolit uti remediis ordinariis, vel a Deo institutis, vel respuit cibum, et potum, velit docere, vel concionari sine ullo studio, velit Divinum recitare Officium sine ulla praeparatione, vel actuali, vel virtuali.

Q. Num tentatio Dei sit peccatum grave?

R. Maxime, patet ex Deuth. 6., et Math. 4: *Non tentabis Dominum Deum tuum*, quia creatura sine gravi irreverentia praesumere non potest futurum, ut pro ejus arbitrio legrs suas immutet Deus, et miracula operetur, et velle expresse aliquam Dei perfectionem explorare, est magnus Dei contemptus, et magna irreverentia, sive directe, sive tacite fiat. Quin mortale est ex sola curiositate petere miraculum; nam est agere cum Deo tanquam cum ludione, ac fautore curiositatum, et velle, ut efficiat ad hunc vanum finem aliquid mirabile sua Omnipotentia, quod dedecet summam Dei Majestatem, ac Sapientiam. Tamen adverte, quod fieri potest, ut tentatio Dei non sit, nisi veniale peccatum, ut si quis nec intendit, nec cogitat actionem suam ad Dei tentationem pertinere. Quin non peccaret, qui ex vivo S. Spiritus impulsu peteret miraculum a Deo, ut fecit Abraham, Gen. 15.

Q. Cuinam virtuti opponitur tentatio Dei?

R. Cum D. Thoma, quod licet tentatio Dei partim ex infidelitate, partim ex praesumptione originem ducat, tamen tentationis peccatum proprie, et formaliter Religioni oppositum est; nam sicut ad virtutem Religionis spectat ex fide, et spe in Deum concepta, cultum, ac reverentiam eidem ex-

(1) Jure Dioecesis Neap. cautum incidere in Excommunicationem Ordinario reservatam *omnes utriusque sexus, qui vel per se, vel per alium Sanctissimo Altaris Sacramento, Chrismate, Oleo Sancto, sive quacumque alia re consecrata, ad Veneficia, Divinationes, Sortilegia, aut ad alium usum, quam fuerint ordinata, vel instituta, quomodolibet abutantur: omnesque utriusque sexus, qui de praedictis ad*

bibere, ita e contrario ad irreligiositatem spectat, ex defectu fidei, aut nimio excessu spei, Deo irreverentiam irrogare, illum tentando. Negandum tamen non est, quod si tentatio Dei dependeat ex aliquo dubio de aliqua Dei perfectione, continet infidelitatem proprie dictam, et aliquando est contra charitatem propriam, ut si tentatio Dei conjuncta sit cum vitae periculo, aut gravis laesionis etc.

Q. Quid est blasphemia?

R. A Divo Augustino lib. 2. de mor. Manich. cap. I. ita describitur: *Est autem blasphemia, cum aliqua mala dicuntur de bonis.* Itaque jam vulgo blasphemia non accipitur, nisi mala verba de Deo dicere. Pressius eam definit D. Thom. 2. 2. q. 13. art. 1. *blasphemia est derogatio Divinae bonititatis.* Idque bifariam accidit I. affigendo Deo, quod non habet, nec habere potest. II. ab eo removendo, quo carere nequit. III. *tribuendo Deo, quod ei convenit, sed per injuriam: hinc distinguitur ab haeresi, in qua habetur persuasio, et in blasphemia tantum animus convicii.*

Q. Quotuplex est blasphemia?

R. Triplex est, haereticalis, imprecativa, et mere dehonestativa. *Haereticalis* est ea, quae aliquid falsi pronuntiat de Deo, aut creaturae attribuit quidpiam solius Dei proprium, ut si dicatur: *Deum crudelem, tyrannum, injustum, Mundum a daemonibus regi, omnes creaturae sunt omnipotentes etc. Imprecativa* est ea, qua quis Deo malum imprecatur, *ut pereat Deus, utinam Deus non esset etc. Mere dehonestativa* ea est, qua enuntiatur aliquid in Deo, vel Christo existens, sed indecenter, et per modum contumeliae, ut illud Juliani: *vicisti Galilee.*

Rursus dividitur blasphemia in internam, et externam. *Interna*, quando quis mente tantum concipit Deum esse, quod non est, aut non esse, quod est. *Externa* habetur, quando interior derogatio bonitatis Divinae exterius verbis manifestatur. Dividitur etiam contra Deum, contra B. Virginem, et contra Sanctos. Prima est, quae immediate fertur contra Deum. Secunda, quae immediate fertur contra Sanctos, et mediate in Deum, nam sicut Deus in Sanctis suis laudatur, in quantum laudantur opera, quae Deus in Sanctis efficit, ita et blasphemia, quae fit in Sanctos, semper in Deum redundat.

Q. Num blasphemia per se sit peccatum grave?

R. Maxime, est peccatum grave ex genere suo, quia quaelibet Dei con-

praedictos fines aliquid sumpserint, vel alicui dederint, aut datum acceperint etiam abusu minime subsequuto. Casus II. in Tabella.

Praeterea sancitum in eamdem excommunicationem incidere *omnes utriusque sexus, qui Daemoni spondent obsequium, thus, et sacrificia offerunt, quamvis absque errore intellectus. Insuper quaecumque sive suo, sive alterius nomine condunt, aut condere faciunt imagines aumulos, aut quodvis aliud artefactum, in quo Daemonem constringant.* Casus III. in Tabella.

Item constitutum quod incurrant *in Excommunicationem Venefici, et Veneficae omnes, Negromantes, Divinatores, Sortilegi, Lamiae, Striges, sive qua vis alio nomine nuncupentur ex utroque sexu, qui cum expressa Daemonis invocatione ad captandam dilectionem, vel odium concitandum, sive ad inveniendos thesauros, ad alium finem quemcumque utuntur, incantationibus, aliisque maleficiis, sive etiam ligaturis, aut a naturali, et legitimo matrimonii usu conjuges avertant, aut scienter in praefatis cooperantes, aut quovis modo consentientes.* Casus IV. in Tabella.

tumelia, vel maledictio est gravis injuria, et contemptus Dei, nam per eam Infinita Dei Majestas positive deprimitur, et decoratur, uti perbelle ait S. Heronym. lib. 7. in Isai. cap. 18. *Nihil horribilius blasphemia, quae ponit in excelsum os suum;* et illud Psalm. 26. *Maledicentes ei disperibunt.* Et in Lege veteri morte puniebantur Levit. 24: *Qui blasphemaverit nomen Domini moriatur.* Dixi, *ex genere suo*, quia per accidens puta per inadvertentiam, potest esse peccatum veniale, modo non sit ex habitu, et adsint omnes hae circumstantiae, quae constituunt veram inadvertentiam.

Q. Num in blasphemia datur parvitas materiae ?

R. Minime, quia in omni parvitate reperitur tota malitia blasphemiae; nam in derogando Divinae Bonitati, parvitas materiae esse non potest, cum sit gravissima injuria a Deo quamlibet auferre perfectionem.

Q. An blasphemia haereticalis, et imprecativa differant specie ab aliis blasphemiis ?

R. Maxime, quia prima non tantum opponitur Religioni, sed etiam Fidei, si adsit assensus internus, vel si desit, negationi externae Fidei contra praeceptum confitendi Fidem. Secunda non tantum Religioni, sed praecipue Charitati, ob odium contra Deum.

Q. Num blasphemiae contra Deum, contra B. Virginem, contra Sanctos specie differant ?

R. Maxime, ratione diversi cultus, nam blasphemia contra Deum opponitur cultui latriae, qui debetur Deo; contra B. Virginem opponitur cultui hyperduliae, qui debetur B. V.: Blasphemia contra Sanctos opponitur cultui duliae, qui Sanctis debetur (1).

Q. An sit blasphemus ille, qui dicit blasphemiam non absolute, sed conditionate, v. g. nego Deum, si res ita non sit ?

R. Juxta omnes esse blasphemum haereticalem, quia negare Deum existere, Deum esse injustum, etiam sub conditione, est negare, quod Dei proprium est.

Q. Num blasphemet ille, qui blasphemando se comprimit, v. g. malum habeat Sanctum, et postea silet ?

R. Blasphemat, quia prioribus verbis est completus sensus blasphemiae, multo magis, si proveniat blasphemia hujusmodi ex perversa consuetudine: aut scandalum habetur. Concina, aliique.

Q. Num peccet ille, qui non tollit consuetudinem blasphemandi ?

R. Maxime peccat, et tenetur sub mortali efficaciter proponere, et serio conari eam evellere, alioquin toties peccat, quoties ad eam advertens id omittit, quia vult saltem interpretative permanere in morali periculo peccandi. Et si non curat se emendare, omnes blasphemiae, quae ex ira aliqua, aut odio etc., licet sine advertentia ad verborum sensum profert, imputantur ei ad culpam mortalem. Ita omnes.

Q. Quam poenam praescribere debet Confessarius blasphemis poenitentibus ?

R. Debet imponere salutarem poenitentiam aequabilem culpae, quia quo

(1) Jure Dioecesis Neap. constitutum *incidere in casum Ordinario reservatum absque excommunicatione blasphemantes Deum, vel B. Virginem ex perversa consuetudine coram pluribus supra quatuor.* Casus I. in Tabella.

gravior est Dei offensa, eo graviter esse debet poenitentia, et satisfactio. Sed gravior est offendere Deum cum blasphemiis. Ergo etc. Praeterea Concil. Trident. praecepit, ut pro criminum qualitate poenitentiae injungantur. Quin Concil. Later. V. sess. 9. statuit: *in foro poenitentiae nemo blasphemiae reus absque gravissima severi Confessarii arbitrio injuncta poenitentia possit absolvi.* Caveant ergo Confessarii impertiri absolutionem, si non subjiciant dignis poenis poenitentes blasphemos.

Q. Quid est perjurium?

R. Est mendacium juramento confirmatum, si stricte sumatur: ita D. Thomas q. 89. Si vero late sumatur, est juramentum destitutum aliqua trium comitum, quae sunt *Veritas, Justitia, et Judicium.* Unde S. Hieronym. sup. cap. 4. Hierem. ait: *Si enim ista defuerint, nequaquam juramentum erit, sed perjurium.* Sedes ergo perjurii est mendacium.

Q. Quid est Mendacium?

R. Est dictum contra mentem cum voluntate fallendi, ita ex D. August. cap. 22. Enchirid. Hic tamen observandum, quod Mendacium committi possit non solum verbis, sed etiam signis, et factis, unde D. August. ait: *Ille mentitur qui aliquid habet in animo, et aliud in verbis, aut quibuslibet significationibus enunciat.*

Q. Quotuplex est Mendacium?

R. Triplex est, Perniciosum, Officiosum, et Jocosum: *Perniciosum* est illud, quod cum injuria profertur, ut obsit: officiosum, quod sine injuria profertur, ut prosit: *Jocosum*, quod cum nulli noceat, profertur, ut delectet. Hinc a ratione mendacii excluduntur joci, nam ita proferuntur, vel aguntur, ut ex ipso agendi, vel loquendi modo, cognoscatur falsum esse quod exterius enunciatur, et quod desit animus fallendi, licet audiens ob nimiam stupiditatem, vel simplicitatem suam, tanquam verum accepturus sit.

Q. Num Mendacium sit intrinsece malum, itaut ob nullam causam cohonestari possit?

R. Maxime, patet enim ex Psalm. 5. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium*, et ex Sap. 1.: *Os quod mentitur, occidit animam.* Patet etiam ex ratione, qua utitur D. August. lib. cont. mendac. cap. 3.: *Sicuti pietati impietas, et justitiae iniquitas, ita veritati opponitur omne mendacium, quidquid tamen virtuti adversatur, id vitium moris est.* Ergo etc. Haec autem assertio generatim intelligi debet de omni mendacio, sive sit oris, sive sit operis, hoc est omissio per signa, et facta, quod proprie simulatio dicitur.

Q. Quid est aequivocatio, et quid restrictio mentalis?

R. Aequivocatio est vox, seu propositio varios habens sensus, quam proferens praevidens praevidet ab audiente accipiendam in alio sensu, quam ipse intelligit. Duplex est: alia determinabilis exterius, et late dicta, et est illa, cujus sensus verus a proferente intellectus, potest de se cognosci ex circumstantiis, aut indiciis exterioribus. Altera indeterminabilis, et stricte dicta, et est illa, cujus sensus a loquente intellectus non potest ullatenus deprehendi.

Restrictio vero mentalis est propositio, cujus verba exterius prolata, falsum sensum, et contrarium menti loquentis exprimunt. Duplex est: pure

mentalis, et stricte dicta, et est illa, cujus sensus a loquente intellectus non potest ex circumstantiis, aut iodiciis exterioribus, aut communi usu loquendi deprehendi, ut si quaereuti, an videris Petrum, respondeas non vidisse, subintelligendo *in Foro*, cum tamen videris *in Ecclesia*. Non pure mentalis, et est illa, cujus sensus a loquente intellectus, si non ex verbis praecise spectatis, ex circumstantiis tamen, aut indiciis exterioribus comprehendi potest.

Q. Num licitum sit uti aequivocatione, vel restrictione mentali?

R. Vel loquimur de aequivocatione indeterminabili exterius, vel de restrictione pure mentali, et dico non esse licitum, quia sunt per se deceptivae proximi, earum usus est Reipublicae perniciosissimus (1).

Vel loquimur de aequivocatione exterius determinabili, vel de restrictione non pure mentali, et subdistinguo, vel adest justa causa, aut obligatio occultandi veritatem ei, qui non habet jus exigendi ejus cognitionem, nec suppetit alia via eam occultandi, et intenditur solum occultatio veritatis, non autem deceptio proximi, et licet alii contrarium sentiant, dico cum D. Antonin. 2. part. tit. 10. cap. 1. esse licitum, quia per eas non affirmatur falsum, sed verum, quamvis obscurius expressum. Vel adest iotentio decipiendi proximum, vel interrogans habet jus sciendi veritatem, et dico non esse licitum, quia repugnat societati hominum, et commercium implicatur. Ita D. Thom. 2. 2. quaest. 109. art. 3. (2).

Q. Quonam in casu reum, vel testem legitime dicitur a judice interrogari?

R. Semper ae judex est legitima auctoritate praeditus, legitime reum, aut testem dicitur interrogare. Hoc est quoties, non privatae personae vices gerit, sed publica fungitur auctoritate. Ita ut tenetur omnia exequi juxta ordinem, et regulas a jure latas. Quinam autem iste ordo fuerit, et quaenam regulae hujusmodi, nedum patet ex art. in lege sancitis, sed etiam ex eorumdem judiciorum materia, quateous accusationis fuerit, denunciationis, inquisitioois.

Q. Num mendacium, aequivocatio, et restrictio mentalis sint peccatum grave, vel leve?

R. Si ista nec proximum, nec honorem Dei graviter laedant, nec sint contra bonos mores, nec scandalum pariant, suot leve peccatum, ut docet D. Augustin. in Psal. 5.. nam deordinatio eorum non censetur gravis. Si vero graviter laedaot bonum proximi, vel honorem Dei, aut grave scan-

(1) Innoc. XI. hasce damnavit Propositiones, 26. *Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurius.* Et 27. *Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, et studiosa.*

(2) Clerus Gallicanus ann. 1700. hanc propositionem uti impiam damnavit: *Patriarchae, et Prophetae, Angeli, ipse Christus, nedum Viri justi, et sancti aequivocationibus, sive amphibologiis, et restrictionibus mentalibus usi sunt.*

dalum pariant, sunt peccatum grave;quia graviter Dei charitati repugnant, vel proximi, vel justitiae, aut Religioni, uti accidit, si sint contra Fidem, Religionem, vel bonos mores etc. Unde Sap. 1.: *Os quod mentitur occidit Animam.*

Q. Num perjurium sit peccatum grave, vel leve?

R. Perjurium stricte sumptum, seu in quo deficit veritas, esse peccatum grave, neque ob materiae levitatem veniale fieri potest, quia Deum veracissimum in confirmationem falsitatis etiam levissimae adducere in testem, gravissima irreverentia, et contemptus est. Veritas porro consistit in indivisibili, videlicet in adaequatione dicti ad rem, unde omnis assertio, quae tota vera non est, falsa est.

Q. Num liceat in judiciis reo jurare cum aequivocatione etiam determinabili, et cum restrictione mixta mentali?

R. Minime semper ac reus sit legitime, et juridice interrogatus a Judice, quia sicut Judex habet jus interrogandi, sic et ipse habet gravem obligationem fatendi veritatem claram, et apertam.

Q. Num liceat exigere juramentum ab eo, qui praevidetur pejeraturus?

R. Vel est persona privata, quae exigit, et dico non licere, nec etiam in judicio, quia nullam utilitatem capit ex tali perjurio, et solum praebet alteri occasionem peccati. Quare D. August. serm. 28. de verb. Dom. inquit: *Si scit, et cogit jurare, homicida est; ille enim suo perjurio se perimit, sed iste manum interficientis, et expressit, et pressit.* Vel est Judex, qui exigit, et dico licere exigere ad instantiam partis; quia id exigit ordo juris, et officium Judicis, qui debet procedere secundum publicam scientiam, cui hoc juramentum inservit.

Q. In quam poenam incidit perjurus?

R. Licet perjurium gravius sit homicidio, et adulterio, ut ait D. Thom., non adsunt tamen poenae, in quas ipso facto incidatur, sed puniendum est arbitrio Judicis; quare in cap. *cum non ab homine* de judic. Clericus perjurus est deponendus, et privandus beneficio ecclesiastico per Judicis sententiam. Quod si quis committat perjurium promissorium cum alterius injuria conjunctum, ipso facto, praeter poenas arbitrarias, incidit in infamiam. L. *si quis major* C. de transact.

§. IV. *De Sacrilegio*

Q. Quid est Sacrilegium?

R. Est violatio rei sacrae, seu indigna tractatio rei Deo dicatae, sive ad Dei cultum specialiter destinatae. Triplex est sacrilegium, Reale, Personale, et Locale. *Reale* est illud, quo indigne tractatur res Deo dicata, puta Sacramenta, Verba sacra, vel quae sacra significant, ut Verba Scripturae, Imago Christi, vel Sanctorum etc. *Personale* est illud, quo indigne tractatur Persona Deo dicata, puta Clericus, Religiosus etc. *Locale* est illud, quo indigne tractatur Locus sacer, puta Ecclesia, Coemeterium etc.

Q. An ista sacrilegia sint specie distincta?

R. Maxime, quia diverse est formaliter sanctitas, contra quam injuria committitur in persona, in loco, aut in re sacra. Hinc sacrilegium locale differt specie a personale, personale a locale etc.

Q. An sacrilegium sit peccatum grave?

R. Ex genere suo esse peccatum grave, quia opponitur Virtuti Religionis, quae est inter morales excellentissima, et per illud inhonoratur in rebus suis Deus. Dixi *ex genere suo*; quia ratione parvitatis, inadvertentiaeve, potest esse veniale.

Q. Num dentur casus, in quibus non datur materiae parvitas?

R. Maxime I. Quando Laicus, qui non habet jus, leve tributum Clericis imponit. II. Quando brevi tempore detinet in carcere, quia in his casibus sacrilegium non desumitur ex gravitate tributi, ac temporis, sed ex jurisdictione usurpata, quae in his parvitatibus tota versatur.

Q. Quotuplici modo violatur Persona sacra?

R. Multiplici modo. I. Inferendo violentas manus in eas, aut quamlibet aliam actionem violentam, ac contumeliosam exercendo, contra privilegium Canonis *si quis suadente* 17. q. 4. II. Eas subjiciendo Tribunali saeculari, contra privilegium Fori in casibus non exceptis. III. Violando luxuriose corpus personae Deo sacratae voto Continentiae, quia per votum Corpus, et Animam Deo consecrarunt.

Item violatio cujuslibet Voti est sacrilegium; quia eo ipso quod res per votum Deo dicata est, jam est jure Divino ad Dei cultum destinata, ideoque sacra. Antoine, Concina, aliique.

Q. Quotuplici modo violatur res sacra?

R. Multiplici modo. I. Administrando, vel suscipiendo Sacramenta cum peccato lethali. II. Per abusum Vasis consecrati ad Sacramentorum susceptionem, item Altaris, Crucis, Christi Imaginis. III. Per indignam tractationem Sacramentalium. IV. Per abusum Sacrae Scripturae. Trident. sess. 4. in decret. de edit., et usu sacrorum librorum.

Q. Quotuplici modo violatur locus sacer?

R. Multiplici modo. I. Per violationem Immunitatis Ecclesiae. II. Per exercitium usus profani, puta si in eo fiant negotiationes, exercitium judiciorum saecularium, seditiones, conclamationes, vana, et profana colloquia etc. III. Per furtum in Ecclesia factum. IV. Per pollutionem Ecclesiae, vel Coemeterii.

Q. Quomodo polluitur Ecclesia?

R. Per Homicidium, per effusionem illicitam seminis (*Per copulam etiam licitam effusio erit illicita ratione loci, nisi exerceatur ob periculum incontinentiae, vel per vim*), per effusionem illicitam sanguinis, per sepulturam excommunicati vitandi, aut non baptizati, aut interdicti vitandi, aut haeretici vitandi. Cap. *consuluisti* de consecrat. Eccl. vel Altar., can. *Ecclesiis* de consecrat. distinct. 1.

Q. Polluta Ecclesia, polluiturne Sacristia, et Coemeterium?

R. Si Ecclesia cum Sacristia et Coemeterio sunt quid unum conjunctum semper ac illa polluitur, polluuntur et ista: secus vero, ex pollutione illius, istorum non nascitur pollutio.

Q. Polluto Coemeterio, vel Sacristia polluta, polluiturne et Ecclesia?

Resp. Minime, quia pars minor non videtur ad se attrahere majorem, Cap. Unic. de Conc. Eccl. in VI.

Q. Quotuplici modo potest committi furtum sacrilegum?

R. Triplici modo, auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, vel sacrum de non sacro, can. *quisquis* 17. q. 4.

Q. An Persona Deo dicata semper ac peccat, sacrilegium committat?

R. Minime, quia non omnia vitia prohibentur Clericis ob Personae sanctitatem. Hinc si furatur, blasphemat, sacrilegium non committit, si tamen peccat contra Castitatem, sacrilegium committit, quia prima non sunt ei prohibita ob personae sanctitatem, secundum vero est ei prohibitum ob personae sanctitatem.

Q. An Religiosus professus Sacerdos habens rem cum muliere; duplex sacrilegium committat?

R. Minime, quia multiplicatio praeceptorum non multiplicat peccatum, quando praecipiunt, aut prohibent aliquid ex eodem motivo formali. Hinc cum Votum emissum per Professionem sit adnexum sacris Ordinibus ex eodem motivo formali Castitatem praecipientibus, dicendum, quod talis persona mulierem cognoscendo, duplex sacrilegium non committit. Concina, gravius tamen peccat.

Q. An Persona sacra rem habendo cum aliqua persona ejusdem generis, duplex sacrilegium committat?

R. Maxime, quia proprium violat Votum Castitatis, et cooperatur ad violandum alienum.

Q An ille qui est ligatus Voto Castitatis, et inducit alium ad luxuriandum, committat sacrilegium?

R. Maxime, quia nemo inducit ad peccatum, nisi affectum ad illud habeat. Hinc ille, qui est ligatus Voto Castitatis, et inducit alium ad luxuriandum, cum habeat affectum ad luxuriam, tenendum quod peccet contra Castitatem, et contra Religionem ratione Voti.

Q. An Religiosus, et Clericus in sacris constitutus, qui habent delectationem morosam de aliquo peccato carnis, sacrilegium committant?

R. Maxime, quia in Religioso Votum Castitatis est emissum absolute. Hinc comprehendit non solum opus exterius, sed etiam interius, quod est contra Castitatem. Porro Religiosi professi, et Clerici in sacris constituti ratione Voti Castitatis, tenentur abstinere ab omni deliberata venerea delectatione, actuque tum interno, tum externo, qui est contra Castitatem; et sunt non solum fornicatio, aut alius actus venereus, sed etiam turpes cogitationes, delectationes morosae etc., ita ut quidquid in saecularibus extra Matrimonium est peccatum contra Castitatem, in Religiosis, et Clericis est sacrilegium. Ita omnes.

Q. An ille, qui surripit aliquid ab Ecclesia incidat in aliquam poenam?

R. Incidere in excommunicationem Papae reservatam, dummodo habeatur expoliatio, et effractio, uti patet ex Cap. *conquesti* 22. de sent. excomm. Et ista excommunicatio est latae sententiae, uti clare patet ex cit. cap., ubi haec habentur: *Excommunicatos nuntietis*, quae verba supponunt excommunicationem latae sententiae.

Q. An statim sit Papae reservata haec excommunicatio?

R. Non statim, sed post denunciationem ab Ordinario loci factam, nam ante denunciationem non est Papae reservata, uti ex cit. Cap. in quo haec habentur: *Excommunicatos nuntietis, et vitari faciatis, donec se praesentent.*

Q. Quid venit per ly effractio ?

R. Venire violentam aperitionem, quae fit rumpendo valvas, sive tectum sive cardines etc.

Q. Quid venit per ly expoliatio ?

R. Venire furtum sufficiens ad contrahendam excommunicationem Papae reservatam.

Q. An ille, qui surripit aliquid notabile ab Ecclesia cum effractione Sacristiae inciditne in excommunicationem ?

R. Maxime, quando Sacristia est conjuncta cum Ecclesia, quia principale trahit ad se accessorium.

Q. An ille, qui usurpat jura, aut bona Ecclesiae, incidat in aliquam poenam?

R. Incidit in excommunicationem Papae reservatam, donec restituatur, Trid. sess. 22. cap. 11. de reformat. Dummodo sit vera usurpatio, et convertat ad usus proprios.

Q. Quomodo reconciliatur Ecclesia polluta ?

R. Vel est consecrata, et dico reconciliari per Episcopum aqua ab ipso, vel alio Episcopo benedicta, vino, et cinere admixta, uti habetur in Pontificali Romano: vel non est consecrata, sed tantum benedicta, et dico reconciliari per simplicem Sacerdotem sola aspersione aquae benedictae, et orationibus ab Ecclesia statutis. Tamen decens est, et ita consuetum, ut prius res Episcopo significetur, quam Ecclesiam Presbyter conciliet, si ea extra Missae Sacrificium reconcilietur.

Q. An ille, qui facit Sacrum in Ecclesia polluta, peccet, et incurrat in aliquam poenam?

R. Graviter peccat contra Praeceptum Ecclesiae in re gravi (*si scienter celebrare praesumit*) *ex Cap.* 18, *Is qui etc.*, et in nullam poenam incidit, uti colligitur ex cap. 15. de sentent. excomm. in 6.

Q. Qui polluit Ecclesiam incurritne in aliquam poenam ?

R. Si polluat Ecclesiam per sepulturam, dummodo faciat praesumptuose, in excommunicationem Episcopo reservatam incidit: Clem. 1. de sepult. Si vero per pollutionem seminis, vel sanguinis simpliciter, in nullam poenam incidit de jure communi.

Q. Quomodo sacrilegium sit in confessione aperiendum ?

R. Non solum esse aperiendum genus, sed etiam species, ita ut quis non satisfacit, si dicat Confessario se commisisse sacrilegium personale, sed tenetur dicere, num commiserit illud vulnerando Clericum, num ad Forum laicale trahendo in casibus non exceptis, num erat Cognatus, vel affinis etc. Sicut etiam non satisfacit quis dicendo se commisisse sacrilegium reale, sed tenetur dicere, num commiserit illud violando Sacramenta, sacris Vestibus abutendo etc. Ita etiam non satisfacit quis dicendo se commisisse sacrilegium locale, sed tenetur dicere, num violaverit locum sacrum per delinquentis extractionem in causis, in quibus gaudebat asylum, vel violaverit per exercitium mercaturae etc., quia aliter Confessarius non potest facere rectum Poenitentis judicium; ita Layman, et alii communiter.

Q. An omne peccatum contra Religionem sit sacrilegium ?

R. Minime, quia sacrilegium proprie, et stricte acceptum est tantum violatio rei ad cultum Dei dicatae. Hinc distinguitur a perjurio, a tentatio-

ne, a superstitione etc., quibus Divina Majestas directe offenditur; nam sacrilegium non immediate ipsum Deum, sed rem in Dei cultum destinatam violat.

Q. An sacrilegium possit esse in omissione?

R. Maxime, et est quando quis omittit reverentiam ex praecepto debitam alicui Rei sacratae, uti si quis voluntarie non inclinet se ante Sacramentum Eucharistiae, si Sacerdos Eucharistiam in Sacrario repositam sine clavibus teneat, uti patet ex Cap. *Sane* de celeb. Miss.

Nota Contra Occisores, vel mutilatores, contra Excitantes tumultus, rixas, vel clamores in Ecclesia, adsunt Censurae latae ab Ordinario loci, uti sunt in Dioecesi Neapolitana (1).

ADDITAMENTA

DE REATIBUS IN SACROSANCTAE RELIGIONIS OBSEQUIUM PERPETRATIS, EORUMQUE POENIS JURE CIVILI NOVISSIMO SANCITIS.



Quum Ferdinandus I. olim Rex noster pientissimus, qui Majorum suorum in Ecclesiam voluntatem eximia pietate non tantum aequare, sed et praegredi, atque antecellere visus fuit, Leges sanxerit in quaevis delicta, quae contra Sacrosanctae Religionis obsequium patrantur, hinc hujusce speciei crimina, ac praecipuas poenas Cod. nov. statutas recensere propemodum necessarium duximus.

Et principio iisdem legibus cautum (2), quod qui templum Deo sacrum in Sanctissimae Religionis nostrae Catholicae Apostolicae Romanae contemptum, et contumeliam impie destruat, vel incendat capite plectatur cum primo gradu publici exempli (3).

Item laqueo suspendi, nec non in quartum publici exempli gradum incurrere sancitum (4) qui delictum sane atrocissimum committat, Sanctissimum nempe Jesu Christi Corpus accidentium velamine absconditum impie disperdat, vel destruat (5).

(1) Jure Dioecesis Neap. patrantes homicidia, vel mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, Coemeteriis, aut Sacristiis, aut pubblicis Oratoriis incidunt in excommunicationem Ordinario reservatam, ut in casu XI. in Tabella.

(2) Leg. Crim. Cod. nov. Lib. II. Tit. I. art. 92.

(3) Illud heic observatu dignum primum publici exempli gradum esse reum loco patrati facinoris, aut propinquiori extremum supplicium subire Cod. noviss. Leg. Crim. lib. 1. Tit. 1. art. 6.

(4) Ibidem art. 93.

(5) Cod. noviss. L. Crim. indic. art. 6. constitutum quartum publici exempli gradum esse, ut reus nudis pedibus, atra veste indutus, vultu nigro velo obducto, ac tabula parvis rotis imposita evectus, ferens etiam sacrilego pectori adfixam epigraphen *Homo impius*, ad extremum supplicium trahatur.

Praeterea quicumque dum in Ecclesia sacra peraguntur Mysteria vim faciat, ut dolo malo ecclesiasticas functiones perturbet, easque profanari audeat, is in vincula a primo ad secundum usque gradum conjiciatur decretum (1). Quod si hujusce criminis auctor vulnus quoque criminali poena expiandum Dei Ministro infligat, is profecto majori poena, ad maximum temporis spatium duratura, coercendus. (2).

Tum maleferiati homines, qui in Templo Dei, vel in ejusdem vestibulo sanctas Imagines, vel vasa sacra percutiant, infringant, aut destruant, vinculorum poena a secundo ad tertium gradum sunt mulctandi (3).

Adhaec quisquis lucri faciendi causa vasa sacra, vel suppellectiles divino cultui destinatas fraudulenter contrectet, in vinculorum poenam ad secundum usque gradum, minimo tamen temporis intervallo excepto, incurrit (4). Si vero istud sacrilegum furtum sit qualificatum, tunc tertio vinculorum gradu, ac etiam majoribus, secundum circumstantias, poenis expiendum. (5). Quin immo Regio Diplomate Id. Maji an. 1821. expresse statutum ergastuli poenae esse obnoxium qui lucri faciendi caussa sacram pixidem, vel ostensorium, in quibus Sacratissimum Christi Corpus reconditur, mystica accidentia secum deferens, aut disperdens contrectet.

Jam vero omnes, qui sine dolo malo docendo, aut praedicando, aut quovis modo publicam concionem habendo aliquid evomant in Catholicam Religionem, publica reprehensione nec non proprii muneris per anni, vel biennii spatii interdictionem plectuntur. Si vero hujusce furfuris homines Divinae Religionis dogmata suis deliriis petere audeant, perpetui exilii poena scelus admissum luunt (6).

Addesis blasphemantes in Deum, vel Sanctos in Ecclesiis, aliisque locis, dum sacra celebrantur, carceris poenae ad tertium gradum sunt obnoxii (7). Si tamen ista blasphemia publice proferatur, sed desint circumstantiae, quas superius diximus, hujusce criminis reum in primum ejusdem poenae gradum incurrere provisum (8).

Illud quoque animadversione dignum, quod indicato Regio Diplomate sub die VII. Maji an. 1821. sancitur quamlibet inhonestam actionem, quae liberum cultus divini exercitium in Ecclesiis, aliisque publicis locis perturbet aut impediat, vinculorum poena a primo ad secundum usque gradum pendendam.

(1) Ibidem art. 94. Insuper *Cod. noviss. L. Crim. Lib. 1. Tit. 1. art. 9.* statutum vinculorum poenam esse quadruplicis gradus. Et sane primus gradus a VII. ad XII. annum extendi sancitur: secundus a XIII. ad XVIII., tertius a XIX. ad XXIV: quartus denique a XXV. ad XXX.

(2) Ibidem art. 95.

(3) Ibidem art. 96.

(4) Ibidem art. 97.

(5) Ibidem art. 98.

(6) Ibidem art. 100.

(7) Ibidem art. 101. Praeterea illud heic observandum triplicem esse gradum poenae, in quam incurrunt delinquentes carceri mancipandi. Revera indic. Lib. 1. Tit. 1. LL. poen. art. 29 provisum, quod primus gradus ab uno ad VI. menses decurrit: secundus a VI. mense ab biennium: tertius denique a biennio ad quinquennium.

(8) Ibidem art. 102.

Postremo quilibet reatus in Ecclesiae Ministros sacra peragentes, si illos excipias, quos superius recensuimus, poena majoris gradus, quam ordinaria puniendi (1). Item quilibet reatus supra non designati, si in Ecclesia, dum sacrum ministerium exercetur, perpetrantur, minimo temporis intervallo iisdem delictis praescripto, nunquam punientur (2).

§. V. *De Simonia*

Simonia ita dicta ab impurissimo homine Simone Mago: hic enim cum vidisset, quod per manuum impositionem ab Apostolis daretur Spiritus Sanctus, uti legitur in Actibus Apostolorum cap. 8., obtulit eis pecuniam dicens: *date et mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero, accipiat Spiritum Sanctum.* Cui D. Petrus respondit: *pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.*

Q. Quid est Simonia?

R. Juxta Angelicum Doctorem definitur 2. 2. q. 100 art. 1.: *Simonia est studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali adnexum pretio temporali.*

Dicitur *studiosa voluntas*, tum quia Simonia, sicut et alia peccata deliberationem voluntatis exigit, tum quia ad essentialem malitiam hujus peccati non requiritur, ut peccatum mutuo consensu perficiat, vel re ipsa, sed sufficit affectus pravitatis simoniacae cum opere subsecuto.

Dicitur *emendi, vel vendendi,* non quia requiritur contractus emptionis, et venditionis tantum, sed sufficit omnis contractus onerosus, in quo res temporalis tanquam pretium, sive aestimatio rei commutatae, seu vicissim datae, intervenit.

Dicitur *spirituale*, vel *spirituali adnexum*, quia eo nomine veniunt ea omnia, quae a Deo ut Auctore supernaturali proficiscuntur, aut ad Deum directe ordinantur.

Dicitur *pretio temporali*, quo intelligitur non tantum pecunia, sed quidquid pecunia aestimatur, uti est munus a manu, munus a lingua, munus ab obsequio: *Munus a manu* venit pecunia, remissio debiti alicujus juris etc.: *Munus a lingua* veniunt laudationes, preces, patrocinia, adulationes etc. *Munus ab obsequio*, venit famulatus, ministerium in rebus temporalibus praestitum.

Preces sunt munus, quando habent rationem pretii, seu quando deductae sunt in pactum, quod accidit cum Superior non vult alicui conferre beneficium, nisi oret in publico, vel coram magnatibus, ut videatur, aut cum subditus preces adhibet tamquam pretium, non vero cum exponit sua merita, et preces addit, cum habeat jus exponendi.

Q. Quotuplicis generis sunt res spirituales?

R. Quadruplicis generis esse: aliae dicuntur spirituales essentialiter, uti sunt virtutes supernaturales Fidei, Spei, et Charitatis etc.: aliae sunt casualiter, uti sunt Sacramenta, ad quae etiam Sacramentalia reducuntur: aliae

(1) Ibidem art. 103.
(2) Ibidem. art. 104.

dicuntur effectivae, uti sunt absolutio a censuris, dispensatio in votis etc.: aliae dicuntur spirituales per adnexionem.

Q. Quotuplicis generis dicuntur spirituales per adnexionem?

R. Triplicis generis, nempe aliae dicuntur antecedenter spirituales, uti est Jus patronatus ad ecclesiasticum Beneficium, Vestes sacrae: aliae concomitanter, ut labor intrinsecus, et necessarius administrationi Sacramentorum: aliae consequenter, uti jus percipiendi redditus Beneficiorum, qui dantur propter Divinum Officium.

Q. Quomodo dividitur Simonia?

R. Dividitur I. In eam, quae est Juris Divini, et in eam, quae est juris humani. Prima est illa, quae ideo est prohibita, quia mala, quae committitur in emptione, et venditione rerum sacrarum, vel earum, qua sunt Sacris adnexae, quia ista vere continent spiritualitatem. In hac Simonia nec Summus Pontifex potest dispensare, nec contra illam aliqua Consuetudo praevalere. Secunda est illa, quae est mala, quia prohibita, uti est permutatio, vel resignatio Beneficiorum, emptio, vel venditio aliquorum Officiorum temporalium in Ecclesia, puta Sacristae, Procuratoris etc.

Dividitur II. in Mentalem, Conventionalem, Realem et Confidentialem. *Mentalis* est donatio rei spiritualis cum voluntate recipiendi aliquod temporale, aut e contrario, signo externo non manifestata, ut si quis serviat Episcopo hac intentione, ut pro obsequio temporali ei procuret Beneficium, nulla tamen verbis, vel nutibus facta conventione. *Conventionalis* est conventio dandi spirituale pro temporali, vel e contrario, et est duplex, pure Conventionalis, et est illa, in qua non habetur aliqua traditio. Altera dicitur *mixta conventionalis*, et est illa, in qua habetur traditio rei spiritualis cum conventione solvendi aliquod temporale, vel e contrario, quae dicitur etiam semirealis. *Realis* est illa, quae reipsa traditione perficitur, et consumatur, sive ex parte utriusque, et dicitur *realis perfecta*, sive ex parte unius est completa, et ex alterius parte non est perfecta, et dicitur *imperfecta realis*.

Tandem Simonia *Confidentialis*, quae est species conventionalis, est illa, qua quis alteri Beneficium ecclesiasticum procurat eligendo, praesentando, resignando, confirmando, aut alia cum certa confidentia, et pacto inito, ut is, qui est Beneficium accepturus, illud ipsum sibi procurauti, vel alteri, puta Fratri, Nepoti etc. cum fructibus aut aliqua portione eorum suo tempore cedat. Quae Simonia graviter prohibetur a Pio IV. Bulla 85., et a Pio V. Bulla *Intolerabiliis*.

Q. Quotuplici modo potest committi Simonia Confidentialis?

R. Quadruplici modo, scilicet per accessum, per regressum, per ingressum, et per pensionem. Prima habetur, quando confertur alicui inhabili jus; ut quando capax fuerit, Beneficium ingrediatur, interim confertur habili, in confidentiam, quod tunc illi Beneficium dimittat. Secunda, quando quis beneficium, quod possidet, cedat alteri, servato sibi jure ingrediendi ad illud, si forte ille pensionem non solverit, vel Episcopus evaserit. Tertia, quando quis ante acceptam possessionem Beneficii jam sibi collati, alteri illud resignat, servato sibi jure ingrediendi illius possessionem, si ille moriatur, vel Religionem ingrediatur. Ultima habetur, quando quis resignat alteri Beneficium cum pacto explicito, vel implicito solvendi certam pensionem sibi, vel alteri ex eodem Beneficio.

Q. Quo jure est prohibita Simonia?

R. Omni jure. Jure Naturae, nam Sancta sancte tractanda sunt, Jure Divino, patet ex Matth. 10. *Gratis accepistis, gratis date*, Jure Ecclesiastico, uti ex pluribus Canonibus, mox citandis.

Q. Num Simonia sit peccatum grave?

R. Maxime ex genere suo esse peccatum grave, uti patet ex jam allatis verbis D. Petri: *Pecunia tua tecum sit in perditionem*; patet etiam ex sacris Canonibus eam appellantibus *execrabile vitium, turpissimum lucrum simoniacam pestem, haeresim simoniacam*, ad cujus similitudinem omnia crimina, quasi pro nihilo reputantur. Ita DD. communiter.

Q. An detur parvitas materiae in Simonia?

R. Minime, quia nullum donum Dei sine gravi irreverentia vendi potest; hinc non potest a mortali excusari, nisi ob inconsiderationem, vel ignorantiam. Concina. *At in Simonia juris ecclesiastici dari potest parvitas materiae.*

Q. Cui virtuti opponitur Simonia?

R. Simoniae peccatum est proprie quaedam species sacrilegii, virtuti Religionis oppositi, cum sit irreligiosa, et indigna tractatio rei sacrae, ac spiritualis. Interdum etiam justitiae repugnat ex parte vendentis, si in compensationem rei, quatenus praecise spiritualis est, temporale aliquid accipiat; quia dans aliquis alteri rem spiritualem, nullum jus habet accipiendi aliquod temporale, ideoque accipiendo injustitiam committit.

Q. An omnes Simoniaci incidant in poenas a jure statutas?

R. Non omnes, non simoniaci mentales, quia Ecclesia non judicat de internis, ut patet ex cap. 46. de simonia, ubi dicitur de Simoniacis mentalibus: *Sufficere per solam poenitentiam suo satisfacere Creatori.* Non pure conventionales, quia cum Canones inferant censuras Simoniacis, non meram conventionem, sed dationem, acceptationem, ordinationem, aliamve executionem realem exprimunt, ut ex Extravag. 1. et 2. de Simon. Excipiuntur tantum Simoniaci confidentiales, de quibus mox dicemus. Simoniaci reales incidunt, quia in istis habetur delictum a jure requisitum.

Q. Quid sentiendum de simonia semireali?

R. Vel Simonia est completa ex parte rei temporalis tantum, et dico istam non esse poenis Canonum subjectam, quia non habetur uti completa ex parte utriusque. Vel est completa ex parte rei spiritualis tantum, et dico esse magnum litigium inter DD., nam aliqui dicunt non poenis subjectam, quia poenae praesertim tam graves strictae interpretationis esse debent, ita ut sunt intelligendae de actu omnino perfecto; alii vero tenent esse poenis subjectam, quia habetur uti completa. Ita Layman, Antoine, aliique.

Q. An omnes Simoniaci reales incidunt in poenas?

R. Non omnes, sed tantum illi, qui committunt simoniam realem in ingressu Religionis, in Ordinibus, et in Beneficiis.

Q. In quam poenam incidunt Simoniaci reales in ingressu Religionis?

R. Tam dantes, quam recipientes ex pacto temporali incidunt in excommunicationem Papae reservatam, *si sint singulares personae:* Capitulum, si consenserit, incidit in suspensionem ab officiis capitularibus eidem reservatam, Extravag. *Sane* de simon. Simoniace scienter professum detrudendum esse in aliud strictius Monasterium ad perpetuam poenitentiam cap. 25. de simon.

Ex Layman, Suarez, et aliis poenae istae non incurruntur, si ante professionem pactio simoniaca retractetur. Nam finis statuti est impedire simoniacam professionem, uti Pontifex loquitur his verbis in laud. Extravag. *Ne expensarum onere a Sacrae Religionis proposito retrahantur.*

Q. In quam poenam incidunt Simoniaci, et mediatores reales in Ordinibus?

R. I. Tam Ordinantem, quam Ordinatum incidere in excommunicationem Papae reservatam ipso facto, Extravag. *Cum detestabile*, quod multi intelligunt, etiam de prima Tonsura, quia per eam usitato modo loquendi aliquis ordinari dicitur argum. Cap. 11. de aetat. qualit. etc. II. Ordinantem incidere in suspensionem a collatione cujuscumque Ordinis, et etiam primae Tonsurae per triennium, Cap. 55. de simon. Per Bullam vero Xysti V. incip. *Sanctum*, incidere in suspensionem a collatione omnium Ordinum in perpetuum, etiam Tonsurae, ab executione omnium munerum Pontificalium, et in interdictum ab ingressu Ecclesiae. III. Ordinatum incidere in suspensionem, etiam Ordinis rite suscepti, uti ex Etravag. cit.

Q. In quam poenam incidunt Simoniaci reales in beneficiis?

R. Tam eligentem, praesentantem, confirmantem, constituentem, quam recipientem beneficium ecclesiasticum incidere in excommunicationem Papae reservatam, in quam incidunt etiam mediatores, procuratores simoniacae ordinationis, aut collationis beneficii secutae, puta parentes, amici etc. et omnes, qui suam operam interponunt cit. Extravag. *Cum detestabile.* Collationem esse nullam, sicut et praesentationem, provisionem etc., omnesque fructus perceptos restituere debet, Cap. *Matthaeus* de simonia. Electum, vel provisum fieri inhabilem ad illud beneficium, nec illud potest obtinere ex Episcopi dispensatione, Cap. 27. de simon., et Cap. penult. de electione, ubi excipitur, si sit beneficium simplex, et ipso electo ignorante, nec ratam habente, simonia commissa sit, vel veniente in malam fidem illud idem beneficium resignaverit in manu Episcopi; tunc enim post puram resignationem, potest Episcopus dispensare.

Q. Num ille, qui obtinuit beneficium simoniace, privatur aliis beneficiis rite obtentis?

R. Istum talem, cognita causa, esse privandum, et deponendum per judicis sententiam, si simonia propria culpa fuerit commissa, uti tenent DD. licet aliqui dicant, quod haec poena nullibi in jure exprimatur, et poenae extendi non debent, ab una delicti specie in alteram, tum quia satis est, ut in quo quis peccavit, in hoc puniatur, nisi aliud in jure expressum sit.

Q. An iste talis sit inhabilis ad alia beneficia obtinenda?

R. Si iste talis recipit beneficium, antequam absolvatur ab excommunicatione ob simoniam contracta, et dico esse inhabilem, et collationem nullam: ratio est, qui iste est incapax ob praecedentem censuram. Si vero absolutus sit a censura, iste simoniacus pristinam ad futurum beneficium capacitatem resumit, nam per absolutionem restituitur ad pristina jura.

Q. In quam poenam incidunt Simoniaci confidentiales?

R. Ex Bulla 85. Pii IV., et Bulla. 85. Pii V., illos, qui sunt Episcopis inferiores incidere in excommunicationem Papae reservatam, nam Episcopi, vel Superiores incidunt in interdictum ab ingressu Ecclesiae. Resignationem, et collationem beneficii esse nullam, et provisum inhabilem fieri ad

idem beneficium, et ad alia beneficia adquirenda. Incidere in privationem aliorum beneficiorum, et Pensionum legitime obtentarum, beneficia in confidentiam collata, et obtenta Sedi Apostolicae reservantur, et fructus debent restituere. Layman, Antoine.

Nota I. Ut recipientes per Simoniam confidentialem beneficium contrahant istas poenas, requiritur, ut datum, et acceptum sit beneficium, non tamen, ut recipiens promissionem suam impleverit, idest ut beneficium, alteri resignaverit, vel pensionem solverit juxta pactum, quod patet ex Bulla Pii IV., ubi habetur. *Omnes, et singulos, qui beneficia, vel pensiones hoc interdicente vitio acceperant.*

Nota II. Constitutiones Pii IV., et Pii V. non adjungunt poenas ratione confidentiae, nisi solum contra illum, qui beneficium, vel pensionem in confidentiam recipit, ideoque soli recipientes privantur beneficiis jam antea rite adquisitis, et pensionibus, non autem resignantes, vel cooperantes, licet illi incurrunt in excommunicationem Papae reservatam, uti veri Simoniaci, modo confidentiaria pactio fuerit ex utraque parte completa.

Nota III. Ille, qui recipit beneficium ab eo, quem scit habere intentionem illud resignandi cum simonia confidentiali incidit in poenas, etiamsi recipiat illud absque intentione resignandi juxta confidentiam, ut patet ex verbis Bullae Pii V. *Etiamsi sola intentione dimittentis receperit.*

Q. An temporale acceptum pro traditione rei spiritualis sit restituendum?

R. Maxime esse restituendum tam Jure Naturae, quam Divino, quia habetur laesio justitiae commutativae, quando tamen nullum commodum rem spiritualem vendens ex illa percipiebat; quia si aliquod commodum temporale percipiebat, non tenetur ad restitutionem, spectato Jure Naturae, quia licet talis venditio sit simoniaca, tamen non est injusta, dummodo non tenetur ex justitia ea administrare, uti est Parochus. Dixi *spectato jure naturae*, nam spectato Iure ecclesiastico, restituendum est omnino, et sine ullo respectu ad commodum omne pretium simoniacum acceptum pro collatione beneficii pro ordinibus conferendis, et pro ingressu Religionis, Cap. *Veniens ad nos.* 19. de simon.

Q. Cuinam est restituendum hoc pretium?

R. Vel non est tradita res spiritualis, et dico esse restituendum illi, qui tradidit, nam adhuc retinet jus ad illud, quia dedit sub conditione recipiendi spirituale. Tamen advertendum est cum D. Thoma, quod dans non habet jus repetendi, neque ad hoc debetur in judicio audiri. Vel res spiritualis est tradita, et dico esse restituendum Ecclesiae, vel ex consuetudine pauperibus. D. Thomas 2. 2. quest. 32. art. 7. ad. 2. et cap. 12. de simon.

Q. Res spiritualis simoniace accepta estne restituenda?

R. Si est Officium, vel Beneficium Ecclesiasticum est restituendum, et quidem ante Judicis sententiam, quia collatio fuit nulla, ita ex Extravag. 2. etc. S vero est alia res spiritualis, non est restituenda, quia nullum jus datur id expresse jubens, et habetur in transferente dominium intentio, et in recipiente capacitas dominii.

Q. An possit vendi temporale, cui adnexum est spirituale?

R. Minime, quatenus est spirituale; quia semper habetur venditio rei spiritualis. Hinc non potest quis plus vendere calicem, quatenus consecratum,

laborem necessarium ad Sacrificium jus redditus ecclesiasticos recipiendi. Dixi *quatenus est spirituale*, quia temporale, cui est adnexum spirituale, potest vendi, uti temporale est, quia potest quis vendere calicem, defatigationem longi itinerisad celebrandam Missam etc., quia venditur temporale, non spirituale, quod intelligitur, quando non habetur prohibitio ecclesiastica, quoad istorum venditionem.

Q. An sit simonia, et quo jure vendere beneficium ecclesiasticum?

R. Venditionem beneficii esse simoniacam jure ecclesiastico juxta Canonistas, juxta vero Theologos esse de Jure Divino, num licet in beneficio habetur jus percipiendi aliquod temporale, quod est pretio aestimabile, secundum se tamen a prima institutione ita est fundatum in officio spirituali, ut nonnisi ratione illius alicui competere possit. Hinc si alicui vendatur jus beneficialium proventum, venditur et illi jus spirituale exercendi officium. Ita Salmanticenses.

Q. An possit Episcopus absque laesione justitiae exigere temporale in beneficii collatione pro aemolumento temporali beneficiato collato?

R. Minime, quia fructus beneficii non pertinent ad collatorem, sed ad futurum illius possessorem. Jus etiam ad fructus utpote fundatum in titulo spirituali non est pretio temporali aestimabile, et necessario competit ex justitia ei, qui obtinuit beneficium. Hinc collator injuste pretium exigit, cum non habeat titulum justum accipiendi, quod patet ex Prop. damnata ab Alexandro VII. (1).

Q. An ille, qui dat temporale ad tollendam justam vexationem circa beneficium, quod possidet, simoniam committat?

R. Maxime, quia dat spirituale pro temporali. Ita communiter DD.

Q. An committat simoniam, qui dat temporale ad tollendam injustam vexationem?

R. Vel habet jus in re, seu jus adquisitum in illo, et dico non committere Simoniam, quia sic redimit vexationem suam non pro aliqua re spirituali dans temporale, sed pro evitanda injuria, aut violentia, quam injuste patitur. Vel habet jus ad rem, seu quamprimum adquirendum est ei, et respondeo cum subdistinctione: Vel dat illi, qui potest obesse, et prodesse, et dico esse Simoniam; quia dat illi, qui potest prodesse ad beneficium obtinendum, hinc temporale datum habet rationem pretii pro beneficio. Vel dat illi, qui potest tantum obesse, et dico non committere Simoniam, quia datur, ut vexator injuste infamare, et nocere desinat, hinc datur ad impediendas iniquas infantoris machinationes, non autem ad beneficium recipiendum. Layman, aliique.

Not. I. Jus in re quis adquirit ad beneficium per legitimam collationem. Electionem, Provisionem, Institutionem, seu quando debetur beneficium ex justitia commutativa.

II. Jus ad rem quis adquirit per concursum habitum: in quo est repertus dignior, vel per praesentationem.

(1) *Non est contra justitiam beneficia ecclesiastica non conferre gratis; quia collator conferens illa beneficia ecclesiastica pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii; sed veluti pro emolumento temporali quod tibi conferre non tenebatur.*

III. Habetur vexatio ab eo, qui potest obesse, et prodesse, quando provenit ab Electore, Praesentatore, Institutore, vel ab eo, qui potest impedire, et per se juvare.

IV. Habetur vexatio ab eo, qui potest obesse tantum, quando est ab aliquo particulare, qui imponit falsum crimen, irregularitatem, censurum etc. illi, qui est ad beneficium praesentatus.

Q. An possit quis dare aliquid temporale alicui Electori, qui uti persona privata vexat infamando praesentatum, aliosque Electores corrumpendo?

R. Minime, quia in casu parat sibi viam ad beneficium, ad quod, ut supponitur, non habet neqne jus in re, neque ad rem.

Q. An possit quis dare rem spiritualem ad injustam tollendam vexationem?

R. Minime, quia datur spirituale pro temporali, scilicet pro oblatione injustae vexationis. Hinc non potest quis offerre minus pingue beneficium injuste vexanti, ut a vexatione cesset.

Q. An dare aliquid temporale ex mera gratitudine collatori beneficii sit Simoniacum?

R. Minime, uti patet ex Can. *Sicut Episcopum* 1. q. 2., nam donum gratuitum opponitur pretio, quippe quod tanquam vicissim ex justitia debitum promittitur, aut datur. Verum caute procedatur hac in re, nam difficillimum est abesse animum simoniacum.

Q. Num sit Simonia dare temporale in gratuitam compensationem rei spiritualis, aut e contrario?

R. Maxime, quia datur veluti debitum ex pacto praevio, proinde ac si pactum praecessisset, quod patet ex Prop. 45. ab Innoc. XI. damnata (1).

Q. Num committat Simoniam qui dat temporale, tanquam motivum obtinendi spirituale?

R. Maxime, quia semper datur temporale pro spirituali, quod patet ex propositione jam supra citata: *dare temporale pro spirituali, non est Simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed dumtaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale.*

Q. Num committat Simoniam, qui ob motivum rei temporalis dat alteri aliquod spirituale?

R. Maxime, uti patet ex Prop. ab eodem Innoc. proscripta (2).

Q. An venditio Pensionis sit Simoniaca?

Ante responsionem notandum est I. Quod pensio sit jus percipiendi partem fructuum alicujus beneficii auctoritate Pontificis consignatum. II. Quod pensio sit triplex, scilicet Clericalis, Laicalis, et Mixta. Prima est illa, quae requirit ordinem in subjecto, et traditur ad administrandum aliquod spirituale, uti est illa, quae datur Coadjutori Episcopi, Parochi etc. Secunda est illa, quae non petit in subjecto ordinem, nec ordinatur ad ministerium

(1) *Non est Simonia quando temporalis sit solum gratuita compensatio pro spirituali; aut e contrario.*

(2) *Et id quoque locum habet, etiam si temporale sit principale motivum dandi spirituale; imo etiam si sit finis ipsius rei spiritualis, sicut illud pluris aestimatur, quam res spiritualis.*

aliquod spirituale, uti est illa, quae datur a Pontifice Principibus ad Ecclesiae defensionem, ultima est illa, quae licet ex parte subjecti petit ordinem, datur tamen in titulo omnino temporali, ut est quae datur Parocho impotenti, Clerico panperi etc. His dictis:

R. Pensionis Clericalis venditionem esse jure Divino Simoniacam; quia pensiones istae, cum sint adnexae tam ex parte principii, quia abstrabantur a beneficiis, quam ex parte finis, quia dantur ad exercendum officium spirituale, ideoque induunt rationem beneficii Clericalis. Venditionem pensionis laicalis non esse Simoniacsm, nec jure Divino, nec humano, quia nihil spirituale continet, nec illi adnectitur. Venditionem vero pensionis mixtae, spectato jure ecclesiastico esse simoniacam, uti patet ex praxi Curiae Romanae, quae hujusmodi venditiones, tanquam simoniacas damnat.

Q. An jus Patronatus vendi possit, absque Simoniae labe?

R. Non posse vendi sine labe Simoniae, quia est spirituali adnexum, seu ad beneficii collationem ordinatum. Hinc si aliquis vendat majori pretio fundum, cui est adnexum jus Patronatus, Simoniam committit. Cap. *De jure* 16. de jure Patronat. D. Thomas. q. 100. art 4.

Q. An transactio, seu pactio onerosa ad terminandam litem beneficialem absque simonia fieri possit?

Ante responsionem praemittendum, quod transactio sit pactio non gratuita de re dubia, et lite incerta ad litem dirimendam, uti colligitur ex L. 1. D. de Transactionibus.

R. Transactionem, in qua ex una parte beneficium Ecclesiasticum, et ex altera parte res temporalis, datur, remittitur vel retinetur, esse simoniacam. Cap. *Cum pridem* de Pactis. Hinc si in lite beneficiali litiganti detur pecunia, ut a lite desistat, iste talis committit Simoniam, quia habetur commutatio rei spiritualis pro temporali, ex quo colligitur, quod orta lite de Ecclesiastico beneficio, vel alia re spirituali, non prohibetur, ut partes gratis, et amicabiliter inter se componantur; ad quod non requiritur Superioris consensus, nisi in casu, quod oporteat possessorem beneficii illud dimittere, nam in hoc casu sine auctoritate Superioris fieri non potest. Cap. *Quod in dubiis* de Renuntiat.

Q. An transactio, quae fit circa rem spiritualem per largitionem alterius rei, sit Simoniaca?

R. Extra materiam beneficii non esse Simoniacam, etiamsi fiat auctoritate propria, modo sit proportionata, quia transactio est quaedam species permutationis, quae potest fieri inter spiritualia, cum non habeatur prohibitio. Hinc orta controversia inter Praelatos quoad jurisdictionem spiritualem, transactio fieri potest, dividendo loca, vel actus jurisdictionis. Dixi, *extra materiam beneficii*, quia omnis reciproca pactio, conventio, permutatio in beneficiis ecclesiasticis, quae propria auctoritate fit, tanquam Simoniaca prohibetur de jure ecclesiastico.

Q. An sit Simonia permutatio beneficii?

R. Maxime esse Simoniacam permutationem beneficii absque Superioris auctoritate factam, Clement. unic. de rerum permutat. nam ut plurimum in permutatione respicitur proprium commodum, quod idem dicendum de permutatione aliarum rerum spiritualium, quando habent adnexum aliquod commodum. Ita Layman, aliique.

Q. An omissio actus spiritualis sit materia Simoniae, uti si Sacerdos pecuniam accipiat, ne recitet horas Canonicas, ne poenitentem reconciliet?

R. Vel omissio ista est actus jurisdictionis spiritualis, aut potestatis Ecclesiasticae, et dico esse materiam Simoniae, ut patet ex Cap. *Nemo Presbyterorum*, de Simon., in qua habetur quod sit Simouiacum tam accipere temporale ad reconciliandum poenitentem, quam ad non reconciliandum poenitentem, quia tam absolvere, quam ligatum retinere est actus jurisdictionis Ecclesiasticae. Hinc ille, qui accipit temporale pro omissione istus actus, committit Simoniam, quia accipit temporale pro spirituali. Vel non est actus jurisdictionis spiritualis, aut potestatis Ecclesiasticae, et dico non esse materiam Simoniae, et patet ex eodem Cap. *Nemo cit.*, nam ille, qui accipit temporale pro mera omissione actus spiritualis, alioquin debiti, non accipit pro spirituali, quia omissio operis spiritualis, si mera, aut pura sit, et nullum spiritualem effectum parit, non est aliquid spirituale. Hinc si aliquis accipit temporale pro omissione Divini officii, Sacrificii etc. non committit Simoniam. Ita Layman, Antoine.

Q. An sit Simonia suscipere ordines causa obtinendi beneficium, et principaliter ejus redditus?


R. Maxime, quia is rei spirituali sternit sibi viam ob bonum temporale principaliter intentum. Hinc Fagnanus in Cap. *Ad nostram* de electione, scribit: *Clericum, qui ordines suscipit, ut beneficium consignetur ei, Simoniam committere mentalem, quae non obligat ad beneficii dimissionem, sed tantummodo ad satisfaciendum Deo per poenitentiam, nisi factum praecesserit.* Et satis de Religione.

Nota I. Ex Extravag. de Sent. Excom. innovata a Gregorio XIII. gratia obtenta a Sede Apostolica est nulla, si temporale datum sit, etiamsi simonia completa non fuerit, et adest excommunicatio PP. reservata.

II. Non committit simoniam, qui dat pecuniam Electoribus ut indignum excludant ab electione beneficii, quia facit secundum jus, non contra, ex quo digni eligendi sunt. Verum non debet excludendo indignum designare personam uti digniorem, quia sic praevio temporali pretio aperitur via digniori ad beneficium. Quod si indignum excludendo non reperiatur nisi unus dignus non adest labes simoniae, semper ac non est designatus, quia per accidens se habet, quod electio cadat semper illum.

III. Non committit simoniam, qui dat temporale Ministro nolenti in necessitate Sacramenta ministrare, si sint necessaria, necessitate medii ad salutem, et aliud non adsit, nec possunt suppleri per votum, uti Baptismus in pueris. Nec etiam ex Alberto magno, Layman contra D. Thomam, et alios committitur simonia, si possint suppleri per vota, quia redimitur injuste vexatio, cum quisque habeat jus ad Sacramenta.

Sine labe simoniae vero possunt exigi in administratione Sacramentorum, in exequiis etc. oblationes. Nam licet olim spontaneae erant, postea tamen in laudabiles consuetudines abierunt, et probatae a Conc. Lateranensi, ex quo gratis Sacramenta conferenda sunt, et sacrae functiones peragendae, et praestandae sunt oblationes:



FINIS TOMI II.



INDEX

TRACTATUUM, CAPITUM, ET ADDITIONUM

QUAE IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR

ADDITAMENTA

TRACTATUS V.

De Monialibus

ADDITAMENTA

TRACTATUS VI.

De praeceptis Decalogi.

ADDITAMENTA EX S. LIGORIO

ADDITAMENTA EX S. LIGORIO

ADDITAMENTA

TRACTATUS VII.

De praeceptis Ecclesiae

APPENDIX I.

APPENDIX II.

TRACTATUS VIII.

De Virtutibus, et quidem primo de Virtutibus Theologicis

TRACTATUS IX.

De Religionis Virtute

ADDITAMENTA

